

DE MARTYROLOGI HIERONYMIANI
FONTE, QUOD DICITUR
MARTYROLOGIUM SYRIACUM

I. FERNHOUT

DE MARTYROLOGI HIERONYMIANI
FONTE, QUOD DICITUR
MARTYROLOGIUM SYRIACUM

DISPUTATIO QUAM ANNUENTE SUMMO NUMINE EX
AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI P. A. DIEPENHORST
IUR. DOCT. ET IN FAC. IUR. PROF. ORD. NOBILISSIMAE
FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO AD
GRADUM DOCTORIS SUMMOSQUE IN LITTERARUM CLASSI-
CARUM DISCIPLINA HONORES RITE ET LEGITIME CONSE-
QUENDOS PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET
IN AEDIBUS QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND”

IAN FERNHOUT

SMILDENSIS

DIE XXVII M. OCT. A. MCMXXII, HORA IV



GRONINGAE, HAGAE, APUD I. B. WOLTERS, MCMXXII

BOEKDRUKKERIJ VAN J. B. WOLTERS.




CORRIGENDA.

Thesis XIII	potesteste	legatur potestate.
p. V l. 13	magnam	" magnas.
p. IX l. 4	Die	" De.
p. XI l. 37	Martyrerverehrung	" Märtyrerverehrung.
p. XII l. 17	Chronographii	" Chronographi.
p. XIII l. 2	videtura	" videtur.
p. XIV l. 37	Hilarioco	" Hilariaco.
Vol. I p. 39 l. 26 et II, 60, 21	Florentinus	" Florentinius.
" p. 81 l. 19	fn	" in.
Vol. II p. 3 l. 23	percecutione	" persecutione.
" p. 13 l. 1	Nonnullis	" nonnullis.
" p. 29 l. 36	proprius	" propius.
" p. 36 l. 4	aliis	" alii.
" p. 38 l. 7	inveniunter	" inveniuntur.
" p. 41 l. 37	occidentalium	" occidentalium.
" p. 46 l. 5	alterum	" alteram.
" p. 46 l. 37	martyrium	" martyrio.
" p. 49 l. 28	Paelestini	" Palaestini.
" p. 51 l. 1	appellavisse.	" appellavisse.,
" p. 52 l. 39	adde: 3)	
" p. 66 l. 13	Iacobus	" Iacobos.
" p. 67 l. 27	memorantur	" memorentur.
" p. 70 l. 33	possit	" posset.
" p. 71 l. 5	nulles	" nullus.
" p. 71 l. 19	Iulianum	" Iuliani.
" p. 71 l. 23	visit.	" visit.,
" p. 72 l. 16	quae	" qui.
" p. 76 l. 7	Is qui	" Is qui MNH.

17 AAN MIJN OUDERS

1216 EN MIJN VROUW




Cum iam in eo sim ut studia academica absolvam, facere non possum, quin gratiam agam iis, qui in litteris excolendis mihi adfuerunt. Virum clarissimum I. WOLTJER, cui utinam, ut hanc disputationem eo duce inchoatam, videret perfectam, contigisset, omnium primum in mentem revoco: nunquam magistri praestantissimi memoria ex animo meo discedet.

Duos alios iam morte abreptos, viros clarissimos BIESTERVELD et BAVINCK, quorum scholis interesse interdum mihi licuit, grato animo hic memoro.

Tibi, clarissime R. H. WOLTJER, promotor aestumatissime, qui litteras graecas me docens, humanitate et comitate semper me persecutus es, et in hac disputatione perficienda, licet officia tibi vix permitterent, mihi benevole adfuisti, magnam ago gratias.

Nec non tibi clarissime GEESINK, quem benevolentissimum philosophiae magistrum semper habui, multum debeo.

Ad extremum eos qui Bibliothecis Universitatis Groninganae et Ultra-traiectinae praesunt, officiosa voluntate laborem mihi faciliorem reddidisse libenter profiteor.



- AB *Analecta Bollandiana*, Bruxelles 1882—
- AS *Acta sanctorum . . . collegit . . . Ioannes Bollandus cett.*
Anvers, Tongerlo . . . 1643—
- Achelis, Die *Die Martyrologien ihre Geschichte und ihr Wert*, Berlin
Mart. 1900, *Abh. der Königl. Gesells. der Wiss. zu Göttingen*,
Phil. Hist. Klasse III, 3.
- BHG *Bibliotheca hagiographica graeca*² ed. socii Bollandiani,
Bruxelles 1909.
- BHL *Bibliotheca hagiographica latina antiquae et mediae aetatis*
ed. socii Bollandiani, Bruxelles 1898—1901.
- BHO *Bibliotheca hagiographica orientalis*, Bruxelles 1910.
- CIL *Corpus Inscriptionum Latinarum*, Berlin 1862—
- Florentinius *Vetustius occid. ecclesiae martyrologium . . . Lucae* 1668.
(Cf. p. XIV).
- Les orig. *H. Delahaye, Les origines du culte des martyrs*, Bruxelles 1912.
- Lipsius *R. H. Lipsius, Die apokryphen Apostelgeschichten und*
Apostellegenden, vol. III, Braunschweig, 1883, 1887, 1890.
- MEM *Martyrologia mediae aetatis:*
Beda *Mart. Bedae, Quentin*, p. 17 sqq.
ML *Mart. Lugdunense, Quentin*, p. 131 sqq.
Florus *Mart. Flori, Quentin*, p. 222 sqq.
PR *Parvum Romanum, Quentin*, p. 408 sqq.
Ado *Mart. Adonis, Quentin*, p. 465 sqq.
Rabanus *Mart. Rabani, PL, CX.*
Usuard *Mart. Usuardi, Antwerpiae MDCCXIV.*
Notker *Mart. Notkeri, PL CXXXI.*
Baronius *Mart. Romanum restitutum, Antw. MDCXIII.*
- MH *Martyrologium Hieronymianum, AS, Nov. II, 1, Brux. 1894.*
- MK *Martyrologium Carthaginiense. (Cf. p. XII).*
- MN *Martyrologium Nicomedense. (Cf. p. XIII).*
- MNH *Exemplar Mart. Nic., quod MH adscriptum est. (Cf. p. XIII).*
- MS *Martyrologium Syriacum, graece vertit Duchesne AS,*
Nov. II, 1 p. [L 11] sqq.
- Mombritius *B. Mombritius, Sanctuarium; ed. curaverunt duo monachi*
Solesmenses, Parisiis MCMX, vol. II.

- Nilles N. Nilles, *Kalendarium manuale utriusque ecclesiae*², Oeniponte, 1896, 97, vol. II.
- PG J. P. Migne, *Patrologiae cursus completus, Series graeca et orientalis*, Paris. 1857–1886, vol. 161 (165).
- PL J. P. Migne, *Patrologiae cursus completus, Series latina*, Paris. 1844–1861, vol. 221.
- Quentin H. Quentin, *Les martyrologes historiques du moyen âge*, Paris 1908.
- Ruinart *Acta primorum martyrum . . .* ed. Th. Ruinart, Amstelædami MDCCXIII.
- SC *Synaxarium ecclesiae Constantinopolitanae opera et studio H. Delahaye*, AS Nov. Propylæum, Brux. 1902.


Codices MH et SC iisdem quibus Bollandiani verbis signisque indicavi. Ex codicibus MH (cf. prooemi p. XIV) plerumque verba codicis E attuli; quae verba, si ad litteram afferri necesse non videbatur, ex iis quae in aliis codd. leguntur, emendavi. Quae ad commemorationem de qua agebatur non pertinebant <>, quae in uno tantum codice inveniuntur [] inclusi.

Verba articulosque in laterculis quos MNH attribui <> inclusos, incertos puto.

LIBRI CONSPECTUS.

	Pag.
Prooemium	xi – xv
Vol. I, Quae interpres Romanus in MHN legerit	1–152
Vol. II, Caput I, De Martyrologio Syriaco	1–10
§ 1. De MS	1–5
§ 2. De verbis, quae sunt ἐκ τῶν ἀρχαίων	5–8
§ 3. De episcopis Nicomedensibus	8–9
§ 4. De episcopis Antiochenis	9–10
Caput II, De MNH	11–33
§ 1. De MNH.	11–16
§ 2. De verbis, quae sunt <i>in Oriente</i>	16–19
§ 3. De verbo, quod est <i>passio</i>	19–23
§ 4. De elogiis, quae in MH leguntur	23–29
§ 5. Fuerint adscripta in MNH elogia	29–33
Caput III, De nonnullis martyrum turbis	34–69
§ 1. De „martyribus” Constantinopolitanis, Moesiacis, Aegyptiis	34–37
§ 2. Sintne ex Eusebii Historia Ecclesiastica marty- rologiis graecis (MS et MNH) martyres adiecti?	37–40
§ 3. De martyribus Palaestinis	40–50
§ 4. De „martyribus” ex Scriptura sacra sumptis	50–69
Caput IV, Quo tempore et quo loco MNH martyrologio latino insertum sit	70–76

Toto libro ad paginas voluminis secundi reicitur.



PROOEMIUM.

Martyrium apud Christianos antiquos permagni aestimatum est: martyrem „passionis et mortis Christi participem esse”; iterum baptizari ita, ut peccata omnia expiata essent; martyrium Spiritus sancti beneficium esse.¹⁾ Ante mortem martyr iam magno in honore erat, iam magna auctoritate praeditus²⁾; supplicio sumpto sepulcrum³⁾ eius cum a propinquis, tum a civibus christianis, mox a peregrinatoribus ex omnibus orbis terrarum partibus frequentabatur.⁴⁾ In primis die ipso, quo martyr vitam pro Christo profuderat⁵⁾, fideles ad sepulcrum conveniebant, eius memoriam solemniter agebant.⁶⁾ Ne nimis multi martyres neve indigni colerentur, episcopi hanc rem administrabant⁷⁾:

1) Cf. H. Achelis, Das Christentum in den ersten drei Jahrh., Leipzig 1912, II, p. 339, sqq. M. v. Wulf, Ueber Heilige und Heiligenverehrung, Leipzig 1910, p. 164.

2) Vide in primis H. Achelis, o. l. II, p. 344–349.

3) „During the first three centuries, certain exceptional cases apart, the martyrs were buried without difficulty”. P. Allard, Ten lectures on the martyrs, London 1907, p. 319.

4) Id quod maxime ad praeclaros martyres pertinet. Cf. Wulf o.l. p. 475 sqq.

5) Quem Christiani *diem natalem* dicebant, quod martyrem tum vere, quippe qui *statim* post mortem vitam aeternam adipisceretur, natum esse putabant. Cf. Achelis o. l. p. 350 sq. et Lietzmann, Petrus und Paulus in Rom, Bonn 1915, pp. 3, 4.

6) Quatenus martyrum cultus ad cultum mortuorum et heroum, qui apud gentiles in usu erat, pertineat (cf. Mau in voce Bestattung, Pauly-Wissowa Realenc III, c. 331 sqq., W. Schmidt in voce Γενέθλιος ἡμέρα o.l. VII, c. 1135 sqq., W. Schmidt, Geburtstag im Altertum, Giesen 1908) hic non investigo. Cf. E. Lucius, Die Anfänge des Heiligenkults in der Christ. Kirche, Tübingen 1904, H. Achelos o.l. p. 351 sqq., M. v. Wulf o.l. p. 436 sqq., Delahaye, Les orig. p. 40 sqq., qui dies festus martyrum e caeremoniis quas pagani observabant, explicant; contra quos Chr. Pesch, De cultu sanctorum, Friburgi Brisgoviae MCMIX. Fideles primo diem natalem celebraverunt „tum in memoriam eorum, qui certamina iam pertulerunt, tum ut posteri excitati sint et parati ad eadem sustinenda! (Martyrium Polycarpi, c. 18).

7) „Severity and . . . , watchfulness were all the more necessary because of the intense devotions of the first Christians towards the tombs of the martyrs”. (P. Allard o.l. p. 325). In der Martyrerverehrung . . . steckte ein solches masz von religiöser Kraft, dass sie alles niederwarf, was sich ihr entgegenstellte”. (H. Achelis, o.l. p. 347, 348).

indici¹⁾ martyres „probatos” vel „vindicatos”, quorum memoria solemniter celebrabatur²⁾, adscribebant. Quibus in diptychis iam anno fere 300 non modo martyres qui in urbe ipsa vixerant³⁾, sed etiam viri sancti aliis locis passi quorum commemorationes fideles huius urbis quadam de causa volebant celebrare, legebantur. Admoneo diem, quo martyris alicuius memoria, sive in sua, sive in alia urbe ageretur, saepe non eundem esse quo passus esset.⁴⁾

Ecclesia Smyrnaea prima, quod sciamus, in celeberrima de Polycarpi martyrio epistula se diem natalem magni episcopi quotannis celebraturam esse publice nuntiavit.⁵⁾

Ex iis, quae Cyprianus in quibusdam epistolis scripsit, apparet anno fere 250 Carthaginensium dies martyrum natales anniversaria memoria celebratos esse⁶⁾ illorumque dierum cum martyrum tum confessorum indices factos esse ut „confessorum quoque commemorationes celebrari possent.”⁷⁾

Antiquissimus index traditus est Depositio martyrum Romanorum in Philocaliano illo libro vulgo Chronographii anni 354 dicto, relata. Satis autem constat ecclesiam Romanam iam multo antea, (medio fere saeculo tertio) martyres suos descriptos habuisse.⁸⁾

Carthaginense kalendarium diu viros doctos latuit: Mabillonius anno 1682 in bibliotheca Clunensis abbatiae illius exemplar adscribendis diebus episcoporum natalibus usque ad annum 505 auctum, invenit ediditque.

Tertium monumentum permagni momenti quod dicitur Martyrologium syriacum ab anno 1866 habemus.⁹⁾

1) Qui indices ecclesiarum singularum diptycha vel kalendaria dici solent; martyrologium modo collecta complurium ecclesiarum diptycha vocari quidam proposuerunt; nomina autem saepe confunduntur.

2) Cypriani Ep. 12, 2. Haudquaquam omnes martyres hac „commemoratione” colebantur. Achelis o. l. p. 355.

3) Praeter martyres et episcopi, qui martyrium non passi essent, aliique viri „sancti” kalendaris adscripti sunt.

4) Quod accidere potuit cum dies „natalis” ignotus erat. Interdum fideles habebant (e.g. si alio die basilicam ad martyris honorem dedicaverant vel reliquias apportaverant) quod a consuetudine recederent.

5) Martyrium Polycarpi, § 18; Eus. HE IV, 15, 44.

6) Ep. 12, 2, ed. Hartel II, p. 503.

7) Ep. 39, 3, ed. Hartel II, p. 583.

8) Cf. quae de Cypriani epistulis diximus. Illis quae in „Depositione” ipsa leguntur ductus, Achelis (Die Mart, p. 17) idem concludit.

9) Anno 1837 W. Cureton in Aegypto codicem, qui cum multa alia tum hoc martyrologium continebat, invenit sed neglexit. W. Wright primum edidit (1866). Habilem editionem imprimendam curavit H. Lietzmann, Die drei ältesten Martyrologien, 2e Aufl., Bonn 1911.

Medio fere saeculo quarto Nicomedensis quidam vir fuit qui plus quam 30 ecclesiarum Orientis¹⁾ diptycha ut videtur²⁾ in unum collegit. Privatum virum potius, ut in unum libellum omnes martyres „orientales” quos sciret colligeret, quam ecclesiasticum „für liturgische Zwecke”³⁾ id fecisse, arbitrator. Quoquo modo res se habet, opus Nicomedense periit. Eius exemplar paucis auctum⁴⁾ in Mesopotamiam venit et 411 Edessae ex graeco sermone in syriacum translatum est. Est hoc martyrologium quod Cureton repperit, Wright in linguam Britannicam⁵⁾, Duchesne in linguam Graecam⁶⁾, Egli⁷⁾ et Lietzmann⁸⁾ in linguam Germanicam versum ediderunt.

Aliud exemplar, (quod MNH dico) in plerisque cum MS congruens, diutius Nicomediae mansisse, deinde, priusquam post annum 459 in Italiam atque Romam venit, in Moesia fuisse videtur. (Cf. p. 36).

Romae interea antiquiori martyrum Depositioni per annos nomina diesque festi multorum martyrum episcoporumque Romanorum adscripti erant. Quocum calendario (quod ipsum hac forma non superest) martyrologium graecum modo dictum (quod exemplar martyrologii Nicomedensis non magis superest) inter annos 459 et 544 coniunctum est. Cum eodem fere tempore kalendarium Carthaginiense⁹⁾ huic kalendario

1) Qua voce et in posterum omnes partes Imperi Romani a Diocletiano divisi ad praefecturas Orientem, Illyricum, diocesis Illyricum praefecturae Italiae pertinentes indicantur.

2) Certum est in martyrologio quod superest (cf. infra) plus quam 30 urbes nominari. Ex singulis urbibus unius aut plurium martyrum dies quibus martyrio affecti sunt aut celebrabantur (qui dies saepius non idem sunt) indicantur. Ei autem qui composuit omnium ecclesiarum, quarum in nonnullis plures martyres colerentur quam MS habeat, diptycha praesto fuisse non credo. Praeterea identidem non urbi cuidam sed provinciae tantum martyr attribuitur (e.g. Mart. 7 In Africa Perpetua, Febr. 23 In Asia Polycarpus, Oct. 16 In Asia Decius), quae commemorationes ex diptychis cuiusdam ecclesiae deductae non videntur (cf. p. 4).

3) Achelis, *Die Mart*, p. 66. Omnium martyrum nomina in MN et MS memorata in cotidianis sacris cuiuspiam ecclesiae velut Nicomedensis legi solita esse nulla re demonstratur. Qui ritus multo post cum martyrologia, quae non modo dies natalis et urbes sed etiam breves vitas martyrum haberent, ut adhiberentur in morem venit.

4) Quod cum multis aliis hocce in prooemio dictis in disputationis fine demonstrare conabor.

5) *Journal of sacred literature* VIII, p. 45 sqq.

6) *AS.*, Nov. II, 2, *Prolegomena*, p. [LII] sqq.

7) E. Egli, *Martyrien und Martyrologien ältester Zeit*, Zürich 1887.

8) o.l. p. 7 sqq.

9) MK quod Mabillon edidit (*Achelis, Die Mart*, p. 18) permultorum Afrorum nominibus auctum.

Romano quidam insereret, antea, ut videtur, iam martyres qui in regionibus vicinis vixissent adscripti essent, mox illos qui in urbibus in septentrionali Italiae parte sitis celebrarentur martyrologio maiori quidam adderet, factum est ut martyres totius paene orbis terrarum uno libro continerentur.

Qui martyrologio graeco (MNH) kalendarium Romanum auxit¹⁾, duas epistulas (cf. p. 70) quibus opus suum Hieronymo attribueret, praefixit, quae epistulae, ut falsae putandae sunt, ita effecerunt ut martyrologium magnum in posterum Hieronymianum diceretur. Quod martyrologium Hieronymianum ad Gallos transiit ibique initio saeculi septimi multorum „martyrum" Gallorum commemorationibus²⁾ addendis perfectum est³⁾; deinde saepissime descriptum in omnes regiones Occidentis pervenit. Complures codices adhuc exstant⁴⁾, qui non solum in illis, quae in urbibus monasteriisque in quibus singuli in usu fuerunt, addita sunt, discrepant, sed in primis modo quo ea quae omnibus communia sunt magna negligentia summaque ignorantia eorum fui scripserunt confusa, corrupta, depravata sunt, multum differunt ita, ut Bollandiani Iohannes Baptista de Rossi et Ludovicus Duchesne, qui tandem librum magnum ediderunt, non unum exemplar fundamentum eligere ausi sint, sed quatuor codices imprimendos curaverint⁵⁾. Praeter Bollandianos ex quibus de Rossi, Duchesne, Delahaye nomino in primis H. Achelis de omnibus illis scripsit. Cuius impulsu hac in disputatione Martyrologium Nicomedense quale erat tum cum kalendario Romano adiunctum est, restitutus

1) Quem virum verbis q.s. interpret Romanus, vir Romanus indicabo.

2) Quas commemorationes martyrum verbis quoque q.s. memoria, articulus, caput, adnotatio, notatio indicabo.

3) De loco et tempore acre certamen inter viros doctos L. Duchesne et B. Krusch exortum est. (Neues Archiv der Gesells. für ältere Deutsche Geschichtsk., B. 20 (1895), p. 437 sqq., B. 24 (1899) p. 314 sqq., B. 26 (1901) p. 351 sqq.; Duchesne respondit in libris q. s. Bulletin critique 1897, p. 301, AB XVII, p. 421 sqq., AB XX, p. 241 sqq.). Omnibus perpensis Duchesne qui putat clericum Autissiodorensem anno fere 600 MH perfecisse magis assentior.

4) De Rossi in prolegomenis MH 37 enumerat describitque.


5) Qui sunt: I. codex Epternacensis (E) nunc Parisinus 108 anno fere 705 in coenobio Epternacensi exaratus ad usum Willebrordi Frisiorum apostoli; II. fragmentum Lareshamense (L) saeculo VIII vel IX in coenobio Lareshamensi scriptum; III. codex Bernensis 289 (B); descriptus est Hilarioco monasterio non ante a. 766. IIII. (W) martyrologium Wissenburgense e codice „Guelferbytano inter Wissenburgenses 81", anno 772 exaratus. Cum Bernensi ad unum idemque exemplar (quod in hac disputatione BW vel Y dicam) redigi posse videtur. Hunc codicem Florentinius 1668 edidit.

sum¹⁾. Primum commemorationes, quas MH singulis diebus adnotat examinans, quae in MNH inventae fuerint, constituere conabor, deinde nonnulla de MS et praesertim MNH admoniturus sum. Nos sane ab initio non praeteriit hoc martyrologium si verum quaerimus restitui non posse. Desperatae ut ita dicam codicum lectiones obstant; ad hoc in MH permulta ad Orientis martyres sanctosque viros pertinentia reperiuntur, quae MNH non habuisse certum aut verisimile saltem est: in romano calendario iam legebantur aut MH posterius ex actis aliisque fontibus adscripti sunt; permultis autem in rebus fieri non potest, ut quo ex fonte cuiusque memoria fluxerit, statuamus.

Attamen quantum potui disputationem perfeci. Perfeci, licet imperfectum opusculum futurum esset, quia spero aliquas quidem ex multis quaestionibus quae in antiquioribus martyrologiis tractandis oriuntur solutas esse. Qua opera efficitur ut ille rerum plenus sed diu neglectus liber magis magisque explanetur. Ita fortasse doctioribus tandem continget ut clare in partes dissolvant Martyrologium Hieronymianum quod est ut Delahaye sermone venusto dixit²⁾ „pour nous comme un vaste champ de ruines, couvert autrefois de basiliques, de palais et de tombeaux. Les tremblements de terre ont secoué les édifices sur leurs bases et bouleversé les monuments, les barbares ont retourné les débris, dissipé les matériaux, fouillé les sépultures; la négligence des générations nouvelles a achevé l'oeuvre de destruction. Le touriste jette à peine un regard sur ce spectacle de désolation; l'archéologue ne se laisse arracher qu'avec peine à la contemplation de l'amas informe de décombres qui pour lui recouvre tout un passé. Et il s'arme courageusement de la pioche avec le vague espoir de le faire revivre avec le certitude de faire sortir du sol des restes d'un haut prix, un nom, une date, un fait nouveau, qui éclairent tout un ensemble. On fouillera longtemps encore le sol aride de l'hieronymien et si l'on ne peut se promettre de relever des temples et des portiques on en retirera beaucoup de débris d'une valeur incontestable”.

1) Mirum sane est MNH non Graeco sed Latino martyrologio servari. Erant paucis saeculis post MNH perfectum permulta et maiora graeca martyrologia quae usque ad hoc tempus diversis nominibus (quae sunt synaxaria, menologia, menaea) discernebantur, quoad vir doctus Delahaye haec omnia varios codices unius plenioris synaxarii fuisse intellexit, quod Synaxarium Constantinopolitanum egregie edidit (1902). Quod Synaxarium autem complurium martyrum qui et in MS et in MH (ex MNH) partim iisdem, partim aliis diebus leguntur, commemorationes non ex MN vel MNH ipso deduxit. Multa iam collegeram ut quae ratio inter MN, MS, MNH, MH et SC intercedat explorarem: magis adaucta tamen disputatio quam initio in animo habui me docendi munere implicitum ab hisce explorandis absterruit.

2) AB, XXVI, Le témoignage des Martyrologes, p. 99.



I.

QUAE INTERPRES ROMANUS IN MNH LEGERIT.

VIII kal. ian. Sirmii Anastasiae.

Initio iam martyrologii multae quaestiones ponuntur. De Natali dominico postea dicturi sumus (Cf. p. 50). Altera est quaestio, quae fuerit martyr, cui nomen Anastasia. E B W habent *et Sirmii Anastasiae*. L *Sirmii et Anastasiae quae de Roma sanctos secuta quae (qui) ad martyrium ducebantur haec (hic) gloriosam pertulit passionem*. In extremo laterculo omnes codices praeterea *Constantinopoli sancti Anastasi [virginis B]*. Quaeritur sitne Anastasia Sirmiensis an martyr Constantinopolitanus nomine Anastasius.?

VIII id. ian. in voce *in Sirmio* Anastasia iterum memoratur. Sine dubio articulus VIII kal. ian. relatus errore saepissime occurrente¹⁾ VIII id. ian. repetitus est similique errore VI id. ian. tertium legitur. —

Quaestiones, quae ad articulos in MH memoratos attinent, persolvere difficilius est. Si rogor, quo loco Anastasia vixerit mortemque occubuerit, respondeo: „Sirmii”. Quod non modo MH (ex antiquiore fonte) indicat: Sirmio reliquiae Constantinopolim translatae sunt²⁾. In actis, cum graecis³⁾ tum latinis⁴⁾, passio Anastasiae cum Chrysogoni, Agapae, Irenae, Chioniae, Theodotae passionibus coniuncta est. Quibus in actis Anastasia narratur Diocletiani temporibus Romae vixisse viroque gentili nomine Publio nupta esse. Chrysogonus quidam eam praeceptis doctrinae Christianae imbuat. Marito mortuo cum eo magistro Aquileiam proficiscitur. Qua in urbe Chrysogonus martyrium patitur. Anastasia tribus sororibus Agapae, Chioniae, Irenae occurrit, quae paulo post mortem gloriosam occumbunt. Denique (nec quo loco nec quo modo acciderit, narratur) in Theodotam, civem Nicaensem, incidit. Theodota quoque cum filiis supplicio affecta Anastasia ad praefectum Illyricum adducitur,

1) Permulta huius erroris exempla affert Achelis, *Die Mart*, p. 193 sqq.

2) Nicophorus, H. E. XIV, 10; P G, CXLVI, c. 1089.

3) P G, CXXI, c. 573 sqq.

4) Mombritius I, p. 354; A S, Apr. I, p. 284. Recentiores ex una Anastasia duas fecerunt. Sunt acta Anastasiae martyris, quae in monasterio Italico temporibus Decii Valerianique vixit et passa est. (BHG 77, 78; BHL 404) SC hanc martyrem Oct. 12 et 29 memorat. Nicephorus, H.E, VII, 14 (P G, CXLV, c. 1236).

a quo, cum in mare iniecta incolumis evasisset, viva comburitur¹⁾. Graecis in actis, ubi de vita decesserit, non accurate indicatur; acta latina, in ceteris parum a graecis differentia, eam ad insulam Palmariam vectam esse exhibent²⁾. Si acta diligentius leguntur, patet tres vel quattuor passiones ineptum in modum a scriptore quodam coagmentatas esse. Qui scriptor Anastasiae vitam, ut passiones coniungeret, adhibuit. De martyribus in his actis memoratis Chionia et Agape (Apr. 2) et filii Theodotae (Sept. 2) Syriaco adscripti sunt. MH memorat

kal. apr. et non. apr. Thessalonicae nat. sanct. virginum Chionia, Agape, Irenae.

III non. sept. In Nicomedia Theodotae et filiorum eius.

III non. aug. In Bitia civ. (in Caesarea Mauritaniae BW) Theodotae cum filiis eius.

X kal. dec. In Ostea (in Africa W) Chrysogoni.

IX kal. dec. Romae [et mart W] Chrysogoni.

VIII kal. dec. Romae nat Chrysogoni (In Aquileia civ W).

Ex antiquioribus fastis latinis Chronographus anni 354 eorum neminem affert. Leonianum³⁾:

„VIII kal. dec. nat. sanct. Chrysogoni et Gregori“.

„VIII kal. ian.: et Anastasiae“.

MK post sanctum Clementem (VIII? kal. dec.) nulla die adscripta: „sancti Chrysogoni martyr.“ SC Anastasiam, Chrysogonum, Chioniam, sqq. Dec. 22 et 23 habet, Agapen, Irenen, Chioniam Apr. 16, Theodotam Iul. 29 et 30, Chrysogonum Nov. 24.

Chioniam, Agapen, Irenen, Theodotam martyres Orientis fuisse (quod iam ex actis colligere potuimus) hi articuli confirmant. Chrysogonus autem in Occidente vixit. In MS omnino non legitur, SC Nov. 24 strictim eum memorat⁴⁾. In Italia tantum, quod sciamus, Chrysogonus celebrabatur⁵⁾. Leonianum primum Chrysogonum exitio mensis novem-

¹⁾ In „Menologio Basilii“ (quod menologium Delahaye codicem B synaxari Constantinopolitani dicit) igne illaesa denique securi percussa esse dicitur.

²⁾ At martyr in Illyrico fuisse videtur et Palmaria in mari Tusco sita est.

³⁾ Sacramentarium Leonianum exeunte saeculo quinto scriptum esse inter multos viros doctos convenit; Duchesne et Lietzmann librum circiter annum 550 compositum esse credunt. Cf. F. Probst, Die ältesten römischen Sacramentariën und ordines . . . , Münster, 1892. (Leonianum ipsum apud Migne, P L, LXXIV, c. 877 sqq.) H. Lietzmann, Petrus und Paulus in Rom, 1915, p. 24.

⁴⁾ Dec. 22 et 23 codices fastorum Graecorum passionem Chrysogoni habent: Nicaeam, non Aquileiam eum deductum esse invenimus. Nonnulli codices eum *ἑπαρχον πόλεως Θεσσαλονίκης* dicunt. Haec omnia tamen commenticia, credo, scriptorum recentiorum sunt.

⁵⁾ Les orig., p. 340, 371 sq.

bris Romae coli habet. In MH isdem diebus eius memoria saepius occurrit ex variis, ut videtur, fontibus. MK quoque exeunte mense novembri Chrysogoni memoriam habet, ex quo maiore cum fide Chrysogonum martyrem Romanum fuisse existimare nos licet: complures Romani martyres in Africa celebrabantur¹⁾. Aquileiae quidem „ad aquas gradatas“, ut in actis legimus, martyr necatus est. Sed Roma hanc in urbem productus est „quia Imperator hac in urbe morabatur“. Causa igitur non est, quod dubitemus quin ille Chrysogonus idem martyr fuerit, qui anno fere 500 in fastis Romanis et Carthaginiensibus memoratur, qui Romae sua in ecclesia³⁾ celebrabatur.

Sed ad Anastasiam redeamus. Anno 499 Romae ecclesia erat, quae „titulus Anastasiae“ nominabatur, quod verbum hanc basilicam vel ab Anastasia quadam vel ad eius honorem exstructam esse, significat. Romae igitur exeunte saeculo quinto mulier nomine Anastasia non solum cognita sed quacumque de causa praeclarior fuit. Ut eadem sit quae martyr Sirmiensis, fieri sane potest. Quae martyr, postquam circiter annum 460 eius reliquiae Constantinopolim transvectae sunt, in Oriente celebrari coepta est. Constantinopoli basilicae ei dedicatae exstructae sunt⁵⁾, Chersonae in hypogaei introitu haec inscriptio (saec. V vel VI) inventa est: *μνημεῖον τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀναστασίας*⁶⁾. Initio saec. VI homines Orientis multum commercium cum Occidentis habebant, qua re cultum Anastasiae in Italia pervulgatum esse non mirum est.

Licet ecclesiam cui nomen titulus Anastasiae mulier quaedam Romana huius nominis aedificaverit, nomen eius paulatim splendore et gloria Sirmiensis *φαρμακολητριάς*⁷⁾ obscuratum est. Plane eius memoriam obliteravit vir graecus⁸⁾, qui pleniorum passionem composuit, quippe qui Romanam cum Illyrica confuderit.

Elogium, quod in L legimus, ex actis, quae supersunt, sumptum non videtur. In quibus de Sirmio mentio non fit. Fieri potest, ut brevior adnotatio in E B W ex alio fonte, velut ex MNH deprompta et passio

1) Die Mart., p. 24 sq.

2) Adhuc Aquileiae inscriptio in lapide incisa invenitur: „hic iacet Chrysogonus“.

3) Cf. de titulo Chrysogoni C. M. Kaufmann, Handbuch der altchr. Epigraphik, Freiburg im Breisgau, 1917, p. 258 sq.

4) Vide Acta Romanorum conciliorum, a^o 499; Grisar, St. Anastasia di Roma, Analecta Romana I, p. 595 sqq.

5) Les orig. p. 274 sq.

6) Les orig. p. 292.

7) Cf. de hoc nomine Nilles, p. 359.

8) Cf. H. Günter, Legendenstudien, Köln 1906, p. 70.

postea codici L adscripta sit; totum autem articulum ex actis desumptum esse posse, omnino negare non audeo ¹⁾).

Quod ad Anastasium (am) pertinet, aliquis eum Anastasium episcopum Constantinopolitanum fuisse putet. Cui non assentior. Anno 754 enim obiit et Febr. 10 sua in urbe colebatur. Martyr huius nominis Constantinopoli ignotus est: ex actis Anastasiae articulum, qui in laterculi fine legatur, MH adiunctam esse puto. —

De Saturnino Pergameno nil inveni. Non fuit, credo, Pergamenus huius nominis martyr. Verba, quae in fine laterculi adnotationem *In Pergamo Saturnini* efficiunt, depravata nomina sunt Afrorum, qui supra in laterculo memorantur. (*Simforiani (simproniane L.) Saturnini*).

VII kal. ian. <Hierosolymis primus martyr Stephanus apostolus, martyrum princeps.>

De Stephano cf p. 58 Praeterea legimus [*et alibi E) Heliae, Dorostoli [et passio sancti B) Martini, (Marini, Martiani B) (Marciani . . Marini, Martiniani L) (Martiani W) Menandri (Neandri BWL). et*

VI kal. iun. In Thomis Heliae, Luciani, Zotici, Marcialis . . .

VI id. iun. Dorostoli . . . Marciae, Muciani, Helii, Luciani, Zotici.

In Aegypto Marciani.

In Dorostoro cir. nat. sancti Marci.

non iun. In Aegypto Marciani, Nicandri, Apolloni [quorum gesta habentur BW] <in Roma> . . . Marcialis, Iuliae, Nicandri.

non apr. In Aegypto Marciani, Nicanoris, Apolloni.

Hoc articulos inspiciens, nemo dubitare potest, quin eadem nomina in variis vocibus saepius legantur. Ad expediendos articulos obscuros MS tamen quod sequi possimus afferre videtur, cum Iun. 5 habeat *Ἐν Τόμει τῇ πόλει Μαρκιανὸς καὶ ἕτεροι μάρτυρες γ'*. Quo modo factum sit ut in MH eodem die legatur *In Aegypto*, Achelis ita explicat ²⁾: librarium urbem Tomos in Moesia sitam Thmuim quae est urbs in Aegypto, putavisse. Cui nonnulla opponere habeo. Achelis ipse illum librarium MNH in MH accurate diligenterque transtulisse dicit ³⁾. Minime probabile igitur est (cum praesertim neque in MS neque in MNH mea opinione de urbe Thmui sermo sit) *eum* urbis nomen saepe occurrens non agnovisse illoque modo MH adscripsisse.

Omnino magis in promptu est librarium aliquem errato Tomos pro

¹⁾ Perpauca de Anastasia ipsa affert: *Ἐκδρομὴ εἰς τὴν βασιλικὴν καὶ πατριαρχικὴν μονὴν τῆς ἁγίας Ἀναστασίας τῆς φαρακολυτρίας τὴν ἐν τῇ Χαλκιδικῇ* a P.N. Papageorgio, *Byz. Zeitschr.* VII, p. 57 sqq. Plura sed fabulosa Büchler, *Das Leben St. Anastasiae*, München 1668.

²⁾ *Die Mart.*, p. 88.

³⁾ *Die Mart.*, p. 91.

Thmui, nomen urbis notae pro ignotioris urbis nomine, legere, qui error re vera in MH (VI kal. sept.) invenitur.

Adnotatio ex *actis* sumpta est, id quod verbis q. s. *quorum gesta habentur* confirmatur. Quibus in actis „in Aegypto” legebatur.

Fontes graeci¹⁾ omnes consentiunt Iun. 5 decem martyres *Μαρκιανόν, Νικάνδρον, Ἀπολλῶνα, Λεωνίδα, Ἀρεῖον* κ. τ. λ. in Aegypto obiisse. Iun. 8 in SC Nicander et Marcianus memorantur, qui duo milites in persecutione a Maximiano commota, cum fidem deserere recusavissent, securi percussi sunt. De illis quoque acta reperiuntur²⁾; in quibus, qua in urbe passi sint, non indicetur licet, nonnullis tamen indiciis eos in Moesia vixisse apparet: in passione quidam Pasicrates occurrit, quem Synaxaria graeca³⁾ Durostorensem vocant⁴⁾; qui martyr ad eundem praefectum ad quem Nicander et Marcianus, adducitur.

Acta latina⁵⁾ sanctos, postquam in Campania „evangelizerint” et pro fide Christiana necati sint, aut ambos Atinae, aut alterum Atinae, alterum Venafri sepultum esse referunt. Achelis, cur haec oppidula in Italia sita, martyres Moesiacos sibi vindicaverint, semper obscurum fore, arbitratus est⁶⁾. Fieri potest, nisi fallor, ut aliquis clericus Atinas, similitudine nominum adductus, verbum q. e. *Tomis* (cui urbi in MS et MH Marcianus cum suis attribuitur) *Atinae* esse putaverit ita ut ex martyribus Milesiis Toletenses⁷⁾, ex Apameno Palencianus et Pamiensis⁸⁾, ex Nicaensi Caensis⁹⁾ facta est.

Adnotationem syriacam vitiosam esse, neque eum, qui MNH transtulit, eandem, quae in MS inveniatur, legisse, contendere non velim¹⁰⁾. Utcunque res se habet, ex actis Aegyptiorum Marciani, Nicandri, Apollonii, sqq. articulus, quem in MH legimus, depromptus est. Moesiacorum (Marciani et Nicandri) quoque acta, atque graeca quae adhuc supersunt, vel illis simillima, librarius habuit. VIII kal. ian. in B: *et passio Marciani et Nicandri*. (Cf. de verbo q. e. passio p. 19.) Moesiacorum martyrium cum Iuli actis, in quibus Pasicrates, Valentio, Hesychius memorantur, qui omnes eodem tempore Durostori passi esse dicuntur,

1) SC Iun. 5., Acta AS, 5 Iun. I, p. 419.

2) A S, 17 Iun. III, „acta vetustiora”, p. 270.

3) Apr. 24.

4) MH VIII kal. iun. *Durostori Pasicratis et Valentionis*.

5) A S, 17 Iun. III „acta recentiora”, p. 274.

6) Die Mart., p. 151.

7) Cf. XV kal. febr.

8) Cf. III non. sept.

9) Cf. III non. mai.

10) Immo, eum eandem legisse vero propius puto.

coniunctum est¹⁾; excepto Iulio omnes in MH nominantur: Pasicrates et Valentio in articulo obscuro, quem VIII kal. iun. invenimus²⁾; (*cum aliis* IIII³⁾) Hesychius XVII et XV kal. iul. Quatenus passiones ad fidem historiae scriptae sint, non inquirō. Tres Tomitae praeter Marcianum in MS dicti nec cum Aegyptiorum nec cum Moesiacorum numero congruunt; praeterea Marcianus Durostorensis videtur, qui VI id. iun. sua in urbe celebrabatur. Non. iun. idem fortasse cum aliis martyribus Tomis colebatur. Non est omnino repudiandum nomen Hesychii in MS Iun. 15 aut 17 occurrisse; articulos de eo memoratos ex actis fluxisse non minus probabile est; rem hic non diiudico. Pro articulo Iun. 5 in MS relato ab eo, qui MNH Calendario Romano adscripsit, adnotatio ex actis „Aegyptiorum” subiecta est. Iun. 8 in MN et MNH nonnullos martyres in voce „in urbe Durostoro” memoratos fuisse veri simile est.

Hoc loco denique quaeritur sintne idem Moesiaci Nicander et Marciani qui Aegyptii? Quod affert Achelis⁴⁾, ut martyrium Aegyptiorum ex actis latinis Moesiacorum pendere comprobet, parum efficax est. Passiones nimis differunt; praeterea qua de causa ceteri „Aegyptii”, quorum nomina non sunt „Moesiaca”, additi sunt? Prioribus duobus eadem nomina esse casu vel potius errore librarii accidisse potest. Sed opinari modo, demonstrare nihil nos posse, confiteor. — De Iuliano in MH memorato cf. VIII id. ian.

VI kal. ian. <Iohannes et Iacobus apostoli Hierosolymis.>

De quibus p. 61.

V kal. ian. <Romae Paulus apostolus et Simon Cephas, princeps apostolorum nostri Domini.> <Ancyrae in Galatia>

Euty chius presb., Domitianus diac. <In Thracia Gaianus.>

Cf. de apostolis p. 62; de Infantibus innocentibus p. 63; de Gaiano IIII id. apr.; de Thomae „translatione” p. 64; Euty chius et Domitianus prorsus ignoti sunt. Suntne Ancyrani? (Cf. p. 63.)

¹⁾ In martyrio Marciani et Nicandri de Papiano fratre Pasicratis, sermo est. Cum Marcianum et Nicandrum, tum Pasicratem Atinates sibi vindicaverunt. (Cf. BHL 6470.)

²⁾ Florus Iulium, cuius acta ei praesto erant, post dies duos inter Afros nominari arbitratus est. Illo die (VI kal. iun.) eum martyrologio suo adscripsit.

³⁾ Florus VIII kal. iun. (Quentin, p. 265) „et aliorum *duorum* simul coronatorum”. Qui numerus fortasse rectus est, verbum q. e. coronatorum falsum: in MH in *Gortyna*.

⁴⁾ Die Mart., p. 152.

III kal. ian. Bononiae Hermas exorcista et Gaius, Aggeus (?), Heraclius. Ratiariae Hermas exorcista.

In voce *In Alexandria* decem vel undecim martyres memorantur, qui Alexandrini non sunt. Tres ex illis *Mansuetus, Alexander, Donatus* II kal. mart. rursus leguntur, quo die in E pro *Alexandri. In Alex* legitur. Ceteros paene omnes proximis diebus inter Afros reperies. Codex L elogium *Perpetui, qui Martini basilicam aedificavit*, refert.¹⁾

MS Dec. 30 Hermam exorcistam habet, qui Bononiae celebrabatur. In MH eius aliorumque Moesiacorum martyrum memoria proximis diebus legitur:

II kal. ian. [Bononia Gagi LBW]

Retiaria Hermetis [exorcistae LBW]

kal. ian. In Retia (E L) (In Ricia BW) Evanti, Hermetis.

In Bononia Gai, Iacti, (Acti B, Appi W) Heracli.

II non ian. In oriente civit. Bononia, Hermetis, Aggei, (Argei W) Gai.

Sine dubio Romanus, qui MNH latine vertit, articulum Hermae (quem fortasse Dec. 31, II kal. ian. legit) II non. ian. MH adscripsit. Tum primum nomen urbis Bononiae legit, cui nomini verbum q. e. *in Oriente* addidit, ut distincte ab urbe in Italia sita disiungeret. Veri simile non est eum, postquam II kal. ian. et kal. ian. Bononiam scripserit, II non ian. tandem additamentum necessarium indicavisse. Videntur in MNH Hermae non nulli Bononienses adiecti fuisse. An kal. ian. ab eo secreti celebrabantur? Inter haec diiudicare facile non erit²⁾.

Kal. ian. Nicomediae Euphrasius episcopus.

De articulo Nicomedensi (*Nicomediae Eufrosini epi*) haec. Episcopus huius urbis, cui nomen Euphrosinus sit, nullus occurrit. Synodo Constantinopolitanae (381) autem episcopus Nicomedensis nomine Euphrasius interfuit³⁾, quem Gregorius Nysaeus in epistula (XVII) ad Nicomedensis scripta, *μακάριον* dicit ut, quo tempore illa epistula missa sit (inter annos 380 et 390), eum iam mortuum esse concludere nobis liceat. Eum, credo, articulus indicat. Minime me fugit

¹⁾ Vid. de Perpetuo Greg. Turon., *Hist. franc*, II, 11 et X, 31. C. Chevalier, *Les origines de l'église de Tours d'après l'histoire*. C. H. van Rhijn, *Martinus van Tours*, Utrecht 1912, p. 98.

²⁾ Nomen q. e. Aggeus non constat. Kal. ian. dicitur Iactus, Appius vel Actus. Fortasse nil nisi iteratum nomen Gai est. Eo nomine Haggai, cuius praedictiones in Testamento Vetere leguntur, significari, Duchesne iniuria credo arbitratus. (Prolegomena, p. [LXXX].)

³⁾ Oriens Christianus, I, p. 581.

quod Achelis docuit, saepe martyres, praesertim ex finitimis pagis episcopos in fastos metropolitanos acceptos esse, ut Euphrosini episcopi memoria, etiamsi Nicomedensis non fuerit, Nicomediae celebrari potuerit. (Cf. de ceteris Nicomedensibus episcopis p. 8.) *Primiani et aliorum VIII*, qui in omnibus codd. in voce Nicomediae leguntur, Afri sunt, quod ex articulo, qui sequitur, apparet.

Multo difficilior magisque perplexa fit quaestio de Euphrosino, si videmus quae recentiora martyrologia, cum graeca tum latina, habeant. Quae praeterea, qua ratione MEM auctores egerint, ostendunt. MH

kal. ian. Nicomediae Eufrosini ep

III id. febr. In Campania (Apamea BW) Eupraxi

III id. mart. Nicomediae Eufrasiae

Ex recentioribus latinis martyrologiis habent ML, Florus, Ado, Notker kal. ian. „Alexandriae Euphrosynae”; ML, Ado, Usuard, Notker, Rabanus III id. febr. „Alexandriae Euphrasiae, quae”; Usuard, Baronius III id. mart. „In Thebaide Euphrasiae”. Omnibus patet hos dies cum diebus in MH relatis arte coniunctos esse. Scriptor ML habuit, opinor, passiones Euphrosynae et Euphrasiae. Propter similitudinem, quae est inter nomina q. s. Eufrosinus et Euphrosyna elogium Euphrosynae MH ad kal. ian. adscripsit; adscripsit in voce: „in Alexandria”, quod eam ibi vixisse acta perhibent. Cum porro in MH nomen Euphrasiae quaereret neque inter magnam nominum copiam III id. mart. commemoratam animadvertisset, Eupraxium Apamenum (III id. febr.) eundem esse putavit! Similitudine fortasse passionum Euphrosynae Euphrasiaeque adductus, eam quoque Alexandriae attribuit: in actis nobis traditis nusquam de illa urbe sermo est. Florus, Ado, Notker ML secuti sunt. Notker praeterea III id. febr. „In Apamea Paeonis, Euphrasii” habet. Usuard, postquam accuratius acta legit „In Thebaide Euphrasiae” scripsit. Invenit in MH III id. mart. nomen martyris Euphrasiae, qua re Aegyptiae martyris passionem III id. mart. suo martyrologio adscripsit, licet in MH Euphrasia Nicomedensis dicatur! Nec vero articulum Euphrasiae, III id. febr. in ML relatum, amovit. Baronius eum inutilem falsumque esse intellexit. —

Minime in dubio est quin mulieres, quarum martyria ex actis deducta

1) PG XLVI, c. 1057.

2) Die Mart., p. 56.

3) Latina (III id. febr. et XVII kal. oct.) BHL 2722—2726; Graeca (Sept. 25) BHG 625, 626; Cf. A. Boucherie, Vita s. Euphrosynae.

4) Latina (III id. mart.) BHL 2718—2721.

in MEM leguntur, ad martyres in MH memoratos, nil pertineant. Potthast Euphrosynam mulierem esse, cuius fata historiae fide comprobata sint, arbitratur¹⁾. Postquam acta legi, viro docto Delahaye assentior, haec scribenti: „Les santes Marie ou Marine, Apollinaria, *Euphrosyne* Theodora, qui ne sont autre chose que des répliques littéraires de la Pélagie du faux Jacques" etc.²⁾. Quae de Euphrasiae vita enarrantur fabulosa sunt. Constantinopolitana dicitur, quae, cum parentibus mortuis a principe Theodosio in matrimonium collocaretur, Thebaiden fugerit, ubi, multis miraculis editis, magno honore praedita e vita excesserit. Multa in hac fabula cum Euphrosynae vita congruunt. Quae virgo cum a patre nubere cogeret, effugit et Christo desponsa est. Acta utriusque virginis scriptores recentiores commenti sunt. De circumcissione cf. p. 53, de Herma, Gaio III kal. ian., de Stephano p. 58, de „Alamachio" p. 32.

III non. ian. <Antiochiae in Syria Domnus episcopus>

Codices habent *Isiridoni ep. Antiochiae* (*Antiochia Siridoni ep. eiusdem loci* LBW) [*et in alio loco*] *Stratonici, Maccari, Abbani, (abbatis LBW) Saturi, Possessoris, Firmi, Maximiani* De articulo „Isiridoni" multi iam egerunt. Ab initio enim viri docti Antiochenum episcopum huius nominis non extitisse, intellexerunt. Achelis³⁾ eum Syriacum episcopum fuisse arbitratur, qui forte Antiochiae passus, hac in metropoli honoratus saltem sit. Alii articulum vitiose traditum esse putaverunt. Rosweydius⁴⁾: „Donus episcopus loco vel ergastulo Isiris necatus." Mihi melior lectio videtur, quam in titulo dedi⁵⁾. Fieri posse ut Isidorus episcopus Aegyptius designetur, infra edisseremus. Quo loco ceteri martyres excepto Macario abbate vixerint, incertum est. Macarius abbas videtur praeclarus Aegyptius monachus, cuius vita exponitur in Palladi libro, qui inscribitur *Τὸ Λαυσιακόν*. De multis monachis, quibus hoc nomen fuerit, Palladius et qui scripserunt de monachis Aegyptiis, egerunt, e quibus clarissimi sunt *Macarius Aegyptius*, ille magnus, Antonii discipulus,

1) A. Potthast, Bibliotheca historica medii aevi, Berlin 1896, II², p. 1298.

2) H. Delahaye, Les légendes hagiographiques, Bruxelles 1905, p. 229.

3) Die Mart, pp. 56 et 58.

4) AS, 2 Ian. 1, p. 83.

5) Saepius in MH Antiochiae nomen provinciae additum est: III non mart, XVII kal. mai, X kal. iul., XIV kal. nov., IX kal. ian. De Domno, qui fere a. 274 obiit, conf. Eusebius, H.E. VII, 30,17, VII, 32,2 (Schwartz pp. 712 et 716); Lequien, Oriens Christianus, II, p. XXVIII sqq.

6) Usus sum egregia Butleri editone, Text and Studies, V, 1 et 2, Cambridge 1898 et 1904.

qui Nitriae et Scitii vixit (§ 17) et *Macarius Alexandrinus*, de quo Palladius scribit (§ 18): *Ἐἶχε δὲ κέλλας διαφόρους ἐν τῇ ἐρημῶ· μίαν ἐν τῇ Σκήτει, κ. τ. λ.* Uterque monachus libro VIII „Vitarum Patrum”¹⁾ (quae Vitae sunt Historia Lausiaca latine conversa) abbas dicitur. Quidam ex iis, qui MEM composuerunt, MH Ian 2 monachum „Alexandrinum” indicare rati sunt. Apud Florum²⁾ primum III non. ian. „Macarii abbatis”, nullo loco addito legimus; Ado Florum secutus est. Usuardus et Baronius habent „In Thebaide Macarii abbatis”. Quamquam non satis constat ubi monasteria supra dicta fuerint³⁾, prope Thebaidem certe fuerunt. Palladius praeterea Macarium Alexandrinum diu in Thebaide moratum esse narrat⁴⁾.

Omnia haec martyrologia usque ab Adone alterum Macarium memorant. (XVIII kal. febr. „Macarium discipulum Antoni et Isidorum.”) Isidorus primum monachus in coenobio *εἰς τὸ ὄρος τῆς Νιτρίας*, deinde episcopus Hermopolitanus fuit, de quo Palladius cap. XLVI libri sui agit. Hos ambos cum Rufinus⁵⁾, tum Hieronymus⁶⁾ una commemorat, qua re inducimur ut quempiam quodam ex fonte MH III non. ian. adscriptum, putemus: „Isidori ep. Hermopolitani (aut Nitriensis?) et Macarii abbatis”, quae depravata nunc leguntur *Siridoni ep. [eiusdem loci LBW] Stratonici, Tubiae, Machari abbatis*. (B) Diiudicare rem non audeo, licet lectionem in titulo memoratam ei praeponam. — *Macarii abbatis* utique in antiquissimo iam exemplari ex ignoto fonte in margine adscriptum videtur. De Stephano cf. p. 58.

III non. ian. <Tomis Claudio, Eugenius, Rodius et tres fratres Argeus, Narcissus, Marcellinus.>

L *In Ellesponto civitate Parethia Cirici, Primi, Theugenis. Et in civ. Tomis Claudionis, Eugeni, Rodi et trium fratrum Argei, Narcissi et Marcellini, frueri Christiani, Fili episcopi, qui sub Licinio comprehensus, cum nollet sqq.*⁷⁾.

1) P.L., LXXIII, c. 1109. Tres interpretationes Historiae Lausiaca in libro Rosweydiano, qui inscribitur Vitae Patrum editae sunt; (P.L. LXXIII et LXXIII) vide Butler, I, p. 58 sqq. —

2) Quentin, p. 326.

3) De qua re copiose disserit Butler, l.l., II, p. 187 sqq.

4) Nother, ut MH: „In Antiochia Macarii”.

5) HE XI, 4 et 8, Schwartz p. 1004, 1005, 1013, 1014.

6) Hieronymus, Epist. XXVII (recentiore in divisione LXXXVI) ad Eustochoyem virginem; H. Opera, ed. Dom. Ioh. Martianau. Bened. Maur. e. Congreg. Parisiis MDCCVI, vol. IV, p. 677.

7) Ceteri codices usque ad nomen *Marcellini* fere congruunt. De passione in illis codd. et in L conf. p. 24.

Si quis iis lectis putet passionem ad puerum Marcellinum pertinere, valde erret. Acta latina Theogenis (quorum duae¹⁾ recensiones traditae sunt) et SC²⁾ docent hisce verbis passionem martyris Parii, temporibus Licini interfecti, narrari. Id modo inter acta et fastos graecos interest, quod acta latina perhibent Theogenem *filium* episcopi fuisse, synaxaria Theagenem vel Theogenem *ipsum* episcopum vocant, qui pro fide christiana Parium ad Zelicinthium producat. Quam MH *civitatem Parethiam* dicit, non dubito quin eadem sit quae est urbs Parium ad Hellespontum sita. Achelis quidem negat³⁾ „die Lateiner” *Parium* sic depravare potuisse; sed ex MH permulta nomina urbium et martyrum, aequae aut magis mutilata enumerare, facile est. Idem pro verbo q. e. *fili* legendum esse *Philiae* proposuit. (Phileas fuit praeclarus Thmuitanus episcopus, cuius memoria II non. febr. celebrabatur.) Huius passionem a quodam perperam III non. ian. (pro die II non. febr.) MH inscriptam esse, posteaque Acta „longiora”⁴⁾ et Menaea hanc adnotationem falsam (postquam verbum quod est *Philiae* in *fili* corruptum est) secuta esse, opinatur.

Qua in re ab viro docto prorsus dissideo.

10. Acta *Philiae* parum cum Theogenis passione congruunt.

20. Adhuc demonstrandum est MH ad „Menaea” pertinere.

30. Achelis difficultatem, quae nomine q. e. *Parethia* afferatur, non tollit. Nulla omnino urbs illo vel simili nomine in passione *Philiae* legitur.

40. Acta latina „longiora” non magis quam „breviora” MH secuta sunt; immo vero passio in MH relata ex actis exscripta est:

MH	Acta (AS, 3 Ian. I, p. 134.)
<p>pueri Christiani <i>fili episcopi</i>, qui sub <i>Licino</i> inter tirones <i>comprehensus</i>, cum <i>nollet militare, caesus</i> ad mortem <i>carcere</i> mancipatus missus in cippo est, donec <i>relatione</i> esset responsum; dimersoque <i>in mare</i> delato corpore eius <i>in litore</i> a religiosissimis</p>	<p>Tempore enim <i>Licini</i>.... <i>comprehensus est</i> in Phrygia cum esset <i>episcopi filius</i>.... et <i>cogebatur militare</i> a tribuno... Dixit: „ego Christianus sum.... <i>militare non possum.</i>”.... Tribunus iussit eum <i>caedi</i> fustibus.... quattuor figi palos.... Praecepit eum Tribunus <i>in carcerem</i> mitti.... Tribunus misit <i>relationem</i> ad Regem.... Rescripsit <i>Licinius in mare</i> eum mitti. Miserunt <i>in</i></p>

1) a. AB, II, p. 206 sqq.; b. AS, 3 Ian. I, p. 134 sq.

2) Jan. 2 (quidam codices Ian. 4).

3) Die mart, p. 117 sqq.

4) Acta quae Bollandiani in AS ediderunt; AB, II afferunt „breviora”. — Quae autem perpaulum discrepant; habemus igitur, quod duas recensiones unius eiusdemque passionis dicamus.

viris *depositum* et in *villa Amanti* religiosi viri, ubi *fiunt orationes magna.* (Rabanus: *curationes.*) *mare.... Venerunt fratres.... et sustulerunt corpus de litore et posuerunt.... in villa Adamanti fidelissimi viri.* In quo loco nunc *magna* fiunt *mirabilia.* (BHG 8108; AB. XVII, p. 121: *sanitates magna.*)

In codd. post verbum q. e. *Parethia* leguntur *Cirici, Primi*, quae cum Achelis legenda arbitror *Cyzici* et *prima* (sc. legio) de qua urbe quaque de legione in passione mentio fit.

Operae pretium est qua negligentia ignorantiaque auctores recentiorum martyrologiorum MH exscripserint, cognoscere. Elogium Marcellino, Theogeni, Tito, Philiae adscribitur! Martyr passus est Parii, Parethiae, Tomis, Cyzici, in Hellesponto! Quidam fasti variis diebus, variis martyribus unam et eandem passionem Theogenis adiunxerunt. Denique Achelis recte: „Eine Komödie der Irrungen”. –

Satis constat passionem Theogenis ex actis latinis deductam esse. Difficilius est diiudicare utrum Theogenis memoria ex MNH sumpta an totum elogium, commemoratione nominis non excepta, ex illis actis descriptum sit. Ex verborum ordine concludi potest prius articulum *In Hellesponto in Pario Theogenis* quam laudationem adscriptam esse.

Velut hoc modo antiquo in exemplari laterculi legi potuerunt:

<p>III non. ian. In Hellesponto in civ. Pario Theogenis. Et in Tomis civ. Claudionis, Eugenii, Rodi et trium fratrum Argei, Narcissi, Marcellini</p>	<p>perductus ad Cyzicum ad legionem primam Hellesponti pueri Christiani, fili episcopi sqq.</p>
--	---

Fieri sane potest ut articulus Tomitanus in margine epitomae ex actis Theogenis sumptae adscriptus sit. Quod profecto vero propius mihi videtur. Sequitur ut ille articulus in MNH non legeretur.

Primo putavi pro verbis, quae post haec capita occurrunt (*Diogini (Vico Iuvini L) Eugenti, Rodonis, Primae*) legenda esse *In Vico Iguvio....* qui est pagus in Umbria situs¹⁾; deinde, cum omnia diligentius considerassem, depravata nomina *Theogenis, Eugenis, Rodi, Primi* esse pro certo duco.

II id. ian. De Herma vide II kal. ian.

Non ian. Si memoria Symeonis Stylitae in MNH legeretur, haud sane Ian. 5 (Cf. quae de festis huius sancti viri p. 72 diximus.) memorata est.

¹⁾ Saepius in MH de vicis mentio fit: Vicus Baiacus (XVII kal. iun.), Margaritatus (II id. aug), Vellanus (XIII kal. oct.), Orstinnus (III non. iul.), Maidunus (III non. iun.) aliique nominantur.

Iniuria Bollandus et Henschenius ¹⁾ ecclesiasticos fastos *tres* Symeones Stylitas exhibere aiunt ¹⁾:

1. „Symeonem maiorem”, quem Graeci Sept. 1, Romani non. ian. colunt;
2. „Symeonem minorem in monte mirabili”, quem Synaxaria Mai 28 vel 24 nominant; († 596)
3. „Symeonem presbyterum et archimandritam” (Iul. 26).

Postremus idem est ac primus.

Qui exemplar Y exscripsit, adnotationem Symeonis „profetae”, cuius memoria IIII non. febr. occurrit, huc transtulit, ut duo Symeones uno die legerentur.

VIII id. ian. De Epiphania cf. p. 52; de Anastasia VIII kal. ian. VIII kal. ian. omnes codices *Heliae* ²⁾ . . . *Antiochia Iuliani*. VIII id. adnotatio apertior est: *In Antiochia passio sanctorum Iuliani et Basilissae*. Horum martyrum acta ³⁾, cum graeca tum latina plerisque in rebus congruunt; quod ad urbem, in qua martyres vitam profuderunt, attinet, valde dissident. In aliis ambo Antinoae vel Antinoupoli, in aliis Antiochiae mortem obiisse narrantur. Et huic et illi urbi promiscue sive „In Oriente”, sive „In Syria” sive „In Aegypto” adiungitur. Cum multa in passione ad Aegyptum spectent (nonnullis in actis legitur *ἐν πόλει Ἀντιοχείᾳ ἧτις ἐστὶ μητρόπολις Αἰγύπτου*) Antinoupolim rectam esse puto. Adnotatio in MH ex actis, in quibus „in urbe Antiochia” legeretur, sumpta est. Articulum ex actis depromptum esse verbo q. e. *passio* confirmatur. (Cf. p. 19). Praeter hanc adnotationem legimus *In India Celsi*. Celsus autem erat filius iudicis, ad quem Iulianus productus est; *in India* vocem commenticiam aut perperam scriptam pro *Marciani* puto.

MS Ian. 6. *Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς Ἐπιφανείας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ, ἐν Ἡλιοπόλει Λουκιανός*. Quae, cum in MH non inveniantur, in MNH, credo, non legebantur ⁴⁾.

¹⁾ AS, 5 Ian. I, p. 261 sqq.

²⁾ „Heliam” hoc die sociam Iuliani adscriptam fuisse non constat. Forsitan ad Marcianum et Nicandrum pertinet. Vide VII kal. ian.

³⁾ AS, 6 Ian. I, p. 575 sqq. Acta graeca in latinum translata Lipomanus VII, p. 203 sqq. et AS 6 Ian. I, p. 579 sqq. Acta satis fabulosa sunt: Iulianus vir nobilis Basilissam uxorem ducit. Convenit ei cum uxore eius virginitatem servare, quod consilium Christus approbat. Monasterium deinde condunt. Persecutione temporibus Diocletiani exorta, Basilissa cum virginibus precata e vita discedit. Iulianus a praefecto Marciano omnibus cruciatibus affectus, constantia sua multos adversarios ad fidem Christi convertit. Omnibus cruciatibus illaesus tandem obtruncatur. Marcianus autem „vermibus ebulliens expiravit”.

⁴⁾ Fieri sane potest ut librarius, cum postero die in elogio Luciani nomen urbis Helenopolis legisset, eo die adnotationem Luciani omiserit. —

C. Erbes¹⁾ pro voce „in Heliupoli” „in Helenopoli” legit. Qua de emendatione scripsit²⁾: „Da noch niemand vor mir Helenopolis statt Heliopolis vermutet hat, und an der Korrektur doch etwas gelegen ist” u. s. w. Veteres vero saepius de hac re egisse³⁾ eum, opinor, praeteriit. De ipso Antiocheno presbytero conferatur ad VII id. ian.

VII id. ian. Nicomediae Lucianus presbyter et Melitenaee Polyuctus et Heracleae <in Thracia> Knodinus (vel Candidus).

Lucianus Antiochenus presbyter, VII id. ian. 312 Nicomediae passus est⁴⁾. MS *Ἐν Νικομηδείᾳ Λουκιανὸς ὁ πρεσβύτερος*. MH *In Nicomedia Luciani presbyteri, [qui quattuor partibus factus est et reliqua BW]* Codex S pro verbo q. e. *et reliqua: et in mare missus alia die integer est inventus*. ML ex MH⁵⁾ *... „qui in quattuor partes discerptus, quattuor lapidibus alligatus in mare mersus est. Sed alia die Helenopoli corpus eius integrum cum ipso lapidibus inventum, ibidemque sepultum”*. Luce clarius est in codd. BW elogii partem omissam esse. (Cf. p. I, 15.) Quod elogium nec cum Eusebio nec cum Chrysostomo congruit. Eusebius Lucianum in carcere interfectum esse narrat, Chrysostomus dicit eum, cum omne suppliciorum genus⁶⁾ derisisset famemque, cui expositus esset, pertulisset, ad tribunal praefecti adductum tormentis admotis interrogatumque nil nisi se esse Christianum respondisse. — Elogia in MH relata epitome sunt ex actis graecis recentioribus, quibus Metaphrastes in martyrio sancti Luciani⁷⁾ usus est. Cum illa acta et quidam scriptores, velut Philostorgius, delphinum martyris corpus illaesum in litus adduxisse nuntient, Usener eius celebrationem cum Dionysi cultu

1) C. Erbes, Das Syrische Martyrologium und der Weihnachtsfestkreis, Zeitschr. für Kirchengesch., B. XXV, Gotha 1904, p. 321 sqq.

2) l.l., p. 363.

3) Hieronymi Chronicorum a. MMCCCXLIII ab Abrah., XXI Const., PL, XXVII, c. 675. Hieronymi, De viris illustribus, c. 77 ed. E. C. Richardson, T. u. U. XIV, 1, p. 41. Philostorgius, H.E., II, 12, PG, LXV, c. 476. Chronicon Paschale ad annum CCCXXVII, PG XCII c. 708.

4) Ioh. Chrysostomus, Homilia panegyrica in s. martyrem Lucianum, PG, L, c. 522: *„θὲς μὲν οὖν ὁ Δεσπότης ἡμῶν ὕδατι βραπίσαστο”*. Eusebius, H.E., VIII, 6, 2 et 3, Schwartz p. 812 et VIII, 13, 2, Schwartz p. 772.

5) Quentin, p. 210 sq. Elogium, quod apud Adonem legitur, parum dissidet. Quod elogium ex libro Rufini non ductus est (Die Mart. p. 120) sed ex martyrologio Flori. Florus in vicem ex Hieronymianis libris, qui inscribuntur De viris illustribus (c. LXXVII) et Chronicorum libri duo (ad annum 2343 ab Abraham) deduxit.

6) Chrysostomus sex supplicia et poenas enumerat.

7) PG, CXIII, c. 397 sqq.

coniunxit¹⁾. Constat vero martyris Luciani memoriam diu celebratam fuisse, antequam de illo delphino sermo factus sit²⁾. Quidquid id est, de hac re non magis quam de quaestione utrum Catholicus an Arianus obierit, hic plura dicere possumus. —

Praeterea E [*Et in Antiochia Luceri diaconi*].

XVIII kal. febr. In Antiochia Luceri diaconi (E).

XVIII kal. febr. In Antiochia Cleri diaconi de antiquis, multis tormentis passi et in mare mersi (BW).

ML³⁾ VII id. ian. „Eodem die clerici anthioceni, postquam septies torti sunt, de carcere producti ac decollati“⁴⁾.

XVIII kal. febr. „Natale Cleri diaconi, de antiquis, qui post multa tormenta in mare praecipitatus est.“ —

Quo modo martyr mortuus sit, articuli non isdem verbis memorant, licet alterum alterum supplicium recipiat.

MS Ian. 14 *Ἐν Νικομηδείᾳ Γλυκέριος ὁ διάκονος*. Liqueat articulum XVIII kal. febr. in MH memoratum ex MNH depromptum esse. Quentin elogium, quod VII id. ian. in ML legitur, ex MH manasse putat. In eadem sententia sum. Librarius codicis E laterculum VII id. ian. in X memoratum, in quo passiones Luciani et Glyceri uno tenore legebantur, exscribens, nomina modo exscripsit; codicis Y prioris elogii initium scripsit et verbo addendo q. e. *et reliqua* non modo quae de Luciani passione restabant, sed etiam memoriam Glycerii omisit. Putandum igitur est acta Glycerii Antiocheni extitisse, quae cum Luciani passione cohaerebant⁵⁾, itaque utriusque memoriam in MH VII id. ian. occur-

1) H. Usener, Religionsgesch. Untersuchungen III, Sintflutsagen, Bonn, p. 168 sqq.; H. Delahaye, Les legendes hagiographiques, Bruxelles 1905, p. 217 sqq.; Pio Franchi de Cavalieri, Di un frammento di una Vita di Constantino, Roma 1897, p. 18 sqq.; P. Batiffol, Etude d'hagiographie arienne, Compte rendu du Congrès scientifique internat. des Catholiques, Paris 1891, p. 181 sqq.; P. Allard, La persecution de Diocletien, Paris 1908, II³, p. 197.

2) Quod in fastis graecis Oct. 15 memoratur, cum Dionysi cultu cohaerere necesse non est: eo die martyrium eius Constantinopoli dedicatum est (SC, c. 141).

3) Quentin, p. 211.

4) Florus (Quentin, p. 326), „Apud Antiochiam beati Cleri diaconi, qui ob confessionem Christi septies tortus et in carcere diu maceratus, ad ultimum decollatus, martyrium consummavit.“ —

5) Mirum est ambas passiones in MH relatas excepto verbo q. e. *ac decollati* cum Luciani vita congruere et in vita recentiore huius martyris (apud Metaphrasten) quendam Glycerium (non diaconum!) *«τῶν γνησίων αὐτοῦ φοιτητῶν»* occurrere. Huic enim Lucianus visus est in somnis, ut quo loco corpus suum e mari delatum inventurus esset, indicaret.

risse. Idem Glycerius Nicomediae celebrabatur ¹⁾, nisi existimes in MS *Ἐν Νικομηδείᾳ* mendose pro *Ἐν Ἀντιοχείᾳ* legi, quod diiudicare non possum. Fieri vero potest ut aliquis vel in MNH iam urbis nomen mutaverit vel interpres Romanus in MH articulo VII id. ian. relato adductus Glycerium Antiochiaē attribuerit; quod utrumque veri simile non est, cum nemo praeclarioris martyris Luciani Antiocheni memoriam, in MS et MNH Nicomediae adiunctam, mutaverit.

Sequuntur in E ²⁾ *in melitā civi poliucti in eraclea felicis et ianuari et in grec spolicosti palladae candidae*, quae praeter nomen *Spolicosti* XVI kal. mart. in omnibus codicibus ad litteram iterantur. Quo errore in medio illius diei laterculo collocata sint, ignoro ³⁾.

In MS Ian. 7. *Ἐν Μελιτηνῇ Πολύενκτος. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ πόλει τῇ ἐν Θράκῃ Κνόδινος ὁ μάρτυρ.*

Ian. 8. *Ἐν τῇ αὐτῇ Νικομηδείᾳ Φιλόρωμος.*

Polyeucti memoria in SC Ian. 9 adscripta est. Fuit primus, qui in Armenia pro Christo temporibus Decii passus sit ⁴⁾. ML ⁵⁾ die ipso, quo perperam in MH legitur, (XVI kal. mart) hunc martyrem exhibet ⁶⁾.

Knodinus, quod nomen perraro invenitur, non recte traditum videtur ⁷⁾. In MH sub nominibus *Candidi*, *Candidae*, *Candediani* redit. Felix et Ianuarius in voce *in Heraclea* postero die rursus leguntur *in Graecia. Spolicosti et Poliarti [et Eucti BW]* nihil nisi depravatam nomen Polyeucti puto. Verbo q. e. *Philonis* martyr Philoromus indicari mihi videtur, quem MS Ian. 8 dicit.

Quod attinet ad Palladam (*Palladi* B, *Palato* W) inops consilii sum. In B *ianuari et in graecia Spoli* decidit, cuius loco legimus *Esidori ep. Eductio Iesu de Aegypto*. Qui Isidorus ep. significetur, ignoro. De Educatione Iesu cf. p. 58.

¹⁾ Nicomediae non pauci martyres, qui alibi vixerunt, celebrabantur. (Cf. p. 11). In SC saepius Nicomedensis nomine Glycerius memoratur, sed dicitur *προσβύτερος*. De quo III id. mart.

²⁾ Ceteri codices fere eadem.

³⁾ Cum ceteri codices aliquantum differant, ab ipso vetustioris MH exemplaris scriptore error iam factus est. Id. febr. rursus in E *Et alibi poliarti filoronis candidi*.

⁴⁾ Polyeuctum, qui in MS Ian. 22 in voce *in Nicomedia* et Mai 20 *in Caesarea Cappadociae* memoratur, eundem esse qui Ian. 7 legitur (Die Mart, p. 54) satis incertum est. Cultus quidem mox late dispersus: circiter a. 370 Constantinopoli ecclesiam ad eius honorem exstructa est. (Les orig, p. 273).

⁵⁾ Quentin, p. 328. Ado (Quentin, p. 418) ad arbitrium id. febr. eum memorat. Sic recentiora MEM.

⁶⁾ Vide B. Aubé, Polyeucte dans l'histoire, Paris 1881, p. 73 sqq.

⁷⁾ In MS legitur Qnvdjnus (Lietzmann, p. 8).

VI id. ian. <Nicomediae> Philoromus. In Graecia (?)

E *In Graecia Eucti, Rustici, Pissei, Timothei, Secundi, Luci*, [*Felicis, Ianuari et in Brindissio Leuci et in Sirmis Anastasi*] *Iocundi, Ratitis, Petri, Flori, Telesphori, Anastasiae*. In codd. B W neque nomen Eucti, quod proximo die occurrit, neque nomina uncis quadratis inclusa leguntur. Krusch auctorem exemplaris Y similitudine nominum Iocundi et Secundi ductum, unum versum omisisse putat. Quod probabile puto; videntur articuli de Leucio et Anastasia in margine, sive codicis E, sive vetustioris exemplaris appositi esse¹⁾. Iocundum, Ratitem quique sequuntur, Sirmienses martyres fuisse non credo. Anastasiae memoria ab VIII id. ian. iterata est. *Secundi, Iocundi, Rustici, Phisei, Felicis, Ratitis* (fortasse *Ianuari*) proximo die inter Afros redeunt, qua re vox *in Graecia* valde suspecta fit nec, si vera sit, qui martyres hac in voce legendi sint, diiudicari potest.

V *id. ian.* In fine laterculi *In Smerna Revocati, Firmi, Possessoris, Ianuari, Saturnini*. Postero die idem in voce *In Africa* leguntur. Quo die inter nomina *Firmi et Possessoris E in Irta*, B *Mirthae W Nirthi*, S *Nirte*, M *Nisti*, V *Susti*, Rich. *Nirtae* habet. Est nomen urbis an martyris? Nullum martyrologium, nulla acta, quod sciam, quod sequi possimus afferunt. Nomina martyrum certe Africana sunt. Fortasse urbs Cirtha indicatur²⁾.

III id. ian. <Caesareae> Petrus Abselamus. <Alexandriae Philoromus>.

De Petro cf. p. 41. Inter Afros Philoromus memoratur, de quo II id. ian. acturi sumus; inter Hispanos Victor et Stephana, de quibus vid. II id. mai. Codd. B et Rich Gregorium ep. Nazianzenum adnotant, cuius memoria in SC Ian. 25 occurrit. Ian. 10 fasti graeci Gregorium Nysaeum habent.

II *id. ian.* III id. in voce *In Africa* Philoromum invenimus; II id in mediis martyribus Afris legitur *In Aegypto Philomi*, quem articulum in margine appositum esse satis constat. Qui articulus III id. ian. in MH legitur, accuratius locum indicans, fortasse in MNH inscriptus fuit. An verba *quorum* (vel *cuius*) *gesta habentur* ad eum pertinent et adnotatio ex actis³⁾

¹⁾ Leucius ep. Brundisinus regnante Theodosio Imperatore „confessor” obiit. III id. ian. eius memoria redit.

²⁾ Raro urbes in Africa indicantur. Indicantur tamen Hippo regius (V kal. sept., XVII kal. dec.), Cirtha (prid kal. iun.).

³⁾ BHG 1533. BHL 6799–6802. Martyrem II id ian *in Aegypto*, III id ian *Alexandriae* memorari, utrumque articulum ex fastis sumptum esse veri simile non facit.

sumpta est? In actis¹⁾ et apud Eusebium²⁾ Philoromus nobilis vir militaris Alexandriae una cum episcopo Thmuitano Philea magna ab Diocletiano commota persecutione passus esse refertur. II non. febr. habent codices: *In Thmui Philiae cum filia sua*. In passione, cui multis in codicibus latinis excerpta, modo longiora modo breviora, ex Rufini Historiae Ecclesiasticae ab Eusebio compositae interpretatione praefixa leguntur, nulla mentio de filia ep. fit; qua re commemorationem legendam puto: *In Thmui Philea cum Philoromo*. Si Thmui non obierint, attamen eorum memoriam ibi actam esse veri simile esse quis putet. Articulum vero ex actis sumptum esse magis credo³⁾. Philoromum, qui *In Alexandria* memoratur, VI id. ian. Nicomediae celebrari potuisse non nego; probabile autem non arbitror, quod de cultu huius martyris nusquam mentio fit. (Cf. V id. mart.).

Praeter Philoromum legimus: *In Achaia Cyriaci, Muscenti [Bonittae B] Saturi [civis⁴⁾ Arabiae, qui transiens ante templum cuiusdam idoli, insufflans cum signasset frontem, corruit; tenentes eum ibidem observantes, duxerunt ad ducem et indicantes factum decollatus est. B W]*. Achaicus martyr XIII kal. aug. redit; cf. ibidem. De ceteris cf. p. 26.

Id. ian. <Antiochiae Zebennus episcopus.>

De Zebennus cf. p. 9; de Cosconio XIII kal. febr.

XVIII kal. febr. Nicomediae Glycerius diaconus <ex antiquis.>

De quo cf. VII id. ian.

XVIII kal. febr. De Cosconio cett. vid. XIII kal. febr.; de Cornelio p. 18; de Glycerio VII id. ian.; de Habaccuc p. 68.

XVI kal. febr. Omnes codices *In Aegypto, [in Thebaide BW] depositionis sancti Antonii monachi*.

Antonius magnus anno 356 mortuus est⁵⁾. In fastis graecis eius memoria Ian. 17 scripta legitur. Illo die eum e vita discessisse, quod Cyrillus monachus in actis Euthymii⁶⁾ confirmat, veri simile est. Martyr tamen non est factus. Quod non prohibet hunc monachum praeclarum in MNH adscriptum esse potuisse; cf. autem p. 36. De Rubentio vid. p. 18.

¹⁾ F. Combefis, *Illustrium Christi martyrum lecti triumphum*, Parisiis 1660, p. 79 sqq.; latine Ruinart, p. 494 sqq.

²⁾ H.E., VIII, 9, 6 usque ad VIII, 10, 11; Schwartz, p. 758 sqq.

³⁾ Altera quoque Thmuitanorum memoria (VI kal. sept.) ex actis fluxit.

⁴⁾ Rectum non videtur. Non *regionis* sed *urbis* cives aliquis dicitur. Cf. p. 26.

⁵⁾ Vita eius ab Athanasio scripta est. PG, XXVI, c. 837 sqq. (conf. Butler, *The Lausiac History of Palladius*, p. 215 sqq.).

⁶⁾ PG, CXIV, c. 594. AS, 20 Ian. II, p. 301.

XV kal. febr. — M L¹⁾ eodem die habet: „In Ponto natale sancti mart. Mosei et Ammonii qui cum essent milites primo ad metalla deputati, novissime igni traditi sunt.” Qua in adnotatione excidit verbum q. e. *in civitate Asia* vel potius *in civit Amasia*, quam vocem cum Achelis legendam esse puto. Cum MEM scriptoribus non magis quam nobis acta, ex quibus elogium deductum est, nota fuisse appareat, videtur is, qui ML composuit, ex pleniore codice martyrologii Hieronymiani elogium sumpsisse.

SC hos martyres non memorat, licet de compluribus militibus Amasensis mentio sit²⁾. Qua re passio Hieronymianorum cui credatur dignior fit; nullorum tamen ex iis vita cum elogio laudato consentit. Quaeritur hic totumne elogium ex actis aut MNH, an brevior articulus ex MNH, elogium ex actis deductum sit. Quam quaestionem diiudicare non facile est. Mea opinione in Occidente totam adnotationem aliquis MH adscripsit.

Praeter praeclaros tres Nicaeenses, de quibus XIII kal. febr. acturi sumus, XV kal. febr. de aliis tribus martyribus agitur, quorum nomina saepius una cum „Cosconio suisque” occurrunt, qui non minus celebres fuisse videntur, si animadvertas quotiens in MH memorentur. *Videntur* inquam; etenim eorum cultus vestigia non multa supersunt. Circiter a. 400 Constantinopoli ecclesia illis dedicata est³⁾; Cyrii Gennaeque celebrabantur⁴⁾. In MH invenimus

XVIII kal. febr. <In Aegypto> . . . Tyrsi, Lauci, Gauniti . . .

XV kal. febr. In Micea . . . se Tyrsi, Leuci, Gallinici [et passio BW].

XIII kal. febr. <Neveduno> . . . Tarsi, Leuci, Gallinici . . .

VIII kal. febr. <in Sicilia> [se Thyrsi B].

VI kal. febr. Nicomediae Laecii, In Apollonia Calentini . . .

II kal. febr. <In Alexandria> . . . et passio sanct. Tyrsi, Gallinici . . .

Quarum urbium nomina uncis < > sunt inclusa, eae ad horum martyrum vitam cultumque non pertinent. De urbibus Nicomedia, Apollonia, Nicaea in actis⁵⁾ sermo est; articulos tamen supra relatos in antiquo graeco martyrologio adscriptos fuisse non credo. Acta copiose cruciatus paene innumerabiles et dictu mirabiles, quos omnes et in primis Tyrsus passus sit, enumerant. Narrant porro Leucium Caesareae in Bithynia sitae

1) Quentin, p. 211.

2) April 26 dicitur Πουπλιός; Febr. 17 Θεωδῶρος; Mai 22 illius consobrinus Βασιλίσκος cum commilitonibus Theodoro, Eutropio, Cleonico.

3) Les orig., p. 102.

4) Les orig., p. 191 et 223.

5) Acta graeca BHG 1845; latina BHL 8277–8281.

securi percussus esse; Thyrsus a praefectis Cumbricio, Silvano, Bendo Nicaeae, Apameae, Caesareae interrogatum, Apolloniae denique pro fide occisus esse, qua in urbe et Gallanicum animum efflavisit¹⁾. M L (quod omnia MEM secuta sunt) eos V kal. febr. (MH VI kal. febr.) et SC Dec. 14 memorat. In fastis graecis memoria Aug. 16 et 17 occurrit. Ian. 20 Tyrsus et Agnes memorantur, quorum *σύναξις τελεῖται πλησιὸν Ἐλενιάνων*²⁾ eodem in templo, in quo tres martyres celebrarentur. En, Ian. 20 in MH non modo Tyrsus cum suis sed etiam Agnes in codice B memoratur: *Romae Passio sanctae Agnetis virginis*; quae Agnes in omnibus codicibus et in depositione martyrum a. 354 XII kal. febr. legitur. Putandum igitur est SC hac in re a codice B pendere. Adnotatio fortasse deducta est ex breviori martyrologio, quod laterculos contractos continuerit. —

Articuli quoque Aug. 16 in MH et SC relati cohaerere videntur, licet martyrologium aliam commemorationem atque synaxarium habeat. XVII kal. sept. legimus et *alibi Agnati*; *In Persida nat. sancti Tyrsi [cum sociis eorum W]*, quod verbum *In Persida* sine dubio librarius vitam Tyrsi ignorans, commentus est.

Articuli omnes ex actis sumpti: praeter adnotationem XVII kal. sept. relatam omnes mense ianuario adscripti sunt³⁾. Dies ad arbitrium electos esse arbitror⁴⁾. Quod ad articulum XV kal. febr. memoratum attinet, non constat vocem *in Nicaea* et ad illos martyres pertinere. Legimus [*In Micea Asteri, Fortunati, Zenonis, Zosimi, Menelampi, Didali, Valentis, [et passio B W] sancti Tyrsi*]. Qui sunt Asterius, Fortunatus, Didalus, Valens? Quid sibi velit Achelis perhibens⁵⁾ laterculos ex MS in margine MH adscriptos esse et ad hoc demonstrandum primum exemplum afferens: „Am 15 kal. febr. *In Nicaea Zenonis Melanippi* stehen zwischen Nicaea und Zenonis zwei Namen, die nicht dazu

1) Acta latina eum Miletæ mori faciunt quo mea opinione factum est, ut Toletus, quod nomen non multum ab Milete differt, hos martyres sibi vindicaverit. AS, Ian II, p. 808 sqq.

2) De topographia Constantinopolitana vide egregium caput viri docti Oberhümmer in Pauly-Wissowa, Real. Encyc, VII, c. 963 sqq.

3) Nomina trium sanctorum semper inter martyres alicuius urbis, saepiusque disiuncta leguntur. XV kal. febr. et XI kal. febr. additum est verbum q. e. *et passio*, (cf. p. 19).

4) Nonnulla ex actis latinis (BHL 8280 et 8281) memorant eos V kal. febr. passos esse, sed quaerendum est, utrum acta illum diem ex MH an MH ex actis sumpserit. XVIII kal. adiuncti sunt, quia iam alii Nicaeenses memorabantur; II kal. febr. eorum memoria redit, cum illo die Alexandrinus quidam nomine Tarsicus vel Thyrsus legatur.

5) Die Mart, p. 89.

gehören: *Asteri, Fortunati* und zwischen Zenonis und Melanippi: *Zosimi*," non intellego. Rogo sitne nomen *Zosimi* depravatam nomen *Cosconi*. Quod si verum est, tres martyres uno tenore leguntur. Nomina *Asteri, Fortunati* postea interposita sunt¹⁾.

XVIII kal. febr. Nicaeae <ex antiquis> Cosconius, Zeno, Melanippus.

In MS Ian. 19 *Ἐν Νικαίᾳ τῇ πόλει ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Κοσκώνιος καὶ Ζήνων καὶ Μελάνιππος*. Idem articulus legitur Febr. 23 in voce *Ἐν Ἀσίᾳ*(?), Sept. 2 *Ἐν Νικομηδείᾳ*.

MH *id. ian. et alibi Quosquonio, Enonis*.

XVIII kal. febr. <In Aegypto> *Crisconi, Tyrsi, . . . Zenonis, Menelai*.

XV kal. febr. In Micea . . . *Zenonis, Zosimi, Menelapi*

XVIII kal. febr. [et alibi] *Zosimi, Menilapi*.

VII kal. mart. <In Africa> *Crisconi, Zenonis, . . . Menelanti*

III non. sept. In Nicomedia *Zenonis, . . . Gorgoni, Menolappi, Cosconi*.

Videmus tres articulos ex MS in MH translatos esse: verba *ex antiquis* in MH non redeunt. (Cf. p. 5.) Bollandiani (2 Sept. I, p. 362) acta de „sc. Nicomedensibus Zenone, Concordio, Theodoro, filiis eius . . . item de sancto Cuscono, Monolappa, Iosepho" ediderunt, in quibus fabulosa vita Zenonis aliorumque qui temporibus Iuliani Apostatae obierint, narratur. Nulla mentio de Cosconio, Melanippo fit. Nec Zeno idem videtur quem MS significat. Baronius eosdem martyres quos Bollandiani nominat: ceterum MEM Cosconium cum sociis ignorant. In recentioribus fastis graecis Menaea modo memoriam eorum servant²⁾. Dubito martyresne re vera Febr. 23 in Asia colerentur. Videntur potius illo die nullo loco addito in MS adscripti esse. De articulo XVIII kal. febr. memorato ad XV kal. febr. egimus. In *Aegypto* neque ad Tyrsum cum suis, neque ad hos martyres pertinet. Quo modo articulus exortus sit, mihi non liquet. Dies festus Nicomedensis in plerisque recentioribus martyrologiis redit. Fuerintne Nicomedenses martyres dubium tamen est. Sept. 2 in primis praeclarae Theodotae cum filiis memoria celebrabatur et Febr. 23 Polycarpus episcopus colebatur. Nicaeae modo martyres soli Ian. 19 memorantur, ut fortasse ea in urbe vixerint an martyrium perpassi sint. De Martha et Maria p. 67.

¹⁾ Manifestum est illos tres martyres cum Nicaeensibus, Cosconio ceterisque usitato errore XVIII kal. febr. (Ian. 15; dies, de quo nunc agitur, Ian. 18, h. e. XV kal. febr.) iteratos esse. Unde illo die in *Aegypto* adiunctum sit, nescio.

²⁾ Sept. 2. *Μελάνιππος πύρι τελειοῦνται*.

Sept. 3. *Ὁ ἅγιος Ζήνων ἐν λέβητι μολίβδου παφλάζοντος βληθεὶς τελειοῦται*.

XIII kal. febr. Nicomediae Leontius et eadem die Nicomediae Cyriacus, Cindeus, Bitius, (Ursus vel Faustacus) Florus, Felix.

Qui martyres Nicomedenses in MS memorantur, in MH redeunt. Unus nomine Ursus in MH additus est; XII kal. febr. eosdem martyres in satis obscuro laterculo denuo invenimus. Quo die Fustacius vel Faustacus adiungitur. Fuit, credo, unus idemque qui Ursus XIII kal. febr. memoratus.

Quaestio autem adnotatione, quam Aug. 1 in SC legimus, difficilior fit: καὶ ἄθλησις τῶν ἁγίων τοῦ Χριστοῦ ἐννέα μαρτύρων τῶν ἐν Σίδῃ της Παμφυλίας ἀθλησάντων Λεοντίου, Ἄττου, Ἀλεξάνδρου, Κινδαίου, Μνησιθέου, Κυριακοῦ, Μινναίου, Κατούνη καὶ Εὐκλέου. Non dubium est, quin in hoc articulo nonnulli ex turba Nicomedensi reperiantur. In elogio graeco martyres excepto puero Minnaeo agricolae Pamphili fuisse narrantur, qui, cum Diocletiani temporibus una nocte in Dianae templo omnia simulacra deiecissent, multis cruciatibus affecti, a praefecto Flavio Zoilo occisi sint. Videtur urbs Nicomedia hos martyres Sidetas sibi vindicavisse¹⁾. Minime autem qua re nomina sic discrepent et quo die Leontius cum suis mortui sint, manifestum est. Constat Leontium cum nonnullis martyribus exeunte saeculo IIII Nicomediae²⁾ celebratum fuisse et paucis post saeculis Constantinopoli Leonti cum octo sociis memoriam actam fuisse³⁾. De Tyrso cf. XV kal. febr.

XII kal. febr. In initio laterculi septem martyres, in fine viginti fere nomina martyrum nullo loco addito invenimus, quos omnes Afros fuisse veri simillimum est: nomina „Africana” sunt; in multis Afrorum articulis vox *in Africa* ommissa est; VIII kal. febr. plerique eorum iterum leguntur: tum Ravennates nominantur. Inter eos Eustasius confessor reperitur, quem codices XII kal. febr. memorant: *Nicomediae Eustasi* [*confessoris* BW]. *Nicomediae* nominibus, quae antecedunt, (*Viti, Cendei*, sqq) adiungendum est. (Cf. XIII kal. febr.). Eustasius Gallus confessor videtur. Ex Afrorum numero Ermis ep. (presb. W) et Publius in BW postremi sunt. Florus kal. febr.⁴⁾: „Apud Athenas beati Publii ep. ob Christi martyrium coronati.” Qui auctor, cum in Hieronymiano qui est

¹⁾ Nicomediae plures martyres aliarum urbium celebrabantur. Cf. p. 1¹.

²⁾ Martyrem nomine Bitum Ian 26 Nicomediae coli MS habet; Mart 10 quidam Cindus denuo occurrit in voce in Nicomedia; Cyriacum martyrem MS Mart 1, Cyriacam Apr. 6 nominat, sed causam non video, cur existimemus eosdem esse, qui Ian. 20 memorentur.

³⁾ In fine laterculi *Neveduno* . . . *Kiriaci*, quae sunt verba depravata Nicomedia . . . *Ciriaci*.

⁴⁾ Quentin, p. 308.

de Viris illustribus libro episcopos Athenienses Publium et Quadratum legisset, in MH eorum nomina quaesivit. Publium primum¹⁾ XII kal. febr., Quadratum VII kal. iun. repperit. Quibus diebus Florus, Afros eosdem esse quos Atheniensis arbitratus, illos episcopos suo martyrologio inseruit.

XI kal. febr. In MS nonnullorum martyrum memoria occurrit, quae in MH non redit. Legimus *Ἐν Νικομηδείᾳ Πολύευκτος καὶ Ἐδψύχιος καὶ Κλήμηνης καὶ Πρίμος καὶ . . . καὶ . . .*²⁾. Viris doctis Achelis³⁾ et Erbes⁴⁾ ratis martyres alienigenas eodem die Nicomediae celebratos fuisse, astipulor. Polyuctus videtur Milesius (Ian. 7), Clemens Ancyranus, (Ian. 24) Eupsychius Cappadox(?) (Sept. 7).

X kal. febr. <Ancyrae in Galatia Clemens cum suis omnibus>.

Synaxaria Ian. 23 Clementem episcopum et Agathangelum Ancyranos memorant, qui temporibus Diocletiani pro Christo vitam profuderint. In Cd legimus quibus in urbibus Clemens tortus sit (Ancyrae, Romae, Nicomediae, Ancyrae, Amisi, Tarsi, Ancyrae), codex S quibus suppliciiis affectus sit, enumerat. Acta⁵⁾ eadem copiosius habent. Ab simplici sanaque historia in sincera „Vita“ relata scriptores horum actorum longe recesserunt, quippe qui fidelium animos mulcere cupientes martyrem tanta perpeti inducerent, ut cruciatus omnes vires humanos superent et stupefacti rogemus, quo tandem modo et cur martyr supplicio succubuerit. Delahaye⁶⁾ iure eam passionem „le chef d'oeuvre du genre“ dicit. Pro vero sumere possumus Clementem cum uno, fortasse cum pluribus sociis Ancyrae martyrio coronatum esse. Articulus in MH legitur *In Ancyra Galatiae Donati, Castoli, Papias, Clemati* [cum suis omnibus BW] Ancyranos fuisse, quos praeter Clementem codices habeant, non puto: VIII kal. febr. inter Afros eadem nomina reperiuntur. Agathangelum in MH non commemoratum esse non mirum, si vere in actis legimus eum Romae Clementi adiunctum esse.⁷⁾ *Cum suis omnibus* quod in BW legitur, non plane dissidet ab iis, quae acta et SC habent: una cum eo Christophorum et Charitonem diaconum passos esse. Fortasse articulus ex actis sumptus est. Quod certe dicendum est de adnotatione

1) Tredecies martyr huius nominis in MH occurrit: duodecies in voce *in Africa* vel *et alibi*. Non. iul. (nec fortasse recte) Alexandrinus dicitur.

2) In codice Ilus et Dbus (Lietzmann², p. 8).

3) Die Mart, p. 62.

4) C. Erbes, Zeitschr. für Kirchengesch. XXV, p. 356 sqq.

5) AS, 23 Ian. II, p. 460 sqq. PG, CXIV, c. 816 sqq.

6) Les légendes hagiographiques, Bruxelles 1905, p. 107.

7) In codice Cd Synaxarii Const. vitae prorsus disiunctae sunt.

et alio loco [passio sancti BW] Eugeni . . . Machari. Qui „martyres” in SC Iuliano Imperatore Anthedona, in urbem in Mauritania sitam ducti „in pace” e vita decessisse narrantur; alii codices Dec. 20, alii Febr. 19, 20 eos memorant; Metaphrastes¹⁾ Oct. 20 eorum martyrium, arte cum Artemii vita conexam, refert. Neque in SC quo loco vixerint, memoratur (cf. de verbo q. e. *passio* p. 19). Cornelius exorcista mihi ignotus est.²⁾

VIII kal. febr. Nicomediae Babylas episcopus Antiochenus et tres pueri.

Quae in MS leguntur *Ἐν Νικομηδείᾳ Βαβυλᾶς ἐπισκόπος τῆς Ἀντιοχείας καὶ τριάκοντα παῖδες* confirmant id, quod iam supra memoravi: martyres, qui aliis in urbibus vixissent, Nicomediae celebratos esse. Numerus puerorum falsus est, cum in omnibus libris tres parvuli nominentur. Altera est quaestio sintne hi tres pueri cum Babyla necati. Id quod negat Görres³⁾, qui putat ad fidem historiae sola esse, quae Eusebius scripserit: *ἐν Ἀντιοχείᾳ τοῦ Βαβύλα μετὰ τὴν ὁμολογίαν ἐν δεσμοτημίῳ μεταλλάξαντος Φάβιος τῆς ἀντόθι προΐσταται ἐκκλησίας*⁴⁾, Babylam ipsum non martyrem, confessorem modo mortuum esse. Quod ex verbis Eusebii non sequitur. Nonne fieri potest, ut in carcere fame et siti vel multis cruciatibus defunctus sit? Quod ad pueros attinet, Eusebius hoc loco non habuit, quod planius de morte Babylae ageret eosque quibuscum passus sit diceret: libro sexto, quo martyrium Babylae legimus, de Originis vita agit; strictim quaedam alia atque indicem Caesarum et Episcoporum maximarum urbium enumerat. Postquam capite 39 dixit Decium Philippo, Romae Cornelium Fabio, Hierosolymis Alexandro Marabenem in sacerdotio successisse, sequuntur, quae supra exscripsimus. Continue vitam Originis enarrare pergit: *τὰ μὲν οὖν Ὁριγένει κατὰ τὸν διωγμὸν συμβάντα κ.τ.λ.*

Cum Chrysostomus⁵⁾, qui uno fere saeculo post Antiochiaë natus est vixitque, in homilia et iam antea MS de parvis mentionem faciant,

1) Vita apud Metaphrasten relata (PG, CXV, c. 1176 sqq.) aliquantum distinet a passione, quam Synaxaria habent; eorundem tamen martyrum est. Presbyteri Antiocheni fuerunt ab Iuliano in Arabiam expulsi.

2) Codex R *Passio sancti Asclae*, qui articulus ex actis est sumptus (AS, 23 Ian. II, p. 456); temporibus Diocletiani Antinoopoli martyrio est coronata.

3) F. Görres, Die angebliche Christenverv. zur Zeit der Kaiser Numerianus und Carinus, Zeitschr. für wissenschaftl. Theol., XVIII (1880), p. 191 sqq.

4) HE VI, 39, Schwartz, II, p. 594.

5) Chrysostomi homilia in Iuveninum et Maximinum martyres, PG L, col. 571. In homilia a Chrysostomo in Babylam habita de tribus pueris non agitur. Col. 529: „Πῶς τὴν ψυχὴν ἔδηκεν ὑπὲρ τῶν προβάτων . . . τοῖς πρεσβυτέροις . . . ἀφ᾽ ὁμοῦ ἐλεῖν.”

nobis fortasse pro certo ponere illos una cum episcopo mortuos esse licet.¹⁾ Quo modo et quo tempore Babylas mortuus sit, auctores disident. Eusebius, ut supra vidimus, eum in carcere mortem obiisse dicit; Chrysostomus²⁾ et SC³⁾ eum gladio obruncatum esse nuntiant; Chronicon Paschale Leontii⁴⁾ auctoritate ad annum 253 refert Decium imperatorem sanctum Babylam interfecisse, non solum quod Christianorum religionem profiteretur, sed etiam quod Philippi imperatoris uxorem atque adeo Philippum ipsum, utrumque Christianum, ab aedis sacrae introitu arcere ausus esset ob perpetratum a Philippo scelus: Philippum enim Gordiani decessoris filium sibi commendatum occidisse et Gordiano ipso mortuo regnum occupavisse. Narratiuncula aliquam dubitationem habet. Nec Babylam Philippi temporibus episcopatum iam obtinuisse, nec Philippum Arabem Christianum fuisse constat. Praeterea, si fuit, fide non dignum imperatorem tam demisse episcopi vituperationis patientem fuisse. Philostorgius (VII, 8): *Νουμεριανῶ δὲ τῶ Ῥωμαίων Βασιλεῖ ἢ ὡς ἔνιοι φασὶν . . .* Numerianus autem vix triginta dies principatum obtinuit, nec Babylas a^o 284 ut mortuus sit, fieri potest.

Nec magis quo loco Babylas martyrio affectus sit, dicere possumus. Eusebius de eius morte agens, urbem Antiochiam nominat, sed mea opinione urbem in qua Fabius episcopus Babylae successerit, non quo loco Babylas in carcere mortuus sit, indicat. Eum Nicomediae necatum esse — quod Erbes putat — nulla re demonstratur.⁵⁾

Quod autem idem Babylas Nicomediae et Antiochiae celebrabatur, effecit, ut recentiores duos martyres nomine Babylam extitisse arbitrati sint: episcopum Antiochenum cum III parvulis et magistrum Nicomedensem cum LXXXIII discipulis.⁶⁾

Etiam tertius Babylas Siculus memoratur, qui perinde ac secundus numquam vixit (cf. SC, adnot. ad Ian. 24, col. 983). Omnibus perpensis concludimus Babylam Decii temporibus Antiochiae non coram populo

1) Nomina puerorum, quae MRS, (Ian. 23) Acta, Gregorius Turonensis (Hist. Franc. I, 30) dant, (Urbanum, Barbadum, Apollonium) commenticia sunt. In actis etiam, quot annos nati sint, indicatur.

2) De S. Babyla, Contra Iulianum et gentiles Cap. II, PG, L, c. 550.

3) SC, Sept. 4.

4) Fuit episcopus Antiochenus, † 358.

5) *Antiochiae* depositum est. Gallus Imperator Daphnae, in praeclaro suburbio Antiochiae, magnificam basilicam exstruxit, in quam martyris corpus translatum est. (Sozomenus, HE V, 18). Iulianus Apostata, cum oraculum Apollinis ex deposito sancto corpore siluisse putaret, corpus submovit. Reliquiae tunc in *pristinum* martyrium, *in urbe ipsa* aedificatum, translatae sunt. Cf. J. B. Lightfoot, The apostolic Fathers, London 1889, II, 1, p. 45.

6) De quibus duobus et de LXXXIII discipulis AB, XIX, p. 5 sqq.

sed in carcere occisum esse vel cruciatibus concidisse. Qui MNH vertit, ex actis, vel quia in ipso articulo episcopus Antiochenus est indicatus Nicomediam Antiochia permutavit. *Mardonii*, cett. ex actis sumpti sunt.

Vir doctus Achelis Hermam Bononiensem VIII kal. febr. Ravennae celebratum esse, prave arbitratur. In voce *In Ravenna* Hermas quidam legitur: unus ex martyribus Africanis est. (Cf. XII kal. febr.).

VIII kal. febr. <Nicomediae Titus, Florus, Satyrus, Mamaeus et Laodiceae Theogenes.>

Minime constat, quos martyres MS Ian. 25 memorat *Ἐν Νικομηδείᾳ Τίτος καὶ Φλώρος καὶ Σάτυρος καὶ Μαμαῖος*, cum in MH non legantur, MNH non adscriptos fuisse. Cum in laterculo proximi diei in MS memoretur *Ἐν Νικομηδείᾳ Βίτος*, is, qui MNH transtulit, concinno paene initio adductus, adnotationem supra memoratam praetermittere potuit. Quo fortasse factum est, ut articulus, quem Ian. 27 in MS legimus, uno die antea, iam in MH inveniatur. Titi autem aliorumque memoriam in MH praetermissam esse non certum est: VII kal. nov. iidem Titus et Florus in MH memorari videntur.

Adnotationes VIII et VII kal. febr. relatae valde intricatae sunt:

E *kartāg* *capua*
kastulae sicilia fabiani
sabiniani
in calatheo sodonis
ravēn
puteolis antimasius sabinus
leodocius teugenis
et in cartag agilei

BW *Chartagine (castige W). Capua*
castulae. Sicilia sc. tyrsi
In aegypto Catinae Agape Faviani
Saviniani.
et in salatheo Sodonis.
Ravennae poteolis Antimasius Sabinus
Leodotius Theugenis.

BW VII kal. febr. iterant:

In campania Arthematis et armate.

In laudocia Arthemii Fabiani Sabiani Sidonis Paulae. Ravenna
Anthemiasius Sabinus Leodocius. Theugenis cum XXXVI martyribus.

In E nil nisi *rodonis artematis*, legitur.

De „Artemate”, quem omnes codices VIII kal. febr. Puteolanum (BW VII kal. ian. Campanum vel Ravennatem) dicunt, exstat passio¹⁾ in qua narratur Artemas in loco „qui distat ab urbe Puteolana quasi stadiis viginti quattuor” sepultus esse. De martyre Armata nihil in actis. Est depravatam nomen Artemas.

Qui martyr nomine Theogenis significetur, cognosci difficilium est. Florus²⁾ habet (ex MH): „Sanctorum martyrum Theogenis cum aliis

1) AS, 25 Ian. II, p. 616 sq.

2) Quentin, p. 327.

XXXVI." Ado¹⁾ addit: „qui contemnentes temporalem mortem coronam vitae aeternae adepti sunt," quae verba Quentin recte „une glosse sans valeur" dicit. Petrus de Natali (III, 25) memorat: „Theogenes martyr cum aliis XXXVI Christianis martyrium passi sunt in eadem civitate Laodiceae praemissa persecutione (h. e. Marci Antonini et Commodi) urgente, qui contemnentes temporalem mortem, corona vitae aeternae adepti sunt VII kal. febr. *ut dicit Hieronymus.*" Petrus recentius aliquod exemplar MH inspexit an elogium ex vetusto exemplari Hieronymianorum sumpsit? Cum XXXVI socii VII kal. ian. neque nisi in BW inveniantur et in codice E post XIII martyres Africanos *et aliorum XXXV* legatur, elogia supra relata parum certa sunt! Attamen Theogenem Laodicenum puto. Vir doctus Rosweydius nullius plane pretii elogium Baronianum esse exposuit²⁾: „Hippone regio in Africa sanctorum Theogenis episcopi et aliorum triginta sex, qui in persecutione Valeriani contemnentes temporalem mortem coronam vitae aeternae adepti sunt." Nomen Tyrsi errore ex articulo VI kal. febr. relato huc devenit. Ad Siciliam pertinent Catana et Agape (cf. non. febr.). *In Africa Epicteti* sqq. VIII kal. febr. iam legitur. Fabianus Sabinianusque Afri vel Carthaginenses habendi sunt. Restat *In Calatheo (Salatheo BW) Sodonis*. Florentinus³⁾ ait Salathum urbem in Libya esse. Non inveni. Sunt, qui putent Calatiam, urbem Capreae proximam, indicatam esse. Sodo autem vel Sodonius inusitatum nomen est. Fortasse sermo est de Sarapione Sindonio, illo praeclaro Aegypto monacho:

10. Nomen fortasse ad *In Aegypto*, cui nullus alius martyr in MH memoratus, quod sciamus, adscribi potest, pertinet.

20. Codex C *Sidonis macarii*: Macarius est aequalis Sarapionis⁴⁾ (cf. III non. ian.).

VII kal. febr. Nicomediae Bitus.

Ad VIII kal. febr. dixi in BW magnam partem laterculi VIII kal. febr. relati VII kal. repetitam esse. Exemplar quoque, ex quo E est exscriptus, eadem fere habuit, cum in E Afris (quos BWL V kal. febr. memorant) subiciantur: *Rodonis, Arthematis, Polycarpi*, trium martyrum nomina in BW memoratorum.⁵⁾ De Polycarpo non multa dicam. MS Ian. 27 *Ἐν Νικαίᾳ τῆ πόλει Πολύκαρος*. Estne episcopus Smyrnaeus? Qui

1) Quentin, p. 582.

2) Conf. Observationes in Martyrologium Usuardi PL, CXXIII, col. 697 sq. p. 283.

4) Cf. XIII kal. apr.

5) E V kal. febr., cum huic diei nullus martyr superesset, nonnullos Afros ex laterculo VIII kal. febr. memorato supposuit.

exemplar Y exscripsit, putavit: *In Nicea Smyrnae [passio W] sancti Polycarpi episcopi* Cod. Rich ignorans, cui urbi episcopus adscribendus sit: *In Oriente Polycarpi*. MS rem non diiudicat. Fieri sane potest, ut hoc die Nicaeae Smyrnaei memoria ageretur. „Latini” recentiores omnes, non quo die ille mortuus est, sed VII kal. febr. eius memoriam egerunt. Incommode accidit, quod E plenum laterculum non habet; quod si accideret, quae in MNH legerentur, colligere fortasse possemus. Nunc in medio relinquendum fueritne Polycarpus ignobilis Nicaeus. B praeterea *Paulae*, R³ *Bethleem dep. s. Paulae*. Praeclara Paula Romana est, quae A°. 404 Bethlehem obiit. 1)

VI kal. febr. Nicaeae Polycarpus.

Cf. VII kal. febr. De Lucio XV kal. febr.

V kal. febr. De laterculo, quem in E legas, cf. VII kal. febr.

III kal. febr. In initio laterculi: *In Gadava (Gavala BL, Gavalla W) civitate sancti Pauli*. Ex viris doctis alius aliam urbem esse putavit. Mea opinione sermo est de Gabalis, Galliae populo, de quibus in MHB iterum agitur XII kal. sept. *et in Gavalis (in Cabillitano C, in Gavalis L) vico mimmatinse Passio sancti Privati martyris*. De Hippolyto cf. III kal. febr.

III kal. febr. Antiochiae Hippolytus <ex antiquis>.

MS Ian. 30 *Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ πόλει Ἱππόλυτος*. In MH *In Antiochia passio Hippolyti*; III kal. febr. [et alibi] *Hippolyti episcopi [de antiquis BW]* „Viro Romano” acta Antiocheni martyris fuerunt (quorum nullum vestigium superest), aut librarius quidam Hippolytum martyrem cum Hippolyto presbytero Romano, qui in Sardiniam deportatus est, confudit. Potest vero fieri, ut ille Hippolytus Romanus ipse Antiochiae celebratus fuerit. Qui Hippolytum II kal. febr. adscripsit, alium quendam indicasse videtur. 2) Quod ad articulos IIII et III kal. febr. relatos attinet et verbum q. e. *passio* (ut supra vidimus) et q. e. *de antiquis* a vita Hippolyti presbyteri non abhorrescent. 3) Si verbum q. e. *de antiquis* ex MNH in MH translatum est, (quod non certum est: cf. p. 8) satis constat in MS Romanum memorari.

1) BHL 6548–6550. Hist. Laus, CXLI; Butler, I. I., p. 128. Hieronymus refert (Ep. 108, PL, XXII, c. 878 sqq.) sanctam et beatam Paulam VII kal. febr. „post solis obitum dormivisse.”

2) Idemne est, qui Romanus Hippolytus, cuius memoria Febr. 2 (III non. febr.) in voce *In Foro Sempronio* in omnibus codicibus occurrit? An articulus ab die IIII an III kal. febr. iteratur?

3) Id. aug. de *passione* mentio non est: saepius autem in MH alicuius memoria cum ex kalendario (id. aug.) tum sive eodem, sive altero die ex actis (IIII kal. febr.) deprompta est. (De verbis q.s. *passio* et *de antiquis* cf. p. 19, 5).

II kal. febr. De Alexandrinis et de iis, qui in E in voce *et alibi* leguntur, cf. V id. febr. De Tyrso XV kal. febr. Hippolytus Alexandrinus non videtur. Cf. III kal. febr.

Kal. febr. In Smyrna (Graecia BW) Civ. nat. Polycarpi episcopi, Pioni, <Dionysi> [et aliorum VII] it. Pioni et aliorum V (XV BW) Ita in MH legitur, licet nec Polycarpus nec Pionius kal. febr. e vita excesserit.¹⁾ E. Krusch²⁾ codicis E auctoritatem fortiter defendens, ait E (*In Smyrna*) veram lectionem habere; aliorum codicum lectionem (*in Graecia*) alicuius auctoris, qui „antiquitatum doctrina gloriaretur, stultum errorem esse.” Cui non plane assentior. Si quis scientiam antiquitatum ostentare vellet, potius *In Smyrna* scripsisset pro verbo q. e. *In Graecia*, quam *in Graecia* pro *in Smyrna*. In antiquissimo exemplari *In Smyrna* adscriptum esse veri simile non puto, cum uterque martyr suo die in MH in illa voce memoretur. Articulus ab aliquo viro, cui liber fuit, in quo de Pionio cum V (aut XV) sociis una cum Polycarpi martyrio mentio fieret, adiunctus est. Amborum martyrum Eusebius in Historia Ecclesiastica mentionem facit, qui martyrio Polycarpi relato dicit in eadem epistula³⁾ de aliis eodem tempore coronatis narrari, inter quos Germanicus, Metrodorus et in primis Pionius dicantur. In initio plurimarum passionum, e. g. apud Ruinart⁴⁾, legimus „Ponium cum suis natale Polycarpi celebrantes, vim persecutionis invenisse.” Legenti igitur neglegentius eiusmodi libellum⁵⁾ erat, quod Ponium Polycarpumque uno die martyrologio adiungeret. Quare kal. febr. id fecerit, diiudicare nequeo.

De Dionysio nil inveni. Ex alio die nomen huc devenisse arbitror. De Phoca III non. mart.

III non. febr. De Symeone cf. p. 54.

II non. febr. De Maximino episcopo Antiocheno, cuius memoria in MS legitur, cf. p. 9 et VI id. iul. De Philea egimus II id. ian.

Non. febr. De Andrea cf. p. 64.

VIII id. febr. Codex W solus, id, quod non saepe evenit, veram lectionem habet: *In Caesarea Cappadociae Passio sanctae Dorotheae et Theophili*⁶⁾ *scholastici*. B et E nomen urbis omittunt, quo fit, ut

¹⁾ Polycarpus VII kal. mart. 155, Pionius III id. mart. 250 mortuus est.

²⁾ NA, XXVIII, p. 300.

³⁾ Sc. de ecclesia Smyrnaea ad Ponti ecclesias data. HE, III, 15, 46, Schwartz, p. 352.

⁴⁾ p. 140; ita. AS, Iul. V, p. 230; R. Knopf, Ausgewählte Märtyrerakten, Tübingen 1913², p. 56.

⁵⁾ Articulus ex Eusebiano ipso opere fluxisse non necesse est. (Conf. p. 39).

⁶⁾ In codice quidem: *Et in opoli!*

hi martyres *in Achaia* (B) aut *alibi* (E) celebrati esse videantur. Exstant varia acta latina ¹⁾, ex quibus articulus sine dubio depromptus est. Legimus ²⁾ Dorotheam praeside Saprigo temporibus Diocletiani „ob fidem“ deprehensam et interrogatam esse. Duas sorores Christam et Callistam, quibus traditur, ad Christianam fidem convertit; cum „hisce sororibus iam igne concrematis ad supplicium eat, quidam Theophilus: Eia, inquit, tu sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso sponsi tui.“ Dorothea deum precatur et puellus rosas et mala ferens visus est ³⁾ Quo miraculo conversus, Theophilus cum Dorothea securi percussus est. Articulus nomine urbis omissio iteratus est II id. febr. De Luceia cf. kal. iun. De „Achaicis“ martyribus (ex quibus E *Revocatum* in voce *alibi* memorat) nisi nomina nihil referre possumus. Mea opinione autem Achaici non sunt. *In Achaia* (*Achia* E) *Saturnini* [alibi E] *Revocati* sunt depravata nomina *Agathae*, *Revocati*, *Saturnini*, quae non. febr. leguntur.

VII id febr. *Κάνδιδα* in MS memorata in MH non legitur. Fortasse errato in MS est adscripta: proximo articulo MS *Κάνδιδον* memorat. An idem est qui Knodinus (Ian. 7!), quem MH *Candidae*, *Candedi*, *Candediani* dicit?

VI id. febr. In Armenia minore Dionysius, Sebastianus, Aemilianus.

Articulus in codd. legitur *In Armenia minore nt. Dionysi, Sebastiani, Emiliani*. Quaestio exstitit sitne Aemilianus idem qui Armenius, quem in actis ⁴⁾ legimus Diocletiani temporibus cum in Italiam venisset, episcopum Trebianum creatum esse. A sacerdotibus „deorum falsorum“ accusatus securi percussus est. Florentinus se in actis legisse „Aemilianum episcopum Lucae vel Lucanae, in Etruria sitae, fuisse“ dicit. Esto; non dubium est, quin eorum actorum scriptor vitam alicuius obscuri episcopi Italici (si quidem exstitit!) cum martyre Aemiliano, quem MH habet, inscite coniunxerit.

V id. febr. <Apud Cyprum> Alexander, Ammonius. Alexandriae Paulus, Dionysia.

Codices omnes habent *Apud Cyprum nat. Alexandri, Ammoni [et aliorum XX E] . . . et Ammoni et aliorum XXXVIII; X kal. mart.*

1) BHL 2321—2325.

2) AS, 6 febr. I, p. 771 sqq.

3) Alia recensio (BHL 2321, qua ML usum est) nihil de sororibus et puero narrat. (Dorothea orarium solum per puellum Theophilo mittit. „Ille sibi faciem tergens, tanta repente suavitate perfusus est ut tota mente mutatus cum grandi exultatione et clara voce saepius replicet: Benedictum nomen Domini mei Iesu Christi“ sqq.).

4) AS, 28 Ian. II, p. 833.

rursus nonnulli martyres Cypro adscribuntur. Delahaye omnes hos martyres Cypri nunquam celebratos fuisse, sed eos esse, quos Eusebius¹⁾ Alexandriae martyrium passos esse memoret, arbitratur.²⁾ Quod non omnibus ex partibus rectum puto. Ille magnus scriptor rerum libro VIII Historiae Ecclesiasticae inter novem martyres certo Ammonium quandam episcopum enumerat. Adnotationem vero in titulo memoratam ex eo libro Eusebiano fluxisse viro docto non concedo. Quid? Cur is, qui MH adscripsit, eum unum, qui in narratione Eusebiana non exstat atque eminet, ex longiore martyrum serie eligeret? Quam ob rem X kal. mart. unum (Nemesianum) ex magno martyrum Alexandrinorum numero, quem Eusebius tradit, (HE VI, 41, 42) unam (Potamienam) ex martyribus Severi temporibus coronatis (HE VI, 5, 1 – 7) commemoraret?³⁾ In libro HE martyrem quoque nomine Didymum invenit? An est Didymus, cui Dionysius episcopus de persecutione litteras misit? Unus tantum vir huius nominis in libro Eusebiano invenitur, neque is martyrio affectus! Praeterea explicandum est, quo acciderit, ut martyres Alexandrini Cypro attributi sint. Quod Delahaye primo⁴⁾ explicare se non posse confessus est; postea⁵⁾ scribit verba *apud Cyprum* pro verbis q. s. *apud Aegyptum* scripta facile explicari posse. Sed perraro praepositio q. e. *apud* in MH urbium vel regionum nominibus adiunctum est⁶⁾: nusquam *apud Aegyptum* legitur, nusquam *In Aegypto Alexandriae*, quod Delahaye legendum esse arbitratur. Probabile ergo non est aliquem eorum nomina ex maiore Alexandrinorum numero sumpsisse et eo modo MH adscripsisse. Fieri sane potest, – licet inter martyres Cyprianos alio loco descriptos non inveniantur – ut Alexander ceterique in insula Cypro vixerint passique fint; fieri potest, ut Aegyptii vel Alexandrini⁷⁾

1) VIII, 13, 7, Schwartz, p. 772 sq.

2) Saints de Chypre, AB, XXVI, p. 234 sqq.

3) Omitto quod MH non habet Potamienam et Nemesianam, sed Potamium et Nemesium.

4) AB, XXVI, p. 235 (1907).

5) Les orig., p. 251, adn. 6 (1912).

6) Sc. VIII kal. mart., III non. apr., III non. iun., in articulis ex latinis fontibus depromptis. (Rich, codex recentior, VIII *id. ian.*: Apud Sirmium) Scriptores MEM saepe hac praepositione usi sunt. Nunquam vero, quod in MS (et MNH) legitur ἐν vel ἐν τῇ πολείῃ verbo q. e. *apud (urbem)* in MH versum est: articuli igitur ex MNH non fluxerunt.

7) Achelis prave existimat (die Mart., p. 194) Apolloniam Alexandrinam, quam MRP V id. febr. habet, eandem esse, quem Ammonium in MH memoratum. Achelis MRP iniuria magni momenti ducit. Operae pretium est cognosci, unde auctor huius martyrologii articulum sumpserit. Florus X kal. mart. (Quentin, p. 294) ex XXVI martyribus Alexandrinis, quos Eusebius § 41 et 42

fuerint, qui tamen aliqua de causa Cypri celebrarentur (cf. XIII kal. apr.). Nonne Eusebius multos Christianos Aegyptios Cyprum missos esse narrat? (De mart. Palaest. 13, 2) Propius fidem articulum ex actis, de quibus acturi sumus, fluxisse. Quod si verum est, *apud Cyprum* re vera depravatam *apud* vel *ad Aegyptum* est.

Paulo infra *articulum* legimus *item Ammoni et aliorum* XXXVIII et in fine laterculi (*In Aegypto Iuli . . .*) plus quam XXX martyres, quae adnotationes ambae ex passione Ammoni cum suis sumptae sunt; qua passione is, qui MNH transvertit, usus esse videtur. Longum est, nec necesse, omnes hos martyres hic enumerare: eos tantum afferam, ex quibus animadverti possit, quotiens nonnulli ex iis in MH legantur:

II kal. febr. in Alexandria Tarsici, Zotici, Ammoni [et alibi] Communi, Cyriaci, Gemini, Gelasi, Hippolyti, Ursini.

V id. febr. . . . Ammoni In Aegypto Milicuti, Tyrsi, Plesei, Bastami Protei, Orionis Luci Hippo, Germani (Gemini?) Serapionis, Pampyri, Dioscuri Potamonis, Peteconidae, Communi, Zotici, Cyriaci, Hippiae.

III id. febr. In Alexandria Passio Apollonis (Ammoni), Protei, Orionis, Plesei et aliorum XX <Romae(!)> Zotici [Amanti] (Ammoni?)

III id. febr. Amanti (Ammoni?) Tulici (Milicuti?) [In Africa B et alibi] Zotici, Cyriaci, Ammoni, Communi Peteconidae

II id. febr. [In Alexandria] Ammoni, Zotici, Cyriaci. In Alexandria Germani, (Gemini?) Cyriaci, Ammoni, Eumini (Communi?), Pamphili (Pampyri).

id. febr. In Alexandria Tulliani (Tulici), Cyriaci, Ammoni.

XVI kal. mart. Passio Ammoni, Ionas(?), Ammoni, Stoppi, (Tulici?) Protidi, (Protei) Praeconidae In Alexandria Advoti (Ammoni?) Preconi (Peteconidae).

XV kal. iun. In Alexandria Potamonis presb., Serapionis presb., Pantheri (Pampyri) Dioscuri Palmi (Potamonis?) Peteconidae diaconi, Cenroni Dativi, (Peteconidae diac) Luci Hermonis (Ammoni?)

libri sexti enumerat, XX enumerat. Qui MRP composuit, articulum a Floro memoratum in decem partes divisit, martyresque, quo ordine Eusebius eos enumerat, hisce diebus memoravit: II kal. febr., VI id. febr., V id. febr., III kal. mart., XVIII kal. dec., VI id. dec., II id. dec., XVIII kal. ian., XIII kal. ian., XI kal. ian.; ex quibus diebus II kal. febr., V id. febr., III kal. mart. in MH Alexandrini martyres (non idem autem, qui MRP adscripti sunt) memorantur. Casu igitur accidit, ut inter nomina V id. febr. in MRP et MH relata similitudo quaedam sit.

lectoris cum aliis IIII Serapionis, Bastami presb., Potamonis, Pantheri, Peteconidae, Diranti, (Aran B = Hermon = Ammoni?)

III id. dec. *In Alexandria Sammonis?*

Omnes hos martyres ex actis sumptos esse verbo quod est *passio* indicatur (cf. p. 19). Quot Alexandrinos acta enumeraverint, ex his articulis effici non potest. (Cf. XV kal. iun.).

Ad V id. febr. de duobus Alexandrinis mentio fit, quorum nomina in illa passione scripta fuisse non videntur: *In Alexandria Pauli, Dionysi*. Eusebius¹⁾ cum multos Alexandrinos martyres, tum Paulum et Dionysium enumerat. Veri simile est MH et Eusebium eosdem martyres indicare. Ex libro Eusebi autem, in quo nomina non conexas legantur, articulus non est sumptus. Ex alio libro²⁾ vel ex fastis Alexandrinis adnotatio fluxit. (Cf. XIII kal. apr.) De Thoma cf. p. 63.

III id. febr. De Alexandrinis V id. febr. egimus. De Andrea cf. p. 64.

III id. febr. *In Campania (in Apamia BW) Poenis et Eupraxi [et in Armenia Basili et in Vulturno Castrensis] in Campania Basiliani*. E meliorem lectionem servavit. De *Apamia* et *Poenis* cf. kal. iun. Quod ad Basilium pertinet, Synaxaria Febr. 11 martyrium Sebasteni episcopi nomine Blasii tradunt. Fuit praeclarus martyr Licini temporibus coronatus, cuius vita in actis cum graecis³⁾, tum latinis⁴⁾ refertur. Sine dubio est idem. Unde sumpserit articulum, qui MH adiunxerit, ignotum est. De Amante cett. V id. febr. egimus.

II id. febr. <Alexandriae Candidus, Valerius, Cyrillus...>

In alexandria natale damiani militis et infantis modesti ammonis zotici et cyriaci kartagine posinni modesti. In alexandria iuliani victoris felicis secundi severiani carpofori germi cyriaci ammoni eumini pampili et alibi dorotae teofili. Sic codex E. MK V id. febr. „Felicis, Victoris et Ianuarii.“ Qui articulus in MH cum III id. febr. tum II id. in voce. *In Alexandria* legitur. Quae nomina praeter horum III martyrum leguntur (*secundi* usque ad *carpofori*) nomina Africana sunt, quae ex MK martyrologio latino adscripta esse veri simile est. De Ammonio Cyriaco et Germino Pampilo cf. V id. febr. De Dorothea VIII id. febr.

In initio laterculi B habet *In Africa passio Damiani militis, Carthagine Posinni, Modesti*. Cum *passio*, ex qua nomina Damiani (et Modesti?)

1) HE, VI, 41 et 42, Schwartz, p. 600 sqq.

2) In SC Oct. 3 martyrium *Dionysi* episcopi Alexandrini relatum est, quocum diaconi Faustus, Gaius, Petrus, *Paulus*, Eusebius, Chaeremon temporibus Valeriani et Gallieni passi sunt.

3) BHG 276—277.

4) BHL 1370—1380.

effluxisse videntur, perierit, nec usquam alibi de his martyribus quid inveniamus¹⁾, ad quaestionés, quae hoc loco oriuntur, respondere non possumus.

In MS memoria Alexandrinorum *Κανδίδου καὶ ἐτέρων μαρτύρων* occurrit. Duchesne²⁾ et Achelis³⁾ hosce martyres in MH XVI kal. mart. (*Candidiani . . . Candidi*) inveniri arbitrantur. Quod falsum est: nomina illa leguntur in parte laterculi, quae XVI kal. mart. ab VII id. ian. perperam iterata est. (Cf. ad hosce dies). *Κανδίδος* vero estne fortasse (depravatum?) nomen unius ex numero Ammoni, cett.? An VI id. mart. articulus in E legitur?

id. febr. In E de passione sanctae Iulianae Nicomedensis mentio fit. BW Rich. habent *Iuliani*. Si acta⁴⁾ synaxariaque evolves, codicem E antiquissimum articulum servasse assentieris: in quibus legimus Iulianam temporibus Maximiani Nicomediae ab sponso ipso, cui nubere nollet, nisi in fidem christianam se convertisset, acerrime cruciatam, denique decollatam esse. In actis latinis legimus corpus a muliere quadam nomine Sephonia Cumas, ad urbem in Campania sitam, translatum esse. Quam ob causam XIII kal. mart. in MH: *In Campania cumbas (!) nat. Iulianae*⁵⁾. Et illa adnotatio et quae id. febr. legitur ex actis sumpta est. Graeci eam colunt Dec. 21 et vir doctus Migne adnotat ad acta graeca⁶⁾ „XIII kal. mart. ut latina habent martyrologia . . . est festum translationis eius ut habet Mart. Rom.; Graeci Dec. 21 natalem diem eius agunt”. — At in fine actorum latinorum legitur: „Passa est autem beata Iuliana die XIII kal. mart.” (!) Acta vix ad fidem historiae scripta habenda; has res diiudicare hic mihi non vacat. Quis sit Dicientius, quem omnes codices in voce *et alibi* memorant, nescio. De Alexandrinis cf. V id. febr. De Poliarto VII id. ian.

XVI kal. mart. Magnus denuo numerus Alexandrinorum memoratur. *In Alexandria Bassi, Antoni, Protiluci (= Protei, Luci?) [Hii in mare missi sunt B] it Cyrionis presb., Moyses, Bassiani, Agathon (= Bassi, Antoni?) exorcistae, [Hi omnes igne combusti sunt B] it*

¹⁾ MEM, Florum (Quentin, p. 328) secuta: „In Africa passio sancti Damiani militis. Et apud Alexandriam Modesti et Ammoni infantum.” Florus ex MH, quod recte non legit vel intellexit, articulum deprumpsit.

²⁾ MH Prolegomena, p. [LIII].

³⁾ Die Mart., p. 194.

⁴⁾ AS, 16 febr. II, 873 sqq.

⁵⁾ Codex C *XIII kal. mart. Nicomediae Passio s. Iulianae virginis et martyris.*

⁶⁾ PG, CXIV, c. 1452.

Dionysi, Ammoni, [decollati sunt B] Armati¹⁾ Arbasi(?), *Dionysi ep, Pauli, Levioris, Orbasi(?)*, *Plebei, Dionysi presb, Amanti, [cives Antiocheni]*. Spectans quem ad modum articulus in codice B adscriptus sit, veri simile puto adnotationem ex actis sumptam esse. Fieri autem potest, ut in fastis Alexandrinis capita, haec vel talia continentia legentur; cum nullum vestigium passionis supersit, res diiudicari non potest. (Cf. autem p. 28). In fine laterculi omnes codices martyres Saturninum, Advocatum, Praeconium, Maximum Alexandrinos habent. Articulus mihi suspectus; qui indicentur, nescio. Non amplius dicere possum de martyre Severo: *[et alibi B] Passio sancti Severi (Seneri BW)*, nisi forte idem est qui martyr, de quo VII kal. mart. acturi sumus.

Obscurae et confusae adnotationes de Iuliano quodam inveniuntur: *In Cilicia (Licia BW) nt [sanct BW] Segari (Germani BW) et Iuliani*. In fine laterculi *[In Sicilia Egeas BW] Iuliani*. In SC Mart. 16 (nonnulli codices Mart. 18) et Iun. 21 elogium martyris Iuliani memoratur, qui Anazarbi in urbe Ciliciae (non procul ab Aegaeis, quae urbs in MH legitur) vixit Marcianique temporibus cum idolis sacrificare recusavisset, sacco insutus in medium mare demersus est. Quod Anazarbi fieri non potest, Aegaeae potest. Cum acta graeca²⁾ nondum edita sint, fiatne mentio de urbe Aegaeis in his nescio. Articulum autem ex MNH fluxisse, mihi non videtur. Depromptus est ex actis vel ex alio fonte (ex quo et SC sumpsit), in quo Mart. 16 Iuliani memoria occurreret. Per errorem in MH non Mart. 16, sed XVI kal. mart. adscriptus est. De „Passamonas”, cett. cf. V id. febr. De Polyucto VII id. ian.

XV kal. mart. Antiochiae Iosippus diaconus. <In Syria Adventius>

De Iosippo XIII kal. apr. De ceteris Antiochenis VIII kal. iun. Martyrum nomina qui in voce *In Syria* memorantur pleraque Africana sunt: *Gemelli, Victoris, Castuli, it. Victoris, Gemelliani*. *In Syria* depravatum martyris nomen est? Hanc vocem ad Antiochiam pertinere vero propius puto. Cf. XIII kal. apr.

XIII kal. mart. Caesareae Pamphilius presbyter, Valens diaconus, Seleucus, Porphyrius, Theophilus, Iulianus cum Aegyptiis numero V militibus.

De quibus, p. 41. De Iuliana id. febr.

¹⁾ Notandum est ML (Quentin, p. 211) Armati, Arbasi inter Alexandrinos non enumerare.

²⁾ Conf. AB, XV, Un fragment des actes de S. Julien d'Anazarbe, p. 74. In sermone, a Ioh. Chrysostomo in hunc martyren habito, urbis nomen non legitur. „Ἦνεγκε μὲν”, inquit „Ἰὺν τὸν ἅγιον τοῦτου τοῦ τῶν Κιλικίων ἔθνος.” (PG, L, c. 665).

XIII kal. mart. Martyrologium XIII et XII kal. mart. laterculos valde confusos habet. Martyres Afri, Concordiani, Aquileienses mire confusi sunt. Nullus ex his in MNH legebatur, quam ob causam illas res in medio relinquimus. Quod E habet (*In eff. nt. crisanti*) est perperam scriptum *In Africa . . . Criscenti*. Criscentius autem Aquileiense videtur. E praeterea *In Babylonia Polychroni*. Acta Polychroni sunt pars libelli vulgo „Gesta Laurenti“ nuncupati.¹⁾ Quibus in Gestis vitae Abdonis et Sennis, (in MH III kal. aug.) Polychroni, Olympiae, (XVII kal. mai), Xysti, Felicissimi, Agapiti, (VIII id. aug.) Laurenti, (III id. aug.) Hippolyti (id. aug.) inveniuntur. Quorum omnium articuli illis ex gestis manaverunt.

X kal. mart. <Apud Cyprum> Potamius, Nemesius, Didymus.

De quibus vid. V id. febr. De Victore et Corona II id. mai.

VIII kal. mart. Nicomediae sancta Thecla virgo.

Codices *Cathedrae Petri in Antiochia* [quam sedit apud Antiochiam BW]. Quid haec significant? Cathedra „ist das Symbol der bischöflichen Gewalt überhaupt und insbesondere der Lehrgewalt des Bischofs. Speziell bezeichnet dann ferner Cathedra Petri die Lehrgewalt des Petrus und seinen Nachfolger auf dem bischöflichen Stuhle zu Rom oder den Primat überhaupt“.²⁾ Depositio martyrum anni 354: „VIII kal. martias natale Petri de cathedra“.

Romani ab id. febr. usque ad IX kal. mart. dies festos, qui dicuntur Parentalia agebant; IX kal. mart. (Feralia) mortuorum memoriam celebrabant; VIII kal. mart. (Caristia) festus propinquorum conventus erat, quo propinqui inter se parva dona donabant, inimicitias componebant³⁾ Omnes viri docti, quantum scio, putant festum Petri consulto institutum esse, quo die pagani Caristia agerent. Kellner⁴⁾: „Sehr deutlich . . . tritt die Tendenz ein heidnisches Fest unschädlich zu machen, indem man ein christliches an dessen Stelle setzte bei den Charistia zu Tage“. Gruppe,⁵⁾ Bilfinger sequens: „Einen der wenigen sicher nachweisbaren Übergänge eines antiken Festes in ein christliches bietet Petri Stuhlfeier am. 22 Februar, die . . . aus den römischen Caristia hervorgegangen

¹⁾ Multae recensiones exstant (BHL 4751—4789).

²⁾ K. A. H. Kellner, Heortologie³, Freiburg 1911, p. 226.

³⁾ Pauly-Wissowa III, c. 1592; G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer, München 1902, p. 187⁴.

⁴⁾ Heortologie, p. 288.

⁵⁾ Jahresbericht über die Fortschritte der Kl. Altertumswiss, Supplementband (CXXXVII, 1908) p. 310. Disputationem a Bilfinger scriptam (Beil. des Staatsanzeigers für Württemberg, 24 April 1903) evolvere non potui.

ist In Rom strömte das Volk natürlich besonders an Petri Grab zusammen, um (mit den Toten) zu schmausen, daher hiess der Tag *festum S. Petri epularum*. Später gab die Kirche . . . dem Tag eine spezifische Bezeichnung auf das Leben des Heiligen, indem sie auf ihn die Inthronisation Petri auf dem römischen Bischofsstul verlegte" Tum etiam nonnullae quaestiones, mea opinione, non absolutae sunt:

10. si „in Rom das Volk natürlich . . . u.s.w.“, qua re id die Caristiorum nec Ferialiorum faceret.

20. Probatumne sit nomen q. e. *Festum s. Petri epularum* huic diei datum esse, *antequam* „die Kirche dem Tag eine spezifische u.s.w.“

30. Cur duo dies *in MH* memorentur (XV kal. febr. et VIII kal. mart.)¹⁾, qui duo dies festi postea ab Ecclesia catholica publice agerentur.

Festum de Cathedra Petri proprium Romanorum festum erat: in Africa et in Oriente raro agebatur²⁾. Romanus, qui kalendarium graecum latino inseruit, articulum, qui VIII kal. mart. legitur, in MNH legisse, veri simile non est. Fecitne ille vero ex uno die duos festos (quos Ecclesia accepit) et Kellner recte scribit³⁾: „Der Kompilator des sog. MH musz als Urheber der Teilung angesehen worden“? Minime credo. Sed si Ecclesia romana ipsa fecit, cur festum de *Cathedra Petri Romae* non VIII kal. mart. (die Caristiorum) celebravit?

E sine nomine urbis habet *nat. sanctae teclae virginis*, quam *virginem discipulam sc. Pauli* BW Rich. Nicomediae attribuunt. Actorum Theclae multae recensiones existunt. Quas evolverim, de urbe Nicomedia non

1) XV kal febr. [*Dedicatio* W] *Cathedra* [*sancti* W] *Petri* [*apostoli, qua primo* W] *Romae* (*in Roma* E) [*Petrus apostolus sedit* W] Duos dies festos exortos esse non mirum est; antiqui Christiani enim, iis fortasse, quae Paulus scripsit Gal. II, 11: „Ὅτι δὲ ἦλθεν Κηφᾶς εἰς Αντιόχειαν“, adducti, Petrum episcopum Antiochenum fuisse putaverunt. Clemens Alexandrinus vel potius vir quidam ignotus, quae de hac re aequales sentirent, descripsit. In libro eius, qui inscribitur Recognitiones legimus Simonem Antiochia a Petro expulsum esse. Deinde: „Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior domus suae ingentem basilicam ecclesiae nomine consecravit in qua Petro apostolo constituta est ab omni populo cathedra, et omnis populus“ (Recognitionum libri X, Basileae MDXXXVI, X, 70, p. 174). Liber ille a permultis legebatur. Qui vir VI saeculo „Virtutes Petri“ composuit — quae „Virtutes“ sunt pars Historiae apostolicae, quam „Abdias“ scripsisse dicitur — ex hoc libro multa ad litteram transtulit. (Lipsius, I, 172).

2) L. Duchesne, Les origines du culte chrétienne, p. 266.

3) Heortologie, p. 230. Eadem Duchesne et Lietzmann, Petrus und Paulus in Rom., Bonn 1915, p. 71.

dicunt. Iconii nata educataque, virgo Paulum prosecuta est; Antiochiam, in Pisidia sitam, venit, unde se Seleuciam contulit, qua in urbe e vita excessit. Articuli, quos MH de Thecla habet, sunt

VIII kal. apr. et sanctae Theclae, quae passa est pro castitate.

id. iun., et Theclae.

II id. sept. . . . Theclae virg.

IX kal. oct. In Oriente (In Seleucia nat. sanctae BW) Theclae [quae aroma igne deposita evasit et ideo multum natale habet W] [quae Romae igne deposito evasit LV].

XV kal. dec. In Asia Theclae virg.

XIII kal. ian. In Iconio (W et E XII kal. dec. in Oriente) Theclae.

Miramur huius virginis memoriam, cuius acta iam saeculo secundo scripta sint¹⁾, in MS non occurrere. Altera saeculi III parte prope Seleuciam in Isauria sitam celeberrima basilica ad eius honorem exstructa est.²⁾ Nemo Seleucianus martyr in MS memoratur; Thecla tamen maiore laude florebat³⁾, quam ut in MS non desideremus. Sed articulus in MN fortasse legebatur et errato in MS omissus est. BW enim adnotat *in Nicomedia*; in E paulo infra *it* (q. e. item vel iterum) *in Nicomedia* legitur, ita ut in exemplari antiquissimo et fortasse in MNH verba, quae sunt *in Nicomedia* ad Theclae articulum adiecta esse videantur. Nisi forte *in Nicomedia* depravatum *in Iconio* est, articulum ex fastis Nicomedensibus (et igitur ex MNH) desumptum puto. Unde ceteri articuli et dies fluxerint, non facile est decernere. Dies IX kal. oct. et in MH et in SC et in actis legitur. Ex antiquiore fonte fluxisse videtur. Sed quae in WLW eo die leguntur, ex actis codicibus recentioribus adiuncta sunt. Dies XV kal. dec. in latina tantum passione legitur. Utrum dies ex actis an ab actorum scriptoribus ex MH sumptus sit, diiudicare non possum. Dies II id. sept. et XIII kal. ian. arbitrio electi esse videntur et articuli hisce diebus relati ex actis sumpti.

E solus *In Antiochia nat. Galli consulis*. Videtur *in Antiochia* ex precedente laterculo iteratum. De consule cf. ad p. 69. De Sereno cf. VII kal. mart. De Nicomedensibus VI kal. mart.

1) Lipsius II, 461 sqq.

2) Greg. Nazianz. Carmina, II, PG, XXXVII, c. 1067 Ioh. Chrysostomus in eam laudationem habuit, (PG L, c. 745 sqq) in qua de nulla urbe mentio fit.

3) Ineunte V saeculo Dalisandi basilica Theclae dedicata est. (Basilius Seleucianus episcopus, de vita ac miraculis s. Theclae II, 2, PG, LXXXV, c. 581.) Exeunte V saeculo Antiochiae, Constantinopoli, in Palaestina magno in honore erat. (Les orig., p. 237, 276, 217.)

**VII kal. mart. In Asia <ex antiquis> Polycarpus episcopus <cum aliis XII> et <Sirmii> Syneros?
Cosconius, Melanippus, Zeno.**

Laterculus, qui in MH legitur, confusus est. Nisi MS opem ferret, nodi expediri non possent. In Syriaco legitur Ἐν Ἀσία ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Πολύκαρπος ὁ ἐπίσκοπος καὶ Ἄρωτος καὶ Κοσκώνιος καὶ Μελάνιππος καὶ Ζήνων. Quae nomina bis terve in MH inveniuntur. De Polycarpo iam diximus. (kal. febr.) Quem VII kal. mart. 155 martyrio coronatum esse satis constat. Quamquam Waddington in disputatione de vitae Aelii Aristidis rhetoris Chronologia Polycarpum eo die obiisse probavit, quem (ne dicam omnes) Florentinus¹⁾, Lipsius²⁾, Egli³⁾, Lightfoot⁴⁾, Zahn⁵⁾ secuti sunt, Harnack⁶⁾ aliique dubitant. P. Corssen⁷⁾ copiose hanc quaestiones exponens omnibus rebus perpensis ex duobus annis (155 an 166) annum 155 rectum esse collegit. Iterum Ramsay⁸⁾ et Power⁹⁾ quaestionem egerunt.

MH habet *cum aliis XII* aequae atque Rufinus¹⁰⁾ et acta latina¹¹⁾. Eusebius autem ipse et acta graeca¹²⁾ Polycarpum duodecimum fuisse dicunt. Verba igitur *cum aliis XII* in Occidente adiecta videntur. Cur Polycarpus *in Asia*, non *Smyrnae* celebratus esse memoratur? Ex epistula praeclara a Christianis Smyrnaeis scripta memoriam Polycarpi sua in urbe antiquis iam temporibus actam esse apparet. Ei qui MN composuit, index Smyrnaeorum martyrum non fuit: nemo Smyrnaeus praeter Polycarpum memoratur. Unde articulum de Polycarpo sumpsit? Viro docto Duchesne¹³⁾ putanti adnotationem ex libro aliquo sumptam esse non adsentior. Probabile non est aliquem, cui notum esset Polycarpum VII

1) Florentinus ad hunc diem.

2) R. A. Lipsius, Das Märtyrertod Polycarps, Zeitschr. für wiss. Theol., XVII, 1874, p. 188 sqq.

3) E. Egli, Martyrien und Martyrologien ältester Zeit, Zürich 1887, p. 74 sqq.

4) J. B. Lightfoot, The Apostolic Fathers, II, 1, London 1890, p. 646 sqq.

5) Th. Zahn, Forschungen zur Gesch. des Kanons, II, p. 95 sqq.

6) A. Harnack, Gesch. der Altchr. Litt. II, 1, Leipzig 1897, p. 334 sqq.

7) P. Corssen, Das Todesjahr Polycarps, Zeitschr. für Neutest. Wissensch. III, 1902, p. 61 sqq.

8) W. M. Ramsay, The Date of Polycarp's Martyrdom, Expository Times, XV, 1904, p. 221 sqq et New Evidence on the Date of Pol.'s Martyrdom E. T. XVII, 1906, p. 188 sqq.

9) M. Power, The Date of Polycarp's Martyrdom, E. T., XV, 1904, p. 330.

10) HE, III 15, 45, Schwarz p. 353.

11) AS, 26 Ian. II, p. 705 sqq.

12) R. Knopf, Ausgewählte Märtyrerakten², Tübingen 1913, p. 8.

13) L. Duchesne, Melanges, p. 131.

kal. mart. e vita excessisse Smyrnaeum episcopum eum fuisse ignorasse. Scriptor mea opinime aut nullum martyrem Smyrnaeum martyrologio suo inserere aut Polycarpi memoriam per totam Asiam VII kal. mart. celebrari docere voluit.

Arotus, Cosconius, cett. socii Polycarpi non sunt. Martyres mihi videntur, qui aliis in urbibus vixerint, quarum nomina MN non adiuncta aut in MS omissa sint. Ἀρωτος idem videtur qui Syneros Sirmiensis¹⁾. In articulo ex MNH deprompto legimus . . . *Smirni (Smyrna BW) nt. sanct Herotis . . .* et paulo infra in eodem articulo iterato: . . . *Arionis . . . Athorae . . . In Asia Sinonis (Synorus BW) Heruli . . . Inertis (Senertis B Sine rotis W) Sirici*. Praeterea in laterculo VII kal. relato: *In Sirmi (in Pannoniis BW) [nat. sanct. B] Sinerotis* et VIII kal. mart. *Sirmi nat. sc. Sereni (Seneri B)*.

De Synerote acta adhuc supersunt²⁾, in quibus martyri interdum nomen Serenus est, qui persecutione a Maximiano excitata martyrio affectus esse dicitur. Nullus socius adiungitur; quae MH addit (*et aliorum XVI (LXII BW) antigoni rutili libii* ad Synerotem non pertinent. Numeri ex verbis q. s. *et alii XII* exorti sunt. *In Pannoniis* post divisionem a Diocletiano factam rectum est: ex quo tempore Sirmium provinciae Pannoniae inferiori attributa est. Martyris nomen, si in MNH occurreret, non modo ex eo martyrologio, sed etiam ex actis MH adiunctum esse puto. Cf. p. 69. De Cosconio, cett. cf. XIII kal. febr.

VI kal. mart. Nicomediae Euethius, <Petrus, Palatinus.>

In voce *Nicomediae* primum legimus *Luciani, Editi, (Iditius B) Petri (Palpetri BW), Felicis, Orbani*, cett., deinde iterum *Nicomediae nat. sanct. Luciani presb., Petri, Palatini, Aeviti*. Nec Felix, Orbanus cum plus quam XL martyribus, quorum nomina sequuntur, Nicomedenses sunt, nec XL paene martyres, qui VIII kal. mart. huic urbi attribuuntur post nomina *Euteri, (Eutiri W) Palatini*. (Quibus nominibus sine dubio idem significantur, qui *Aeviti, Palatini*). Ceteri Afri habendi sunt. Cf. laterculum, qui VIII kal. mart. legitur. Quod ad Nicomedenses attinet, reperies in MH:

VIII kal. mart. *In Africa . . . Euciri (Neuciri BW), Palatini Nicomediae Euteri Palatini . . . Gorgiani (Gurgoni BW)*.

VI kal. mart. *Nicomediae . . . Editi, Petri (Palpetri BW) . . . Nicomediae . . . Petri, Palatini, Aeviti . . .*

VI id. mart. *in Nicea Gorgoni Palatini . . . In Nicomedia Palatini . . .*

¹⁾ Synerotem Sirmii celebratum fuisse duo tituli hac in urbe inventi demonstrant („ad beatum Synerotem“, „ad dominum Synerotem“ CIL III, 10232, 10233.)

²⁾ BHL 7595, 7596.

V id. mart. *Nicomediae Eunuchi, Gorgoni*

III id. mart. *Nicomediae* . . . *Petri* . . . *Dorothei, Gorgoni*

II id. mart. *In Africa (in Nicomedia BW) Petri* . . . *Comis* . . .
 <*In Thessalonica*> *Palatini*(?).

Eusebius narrat¹⁾ temporibus Diocletiani in initio magnae persecutionis Nicomediae Christianum quendam magna virtute constantiaque cruciatus pertulisse, postea tres nobilissimos viros τῆς ἀνωτάτω παρὰ τοῖς δεσπόταις ἡξιωμένους τιμῆς, Petrum, Dorotheum, Gorgonium, denique episcopum Anthimum ipsum pro fide Christiana necatos esse. Postremos quattuor MS memorat: Gorgonium Mart 11, Petrum et Dorotheum Mart 12, Anthimum Apr. 24. Cum in MS Febr. 24 Euethius legatur, Schwartz²⁾ hoc nomen fuisse viro, qui in initio persecutionis martyrio affectus sit, arbitratur. Quod idem mihi videtur. Nomine Palatini fortasse martyr non indicatur sed latine, quo honore Petrus cum suis fruerentur, significatur.³⁾ Conf. autem V et II id. mart.

Lucianus presbyter est praeclarus martyr Antiochenus, de quo VII id. ian. egimus; VIII kal. mart. quoque eius nomen occurrit. Cum aliis diebus in MS memorentur, probabile est Petrum, Dorotheum, Lucianum, eo die in MNH non inventos fuisse. An una cum Euethio iterum colebantur? Eunuchus (V id. mart.) et Comes (II id. mart.) sintne tituli an nomina martyrum ignotorum, diiudicare non audeo. De Caesariensibus conf. p. 47. De Aegyptiis II non mart. De Matthia apost. p. 66.

V kal. mart. In Pamphylia Nestor.

MH non memorat, qua in urbe Nestor coronatus sit. Ex actis⁴⁾ et SC⁵⁾ eum Pergae vixisse et persecutione Deciana martyrio coronatum esse, videmus. Estne articulus ex MNH an ex actis sumptus? Forma quaestionis diiudicandae ansam non praebet. Postea in Occidente memoria III kal. mart. agitur, quia ML illo die Nestorem notat. In MH illo die *Nestoris* inter Afros legitur.

III kal. mart. Thessalonicae Alexander, <Dionysius.>

MS *Καλλίνικος καὶ Ἀλέξανδρος μάρτυρες*. In MH invenimus *Nat. sanct. Alexandri, Nestoris, Iusti, Theonis, Epionis, Donativi, Ampliati, Ingenui, Epionis, Anthi, Fortunati et aliorum XXXII; In Alexandria Felicis. III kal. mart. Nat. Alexandri; In Thessalonica Antigoni,*

1) HE VIII, 5 en 6, § 1–6. Schwartz, p. 746 sqq.

2) Schwartz II, 3 p. 94.

3) Forcellini, Totius latin. Lexicon, in voce Palatinus: „Est titulus, qui inscribitur de Palatinis sacrarum largitionum, qui erant apparitores et ministri comitis sacrarum largitionum et rerum privatarum.”

4) AS, 26 febr. III, p. 628.

5) Febr. 28.

Abundanti, Titiani, Macari, Severiani, Gaiani, Fortunionis, Ianuari. Duchesne¹⁾ Alexandrum, quem IIII kal. codices memorant, eundem esse, quem martyrem in MS memoratum putat. Quod non credo: primum Callinicus omissus est; deinde *Alexandri* vel *Alexandriae* II kal. mart. in serie nominum Africanorum invenitur. Omnes vero, qui IIII et III kal. mart. in voce *In Thessalonica* leguntur, Afros duco. Omnium paene nomina proximis diebus inter Afros leguntur: *Alexandri* (prid. kal. mart.) *Iusti*, (V kal. mart., II kal. mart., V non. mart.) *Theonis*, (*Neonis* V kal. mart.) *Eppionis* (*Epolis* prid. kal. mart.) *Donativi*, (*Donati* V, II kal. mart., kal. mart., V non. mart.) *Ingenui*, (V kal. mart.) *Fortunati*, *Fortunionis*, (V kal. mart., V non. mart.) *Abundanti*, (kal. mart.) *Macari*, (II kal. mart.) *Severiani*, *Serviliani*, (prid. kal. mart.) *Gaiani* (*Gai* II kal. mart., V non. mart.) *Ianuari*, (V kal. mart., II kal. mart., V non. mart.) *et aliorum XXXII.* (III kal. mart.) Adnotationem *In Alexandria Felicis* falsam puto. Atque adeo *Nat. Alexandri In Thessalonica* vel potius quod W et Rich. habent *In Thessalonica Alexandri* eundem articulum esse, quem laterculum syriacum arbitror.²⁾ Quaeritur utrum MS *Kallinikos* verbi *Thessalonica* loco scripserit, an MH perperam urbis nomen ex nomine martyris deduxerit. Mea opinione MS falsam lectionem habet. Acta recentiora exstiterunt, ex quibus SC Nov. 9 epitomen servat. Maximiano regnante martyr cui nomen Alexander Thessalonicae, quod calce idolorum aram percussisset, obruncatus est. MEM IIII kal. episcopum Alexandrinum huius nominis, qui anno 326 de vita decessit, memorant, *Florum*³⁾ secuta, qui hunc Arii adversarium sub adnotationibus supra relatis latere, arbitratus est.

III kal. mart. <In civitate Smyrna nat. sanct. Servilianus, Dacianus, Leander.>

Quos Smyrnaeos fuisse suspicor. Servilianus quidem et Dacianus⁴⁾ nomina Africana sunt. *Florus*⁵⁾ Leandrum Hispanum episcopum fuisse, qui 600 vel 601 mortuus est, opinatur. De Alexandro et „Thessalonicensibus” cf. IIII kal. mart.

II kal. mart. Verba *In Alexandria*, quae in initio laterculi in codice E leguntur, ab IIII vel III kal. mart. iterata sunt, aut (id, quod magis credo) ad Claudianum, Victorinum . . . pertinent, de quibus II non. mart.;

1) Prolegg. p. LIII.

2) Fortasse *Dionysius* III kal. mart. in voce *In Africa* Alexandro adiungendus est. Cf. II id. mart.

3) Quentin, p. 303.

4) Codex S *diaconi* (!)

5) III kal. mart.; Quentin, p. 314; Acta Leandri BHL 4810.

April 28 articulus iteratur *In Alexandria Victorini*. (II kal. mart.: Febr. 28).

Kal. mart. Hesychius et Cyriacus in MS relati in MH non reperiuntur.

VI non. mart. Caesareae in Cappadocia Gordius.

VI kal. mart. legimus in MH *In Caesarea Capp. nat. sanct. Heruli, Luci, Georgi, Abiolonis* et VI non. mart. *Heroli, Georgi, Absoloni, Caesareae Capp., Luci ep., Primitivi, Romae* . . . Apparet ex quattuor Romanis martyribus plerisque in codicibus duos VI kal. mart., duos VI non memoratos esse: Primitivum, Paulum, Secundulam, Ianuariam. Quo forte fassè fit, ut articulus de Caesariensibus VI kal. mart. iteretur. In MS invenimus Mart 2 *Ἐν Καισαρείᾳ Καππαδοκίας Γορδιανὸς μάρτυρ*. Sine dubio ille Gordianus idem est qui Sergius¹⁾, Syrgius, Georgius, quos codices MH habent et qui Gordius, qui temporibus Licini sacrilegi „mundum” in deserta effugisse dicitur²⁾. Postea reversus in theatro evangelium praedicat, securique percutitur. Basilus in laudatione, quam in eum habuit³⁾, Gordium Caesareae in Cappadocia natum esse dicit. Acta latina⁴⁾ eadem referunt, nisi quod martyrem anno regnantis Diocletiani XX obiisse tradunt. In MS et in actis de Gordio solo (quod mihi nomen rectum videtur) agitur: martyres, qui in MH una cum Gordio memorantur, Caesarienses non sunt.⁵⁾

V non. mart. Inter multos Afros invenimus quosdam martyres, (Nicephorum aliosque) de quibus II non. mart. acturi sumus. Deinde magno intervallo duo nomina leguntur, (. . . *Marini* . . . *Asteri*) quae III non. mart. inter magnam turbam (*Asteri* . . . *Mari*) iterari videntur. Sub quibus nominibus Florus⁶⁾ martyres latere, quos Eusebius⁷⁾ persecutione Valeriana Caesareae in Palaestina martyrio affectos esse inducit,

1) Videtur illud nomen et eius martyris passio cum passione et nomine Synerotis coniuncta esse. Cf. VII kal. mart. —

2) SC, Ian. 3.

3) Opera Basilii ed. I. Garnier, Parisiis MDCCXXII, Homilia XVIII in Gordium martyrem, tom II, p. 141 sqq.

4) AS, 24 Febr. III, p. 17 sqq. Quae acta Sollerio (In „observatione” — ad martyrologium Usuardi, p. 121) suspecta erant. Postquam monuit Usuardum Sergi elogium ex Adone expressis etiam verbis extremis q.s. „cuius gesta praeclarissima habentur” sumpsisse: „Utinam”, inquit „ea si unquam extiterint, alicunde eruantur; nam quae . . . ex Tamayo Salazar producta sunt, ea ut minimum novo et accurato examine prorsus indigent.” Attamen non habemus, quod acta graeca et Synaxaria falsa iudicemus.

5) Lucius ep. est Romanus (Cf. III non mart.) Herolus quoque inter Romanos martyres memoratur (id. mai).

6) Quentin, p. 296.

7) HE, VII, 15 et 16, Schwartz, p. 668 sqq. *Μαρῖνος* . . . *Ἀστῆριος*.

arbitratur. Quod iniuria eum arbitrari satis constat. Nomina saepius leguntur et martyres Afri habendi sunt.

III non. mart. Asclepiades episcopus Antiochenus et Nicomediae Photius, Archelaus, Cyrinus et alii XVII.

Cum Maximianus Imperator quondam Nicomediae XXIII martyres dis Romanis sacrificare cogeret, variisque eos cruciatibus temptaret, Adrianus „agminis dux” fidem constantiamque martyrum cernens, iis se adiunxit. In carcerem ductus ab uxore Natalia sublevatus est. Quoniam ab Imperatore interrogatus, fidem mutare recusavit, fustibus caesus est. Haec acta cum graeca¹⁾, tum latina²⁾ referunt. Cum III non. mart. Adrianus Caesariensis (de quo p. 42) memoretur, Adrianum alterum III non. mart. inveniri, suspicionem movet. Cum praeterea in W et Rich. legamus Passio *sancti Adriani*, non dubitamus, quin articulus ex actis sumptus sit. Quae acta parum ad fidem historiae scripta sunt.³⁾ Nec quidquam de cultu Adriani Nicomediae accepimus; sunt, qui putent eum Romae magno in honore fuisse.⁴⁾ Iam saeculo VII Romae basilica Adriani erat. „A sancto Hadriano” enim Papa Sergius „letania diebus adnuntiationis Domini, dormitionis et nativitatis Mariae ac Hypapanti exiret quo ad sanctam Mariam populus occurreret” decrevit. Non assentior viro docto Quentin,⁵⁾ has sedes Adriano *Nicomedensi* consecratas fuisse.

Delahye docuit⁶⁾ anno fere 500 Romae plerisque ecclesiis titulos nomine *conditoris* designantes fuisse: titulum Pammachi, Iuli, Eusebi, cett.; ecclesiarum nomina uno saeculo post, cum omnia haec templa in cuiusdam martyris tutela essent, plerumque ab *hiscæ* patronis ducta esse; sin vero *conditoris nomen* servaretur, huic nomini verbum q. e. sanctum attribui. „Parfois” inquit, „une similitude de noms est l'amorce d'une confusion de personnes.” Quod et Adriano accidisse puto. Quid enim

1) AS, 26 Sept. III, p. 218 sqq.

2) Mombritius, I, p. 22. B. Violet a^o 1900 in templo Omayadum Damasceno nonnullos libros invenit, inter quos acta Hadriani. Quae acta, saeculo IX Aramea dialecto scripta, cum actis latinis consentiunt. Cf. F. Schulthess, Abh. der Königl. Gesells. der Wissensch. zu Göttingen, Neue Folge, VIII, 1904, p. 108 sqq.

3) P. Allard (Les Persec. de Dioclet, II): „Bienque plusieurs détails paraissent suspects dans le récit du martyre de saint Hadrien et de ses compagnons, le préambule semble inspiré des documents historiques et peint de couleurs vives et naturelles, l'effet produit par les nouveaux édits dans la capitale de la Bithynie.”

4) VI id sept. Rich *Romae Hadriani* et eodum die G 915 *In Nicomedia Adriani martyris cum aliis XXIII.*

5) p. 487.

6) Les orig., p. 338 sqq.

porro? Sacramentarium Gelasianum, quo die memoria „Nativitatis Mariae” ageretur, „*Eodem die natale s. Adriani*” habet. Quibusdam in sacramentariis missa etiam „in natali sancti Adriani” adscripta est. Mirum igitur non est, cum semel basilica Adriani (Romani viri, qui eam condidit) tam opportuno loco sita, ut inde pompae diebus festis ad Mariae honorem constitutis exirent, illustrior facta esset, quo die memoria „nativitatis Dei genetricis” ageretur, et „natale” conditoris Adriani celebratum esse. In antiquis codicibus MH VI id sept. de „Nativitate Mariae” tantum sermo est; antiquiora sacramentaria „sanctum Adrianum” modo habent; recentiores MH codices (C et G 115) praeter „Nativitatem Mariae” *Passio sancti martyris Adriani* (C), *In Nicomedia Adriani martyris cum aliis XXIII* (G 115). Beda¹⁾, quem omnia MEM secuta sunt, Adrianum Nicomedensem VI id. sept. adscripsit. In SC Aug. 26 duobus Nicomedensibus illius nominis elogium adiungitur.

MS Mart 4 alios Nicomedenses habet: *Φώτιος καὶ Ἀρχέλαος καὶ Κυθρινὸς καὶ ἕτεροι μάρτυρες ιζ'*, quos, nisi MS clare indicaret, in MH non reperiremus. In voce *et alibi* XLII martyres nominantur *et aliorum* XVI ex quibus primus, secundus, decimus quintus *Fati* (*Roti* BW, W in voce *Romae*), *Ancilai* (*Archiles* B), *Quirini* leguntur. Cum et in SC Mart 4 eorum nomina (haudquaquam ex MH sumpta) inveniantur, ceteros Nicomediae attribuendos esse nego. Inter illos bis *Asclepiadis* occurrit, de quo Antiocheno episcopo cf. p. 9.

Denique legimus *Palatini* [*in mare mersi* BW]. Achelis huius martyris memoriam ex actis (quae perierunt) desumptam esse arbitratur²⁾. Cum vero fortasse idem est, qui Palatinus Nicomedensis, VI kal. mart. memoratus, non prorsus reiciendum est èt nomen et elogium martyres inter Nicomedenses Mart. 5 in MNH repertum fuisse. Veri simile tamen non puto. (Cf. p. 32).

III non. mart. <Caesareae in Palaestina> Adrianus et Eubulus.

De martyribus nomine Phocas non parva confusio exorta est, cum viri docti fuerintne unus an duo vel tres dissideant. In SC Sept. 22 elogium Sinopei hortulani invenitur, qui cum milites, ut eum comprehenderent missos, comiter excepisset, ab iis percussus est. Quod elogium ex laudatione ab Asterio Amaseno ineunte V saeculo habita sumptum est³⁾. Asterius narrat porro hortulanum sanctum nautarum patronum esse, „nam saepe, inquit, visus est noctu maris procella

1) Quentin, p. 54.

2) Die Mart., p. 126 sqq.

3) AS, 22 Sept. VI, p. 294.

insurgente excitans gubernatorem ad clavum dormitantem, aliquando autem rursus tendens rudentes ac veli curam gerens eque prora brevia prospiciens". Ex quibus nonnulla mihi parum certa videntur. Mirum est, milites, quem comprehendere debeant, interficere. Mirum est humilem olitorem a *nautis* in primis celebratum esse. Scriptores recentiores alterum Sinopeum huius nominis finxerunt, quem episcopum nominaverunt. Qui in SC eodem die quo hortulani memoria occurrit, *πλοῖα κινδυνεύοντα ἐν τῇ θαλάσῃ διασώζειν* dicitur. Temporibus Traiani (!) „gladio et igne" necatus est. Eius acta graeca et latina adhuc existunt¹⁾, eius corpus fideles anno fere 400 Constantinopolim transferre putaverunt.²⁾ Nihil igitur dicere possumus³⁾, nisi quarto saeculo Phocam quendam, qui multo ante Sinopae nautis salutis auctor fuisset, celebratum fuisse; cui Phocae fideles Sinopae et aliis locis basilicas exstruxisse.⁴⁾ Tertius est Phocas Antiochenus, quem Gregorius Turonensis⁵⁾ multas iniurias passum esse narrat „Postea vero, inquit Gregorius, si in quempiam . . . coluber morsum stringens venena diffuderit . . . ut ianuam atrii quo martyr quiescit attigerit . . . salvatur." Quod elogium Florus⁶⁾ suo martyrologio III non. mart. addidit. In MH legitur *In Antiochia Passio sancti Phocatis*. Quae omnia fortasse ad reliquias martyris Sinopei Antiochiam translatas pertinent. An hanc fabulam recentiores, falso articulo, qui in MH legitur, ducti, commenti sunt? Phocam enim Antiochiae celebrari, adnotatione in MH relata non indicatur, quia verbum q. e., „passio" articulum ex actis desumptum esse demonstrat; cum totus articulus ita confusus sit, ut Adrianus Caesariensis Africae vel Graeciae attribuat et inter Afros legamus *it Antiochi Victoris . . . In Antiochia Syriae Saturnini*, v. q. s. *Passio sancti Phocatis* cum voce *in Antiochia* coniungenda esse minime constat. (*In Antiochia* fortasse cum *Asclepiade* (III non. mart.) coniungendum est.) Praeter hunc articulum⁷⁾ in MH *II id. iul. Et alibi Phocae*⁸⁾ *XII kal. ian. alibi passio sc. Phocatis* et in E modo *kal. febr. In Ponto Phocatis*. De Adriano cf. p. 42.

1) BHG 1536. AS, 2 Iul III, p. 639 sqq. BHL 6838. Mombritius, II, p. 417.

2) Chrysostomus de hac re scribit in panegyrico in sc. Iohannem, Hom. LXXI, PG, L, c. 699 sqq. Gregori Nazianzeni Carmina, II, 3, 79, PG, XXXVI, c. 1485 sqq.

3) Cf. Ch. van der Vorst, Saint Phocas, AB, XXX, p. 255 sqq.

4) Les orig., pp. 198 et 211.

5) In Gloria martyrum, 98, ed. Krusch, Mon. Germ. Hist. SS. Rer. Merov., I, p. 544.

6) Quentin, p. 37.

7) Mart. 5 in SC Konon *hortulanus* Nazarenus.

8) In SC Iul. 5, 6, 19, 22, 23 (!).

II non. mart. Nicomediae Victorinus . . . (?)

In Nicomedia Victoris et Victorini, [qui per triennium in persecutione apud Appiam civitatem Bithyniae exhibiti B]. Claudiani, Bassae [cum Claudiano et Bassa uxore eius qui ex laicis tenti atque tormentis afflicti et retrusi in carcerem ibidem vitae suae cursum impleverunt B]. Et alibi Nicapoli¹⁾ (Neochepoli BW), Papiae, Alexandri. In Africa Diodori, Claudiani, Charisi, Mercori, it Claudiani, Perpetuae²⁾ Felicitatis, Iocundi. In Nicomedia Saturnini, Carsi (Bassae?) Victoris, [cum aliis II BW] Papiae, Nicefori, Plamfagoni (In Italia fila fagoniae BE) Victorini, Ianuli, Silvani, et Permae. In Africa [alibi E] Saturi, Revocati, it Plamfagoni, it Aliae (Italiae BW) Petrini, Diodori, Nicofori, Charisti.

VI kal. mart. In Aegypto passio sanctorum Victorini, Victoris, Nini-vittae, (Bassae?) Nicofori, [Claudiani, Dioscori, BW] Serapionis.

II kal. mart. In Alexandria . . . Serapionis . . . Claudiani, Victorini et alibi Nicopori, Didori, Papiae

V non. mart. . . . Nicephori, Carissimi, Claudiani, Papiae

V kal. mai. In Aegypto . . . Victoris . . . Victorini, Nicofori, Dioscori, Serapionis, Papiae

III kal. mai. In Alexandria Victorini.

Saepe numero³⁾ igitur hi martyres vel nonnulli ex iis in MH leguntur. In SC Ian. 31 mentio facta est de Victorino, Victore, Nicephoro, Claudio (Claudiano), Diodoro, Serapione, Papia, qui martyres Corinthi temporibus Decii Tertio vel Terentio praefecto martyrium passi sunt. Ex quibus tres Febr. 4 denuo legi satis constat: Papiam, Diodorum, Claudianum. In elogio autem Attaliae eos vixisse legimus eodemque Imperatore duce Publio securi percussos esse. Apr. 5 denique nonnulli codices memorant Claudianum et Diodorum, plures septem martyres, qui Ian. 31 enumerati sunt.

ML V kal. mart⁴⁾ septem martyres „apud Aegyptum” temporibus Numeriani alium alio modo passum esse „Sabino duce agente”

1) Apud Florentinum legitur „In Nicopoli.” H. Delahaye (Les orig., p. 209 adn.³⁾) dubitat: „Il n'est pas bien sûr qu'il faille reconnaître Nicopolis dans des noms comme Neochepoli, Nicapoli au martyrologe hiéron le 6 mars.” Sine dubio autem *Nicephori* legendum esse puto.

2) De illa aliisque Afris cf. non mart.

3) Achelis (pp. 128 et 194) de *quibusdam* iteratis nominibus dicit. Quentin (p. 200): „leurs noms se lisent au MH à deux dates différents.”

4) Quentin, p. 200,

refert¹⁾. Utique ex ML octavo saeculo acta eorum exstitisse apparet. Quae acta perierunt; supersunt acta syriace scripta²⁾, quae cum ML consentiunt, nisi quod quo loco temporeque vixerint, non memorent.

MS ex iis commemorat: Ἐν Νικομηδείᾳ Βικτωρίνος (Mart. 6); Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Κλαυδιανὸς καὶ Αἰδύμος (Apr. 5).

Quod ad priorem articulum pertinet, virum Romanum cum tale quid in MNH invenisse, tum actis usum esse in quibus Victorinus cum sociis Appiae „in Bithynia“³⁾, vel Attaliae „in Pamphylia“ vel Aegypto adiungerentur, satis constat. SC eos Corinthios⁴⁾ dicit; attamen puto eos omnes martyres Aegyptios fuisse⁵⁾. Victorinum Nicomedensem fuisse, cur cum MS sumamus non est: Nicomediae complures martyres alienigenae celebrabantur⁶⁾ (Cf. p. 11).

Altera adnotatio ex MS memorata suspicionem movet. MH enim eo ipso die: *In Nicomedia Claudiani* <Plauti, Irenis E>. *In Alexandria Didymi presb.* Videtur MH lectionem meliorem habere: *in Nicomedia* neque aliunde repetitum videtur neque ex actis sumptum. (Si librarius ex actis sumpsisset, non Claudianum solum memoravisset, nec Nicomedia attribuisset.) Quod si rectum est, videmus martyres Aegyptios Victorinum et Claudianum Nicomediae celebratos esse⁷⁾. Didymus presbyter Alexandrinus ad Victorinum cett. non pertinet⁸⁾.

¹⁾ Numerianum vero Christianos persecutum esse veri simile non est. Neque Ruinart (Praefatio Generalis in acta martyrum), neque Allard (Ten Lectures on the martyrs, London 1907) eum persecutorem dicunt: Ruinart (p. IX): „certum est novam a Probo excitatam non fuisse persecutionem, neque etiam ab eius successoribus ad Diocletianum.“ Sabinus praefectus Aegypti temporibus Decii fuit (Eusebii HE VI, 40, 2 et VII, 11, 18, Schwartz, pp. 596 et 660.

²⁾ SE Assemani, Acta sanct. Orient. et Occid. II, p. 55 sqq.

³⁾ Quod rectum non est: Appia est urbs in Phrygia sita.

⁴⁾ Estne forte ΚΟΡΙΝΘΩΙ pro ΑΙΓΥΠΤΩΙ perperam scriptum?

⁵⁾ In MH VI kal. mart. et V kal. mai: *In Aegypto*; II kal. mart. et III kal. mai: *In Alexandria*. Claudianus, Bassa, Victorinus qui Attaliae passus est, alii martyres fuerunt aut idem, quorum memoria ex actis postea fabricatis sumpta est. Ad eundem actorum numerum refero passionem Claudiani fratrumque Asterii et Neonis, qui temporibus Diocletiani Aegaeis a matertera, quae iis hereditatem reddere nollet, accusati, cruci suffixi esse narrantur. (AS Aug. 23, IV, p. 571 sqq.) MH XI kal. sept., SC Oct. 30 et Ian. 27 eos habet.

⁶⁾ Fieri posse confiteor, ut Victorinus re vera martyr Nicomedensis fuerit, sed is, qui MNH transtulerit, arbitrato suo hunc Victorinum eundem esse quem Victorinum in actis memoratum statuerit.

⁷⁾ Qui MNH martyrologio latino inseruit, Aegyptios eosdem quos „Nicomedenses“ putavit: Apr. 5 cohaeret cum V kal. mai et VI kal. mart; II id. mart cum II kal. mart (Febr. 28) et Apr. 28 (III kal. mai).

⁸⁾ In nominibus ex actis sumptis non legitur; legitur Diodorus, quem una cum Claudiano SC Apr. 5 memorat.

Non. mart. In Africa <ex antiquis> Perpetua et Saturnilus et X(?) alii martyres. <Antiochiae Lucius, Nestor>.

<i>In Africa</i>	<i>Taxis</i> X	<i>In Tracia (= Artaxi?)</i>
<i>Saturi</i> X	Nestoris	<i>Dandae</i>
<i>Revocati</i> X	<i>Equini</i> X	Lenucae
<i>Iocundi</i> X	<i>Saturi</i> XX	<i>Secundi</i> XX
<i>Saturnini</i> X	<i>Saturnini</i> XX	<i>Artaxi</i> XX
	<i>Revocati</i> XX	<i>Quinti</i> XX
<i>alibi</i>	<i>Secundoli</i> X	Nistoris
<i>Silvani</i>	<i>Italici</i>	<i>Secundi</i> XXX
<i>Rogati</i>		<i>Serri</i> XXX
<i>Eroi</i>	<i>In Mauritania</i>	<i>Occati</i> XXX
<i>Victorinae</i>	<i>civ. Turpitanorum</i>	<i>Dandae</i>
	<i>passio sanctorum</i>	<i>Saturi</i> XXX
<i>In Antiochia</i>	<i>Perpetuae et</i>	<i>Silvani</i>
Leoci	<i>Felicitatis</i>	<i>Rogati</i>
		<i>Manili.</i>

Nonnulla perturbata esse facile perspicietur. In depositione martyrum a. 354 non. mart. iam legitur „Perpetuae et Felicitatis, Africae.” MS Mart. 7 *Ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἐκ τῶν ἀρχαίων Πεπέτονα καὶ Σατορνίλος καὶ ἕτεροι μάρτυρες δέκα*¹⁾. MK procul dubio similem articulum habuit; omnes autem adnotationes memoratae ab Febr. 16 usque ad Apr. 19 in exemplari tradito perierunt. *In Mauritania civ. Turpitanorum* ex MK aut ex actis, quibus vir Romanus usus esse videtur²⁾ sumptum est.

Nisi *in Antiochia* depravatum *Antiochi* est, Lucius et Nestor fortasse illi urbi adscribendi sunt.

VIII id. mart. Nicomediae Cyrillus episcopus.

De Nicomedensibus episcopis vid. p. 8. Duchesne eum eundem esse putat, quem MS Mart. 10 memoret. Cum articulus syriacus VII et V id. mart. ad litteram in MH inveniatur, huic non assentior.

VII id. mart. Sebasteae in Armenia minores milites numero XL.

Cum Graeci tum Latini VII id. mart. praeclaros Sebastenos milites

¹⁾ Qui quattuor ter in MH leguntur, in SC quoque duabus mulieribus adiuncti sunt. (Febr. 2 *Σάτυρος, Πενουάτος, Ζατορνίλος, Σεκοῦνδος*.) — In actis de quattuor, non de decem sociis sermo est. (AS, 7 Mart I, p. 633 sqq.)

²⁾ Ei, qui articulum adscripsit, acta fuisse demonstratur verbis q.s *passio sanctorum* (cf. p. 19) et nominibus nonnullorum virorum, qui in actis leguntur. (*Quinti, Artaxi, Iocundi*)

³⁾ Eius memoria aliis in fastis non occurrit. In SC semel commemoratur in elogio Domnae, quam episcopus baptizavit.

celebrabant. Acta eorum aliquantum variantia, nuper Gebhardt¹⁾ edidit, testamentum Knopf.²⁾ Et VII kal. apr. in E eorum memoria occurrit. Sitne articulis ex MNH sumptus dubitandum est. De verbis q. s. *quorum gesta habentur*, cf. p. 30. De Cyrillo et Cindeo vid. VI id. mai.

VI id. mart. <Nicomediae> Cyrillus et Cindeus.

De quibus vid. VI id. mai. De Gorgonio egimus VI kal. mart. Pionium denuo et recte III id. mart. leges. De Agapa V id. mart. acturus sum.

Legitur praeterea *In Persida martyrum XLII*. Praeter articulos, qui XII kal. mart. et IX kal. mai. leguntur in vocibus *in Babylone* et *in Diospoli*, decies martyres „*Persae*“ memorantur. Ex quibus articulis septem apostolos referunt, de quibus vid. p. 65; XVII kal. sept., nescio quo modo, Tyrsus martyr, (cf. XV kal. febr.) unus ex praeclaris martyribus Tyrso, Gallinico, Lucio perperam Persidi attributus est. VI id. mart. et VII id. mai. maior numerus (CCCX BW, X mart. E VII id. mai. memorat) indicatur, quos articulos non ex fastis Persicis sumptos esse manifestum est: ex ignoto quodam libello MH inserti sunt. De Alexandrinis V id. mart.

V id. mart. Nicomediae Gorgonius et Antiochiae Agapa.

MS *Ἐν Νικομηδείᾳ Γοργόνιος καὶ ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἀγάπη καὶ ἐν Ἱεροσολύμοις μάρτυρες ζ*. De Gorgonio VI kal. mart. Agape VI id. mart. in MH memoratur. Additur Marianus (Marciana BW) qui martyr Afer est putandus, ut Firmus (Firmianus), Rusticus, qui in MH socii Gorgoni videntur.³⁾ Laterculus, qui V id. mart. legitur, totus fere proximis diebus iteratur:

<i>V id. mart.</i>	<i>VI id. mart.</i>	<i>VII id. mart.</i>
<i>In Carthagine</i>	<i>In Alexandria</i>	
<i>Heracli</i>	<i>Heracli</i>	
<i>Zosimi</i>	<i>Zosimi</i>	
<i>Alexandri</i> ⁴⁾	<i>Alexandri</i> ⁴⁾	
<i>Gai</i>	<i>Gai</i>	
<i>Philomi ep.</i>	<i>Penni</i>	
<i>Candidi</i>	<i>Candidi (In Alexandria E)</i>	
<i>Valeri</i>	<i>Valeri</i>	<i>In Africa</i>
<i>Cyrilli</i>		<i>Cyrilli</i>
<i>Petroni</i>	<i>Petri</i>	

1) O. von Gebhardt, Acta martyrum selecta, Berlin 1912, p. 171 sqq.

2) R. Knopf, Ausgewählte Märtyrerakten, Tübingen 1913², p. 101 sqq. Alia acta BHG 1201–1208 et BHL 7537–7542. De cultu reliquiasque cf. Les orig., p. 206.

3) VII et V id. mart. *Mariani* vel *Marciani* inter Afros legitur.

4) BW *In Alexandria*.

<i>Marciani</i>	<i>Marciani</i>	<i>Hesychi</i>
<i>Hesychi</i>		<i>Philippi (?)</i>
<i>Piperonis</i>		
<i>et alior. XII</i>		
<i>Rogati</i>		<i>Rogati</i>
<i>Cendei</i>		<i>Cendei</i>
<i>In Nicomedia</i>	<i>In Nicomedia</i>	
<i>Eunuchi</i>	<i>Rustici (?)</i>	
<i>Gorgoni</i>	<i>Gorgoni</i>	
[<i>Firmi</i>]	<i>Firmi</i>	
[<i>Agapiti</i>]	<i>In Antiochia Agapae</i>	

Non omnes martyres V id. mart. in voce *in Carthagine* memorati Afri putandi sunt. Veri simile est „Candidum et alios martyres" quos MS Febr. 12 habet Mart 11 in MH legi. In Carthaginiensium numero *Philomi ep.* memoratur: memoria Philoromi (III id. ian., Jan. 11) repetita videtur. Annotandum est V id. mart. episcopi titulum iniuria adiectum esse nec *Philoromi* sed *Philomi* legi. Sub nominibus *Alexandri, Gai (Penni?)* martyres Alexandrum et Gaium latere, quos Eusebius auctoritate Apollinaris Eumenetici adductus, Apameae martyrio affectos esse narrat¹⁾, non credo. Immerito Florus²⁾ eos Apamenos putavit.

**III id. mart. Nicomediae Mardonius presbyterus, Sma-
ragdus, Mygdonius, Hilarus, Eugenius, Maximus, Petrus,
Dorotheus, Domna. Alexandriae Zeno ep, Alexander
diaconus, <Dunius> (Eunus?), Orion (Heron?) diaconus.**

A. d. VI kal. mart. iam vidimus principes martyres, qui Nicomediae post incendium A°. 303 exortum coronati referantur ab Eusebio, in MS et MH reperiri. Eusebius ipse multo plures pro fide Christiana obiisse dicit, ut non miremur Mart 12 praeter Petrum et Dorotheum in MS septem alios martyres legi, *Μαρδόνιον πρεσβύτερον καὶ Σμάραγδον καὶ Μυγδόνιον καὶ Ἰλαρόν καὶ Ἐγγένιον καὶ Μάξιμον . . . καὶ Ῥωμανόν*³⁾, quos una cum illis necatos esse, veri simile est. In MH in voce in *Nicomedia* non IX sed XVII martyres memorantur. Cum in laterculi initio adnotatio repetatur: *In Nicomedia Egdoni presb. et aliorum VII* (h. e. VIII)⁴⁾ nomina ceterorum VIII martyrum aliunde in Nicomedenses deveniunt: praeter *Gorgoni* Africana sunt! In codice B articulo priori

1) HE V, 16, 22, Schwartz, p. 468.

2) Quentin, p. 294.

3) Ita Duchesne. Invenimus in Syriaco: „rvmn'. Cum syriace *r* et *d* facile mutentur, legi potest, quod nomen MH et SC habent: Domna.

4) In E in laterculi fine *Mirdani presb et aliorum LX* (= IX?)

adiuncta leguntur: *Suffocatorum diebus singulis singuli, ut illis videntibus timor indiceretur*. Achelis, qui semel iterumque Menaeorum mentionem facit, de elogiis, quae in SC leguntur, tacet. In quibus (Dec. 3, 30, Sept. 30) idem martyres alius alio modo et alio die necati esse referuntur. SC partim alios martyres atque MH habet. (Dec. 30 Glycerium presb., Zenonem, *Dorotheum, Mardonium, Mygdonium, Gorgonium*, Indem, *Petrum, Theophilum, Domnam*). Pro Smaragdo, Hilario, Maximo, Eugenio illi fasti Glycerium Zenonem, Indem, Theophilum memorant.¹⁾ Recentiores scriptores igitur nomina variabant; meliora puto, quae MS habet.²⁾ Actis, qui priorem adnotationem MH adscripsit, usus videtur: elogia in MNH scripta fuisse veri simile non est. (Cf. p. 32).

Duo Alexandrinorum capita in MH leguntur: *Zoni ep. Alexandri diaconi et Duni et Arionis (Orionis B) diaconi*. Eusebius quidem martyres, Decii temporibus Alexandriae passos enumerans³⁾ cum alios, tum *Zenonem, Alexandrum, Eunum, Heronem* dicit, qui idem martyres fuisse videntur, sed ex libro Eusebi, quippe qui titulos non indicet, non sumpti sunt.⁴⁾

In voce *In Asia* sedecim (codex E Zosimum omisit) martyres memorantur. E quibus octo (*Petuni ep. . . .* usque ad nomen *Basilissae uxoris*) III id. mart. Nicomedensis reperiemus. Inter ceteros latent sub nominibus *Pauli, Carpi, Agatoni* tres martyres, de quibus *id. apr.* acturi sumus. Veri simillimum puto adnotationem eorum in voce *in Asia* martyrologio adscriptam esse atque hoc ipso die, quod in libro Eusebiano, qui inscribitur *Historia Ecclesiastica* eorum memoriam martyrium Pioni Metrodorique, qui III id. mart. memorantur, subsequitur.⁵⁾ Legitur *In Smyrna Pioni presb. et Metrodori presb.*, qui articulus non ex MNH⁶⁾ sed ex Eusebiano libro⁷⁾, vel potius ex libello scriptoris, qui

1) Sept. 30 *octo* nominatim dicuntur. Omissi sunt Domna, Zeno, Petrus, additus Stratonicus. Dec. 3 tres modo ex illis inveniuntur (Inde, Domna, Glycerius) quibus adiuncti sunt Seleucus, Agapius, Mamas.

2) Quorum vestigia in SC. Acta ipsa in codice Parisiensi 1458: *Μαρτύριον τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων Ἰνδῆ καὶ Δόμνας καὶ ἑτέρον πλήθος μυριάδων β'*. Catal. Graec. Paris. 131.

3) HE VI, 41, Schwartz, p. 600.

4) Eusebius (VI, 41) XXVI martyres nominat, ex quibus in MH XXI, XI, VI, XV leguntur!

5) Quae restant (*Firmi, Felicis, Ioviani, Hilari, Concessi*) Afrorum nomina sunt.

6) Eos, qui MS et MH composuerunt, fastis Smyrnaeis usos esse verisimile non est. In MH unus articulus et is quidem valde dubius de martyribus Smyrnaeis legitur; (III kal. mart.) Polycarpum MS et MH *in Asia* non *Smyrnae* memorant.

7) Quod Delahaye arbitratur, Les orig., p. 174.

ex eodem fonte hauserit, (in quo libello clare Pionium III id. mart. Smyrnae obiisse indicabatur) sumptus est.¹⁾

III id. mart. Nicomediae Macedonius presbyter, Patricia uxor eius et Modesta filia, Dionius presbyter, Saturninus, Ianuarius, Salvus, Petrunius, Modestus presbyter, Zosimus presbyter, Eustasius presbyter, Basilissa uxor eius, Eppodius diaconus, cum aliis II, Geratius, Lucas (?) Carpistus, Galathea, Domitianus presbyter, Lucas, Tellius, Hieronymus.

Ad longiorem laterculum recte explicandum articulus syriacus Ἐν τῇ αὐτῇ Νικομηδείᾳ Μόδεστος πρεσβύτερος μάρτυρ καὶ ἕτεροι μάρτυρες κα' ansas dat. Viginti quinque fere martyres Nicomedenses, quos in initio laterculi Hieronymiani legimus, sine dubio idem sunt, quos MS adnotat, licet Modestus omisso titulo in media turba nomine Modestinus legatur. In fine laterculi (*Zeddoni presb. et Patriae uxoris eius, Claoni, Patyrigiae*) prior pars repetitur; nomen Basilissae²⁾ quoque perperam iteratum est. Supra iam monuimus III id. mart. ex illis VIII rursus occurrere, ex quibus intellegimus Modestum et Zosimum presbyteros fuisse. In fine laterculi denuo multos ex Nicomedensibus martyribus reperimus: *In Nicomedia Eufrasiae, Domitiani, Macedoni, Patriciae, Lucae, Dioni, it. Domitiani, it. Dioni, Sallaruae (Galathea), Pactae (Patricia), Pioni (Dioni), Pronimi (Hieronymi), <Callidi, Severini,>³⁾ Petruni, Pueri, Salviani.*⁴⁾ Si quis miretur tot presbyteros memorari, commonefacimus Eusebium in persecutione Diocletiana perscribenda narrare principes ecclesiarum, si idolis ne sacrificarent recusavissent, in vincula coniectos et condemnatos esse.

Martyres ipsi aequè ignoti sunt ac Niceni⁵⁾ Theusetes(?) et Choris filius⁶⁾ eius, Theodora, Nymphodora, Marcus, Araba, *qui omnes igne concremati sunt.* Quorum articulus ex actis depromptus videtur. Sequuntur

1) Acta BHG 1546—1547 et BHL 6852. Graeca egregie edidit O. von Gebhardt, Das Martyrium des heil. Pionius, Archiv für slavische Philologie, XVIII, 1 et 2, 1896, p. 96. — E Schwartz, de Polycarpo et Pionio, Prog. Göttingen, 1905 non quo die obierint, sed quo modo memoria posteris sit tradita, disseruit; Eusebius de iis HE IV, 15, 46 et 47, Schwartz, p. 352 sq.

2) Basilissa Nicomedensis, cuius elogium in SC Sept. 3 legitur, alia videtur.

3) Qui sint, ignoro.

4) Sequuntur *Iuliani, Felicis, Hilari, Concessi, Martialis* (= *Mirdani?*), qui III id. mart. in voce quae est *in Asia* leguntur: mea opinione Afri sunt

5) Ita BW (*In Nicæa*); E: (In) *Sicia civ.* (q. e. Sicia in Pannonia?)

6) E *Theustae ethoris filii eius*; B *Theusete et Choris filii eius*; W *Theusetae et Horis fulae virginis.*

XIII nomina, *Iuli ep. . . Victorini*, quae omnia, exceptis *Iuli, Victorini*, ex aliis articulis III id. memoratis iterata sunt. De Thessalonicensibus II id. mart.

II id. mart. Thessalonicae Fronto, Alexander, Dionysius, Parthenius (vel Palatinus?).

In Thessalonica Dionysi, Alexandri, Palatini, . . . *Eufrosi Frunimi*.

In Nicomedia <Felicissimi, Dativae,> Frontinae.

<*In Africa*> Alexandri, Dioniae.

<*In Africa*> (*In Nicomedia* BW) *Petri*, <*Mammeri, Naboris*> *Comis*, Frontonis.

In Thessalonica [Dionysi BW], Alexandri, [Palatini BW], *Eufراسي, Fronimi*.

<*In Antiochia*> *Nicomedis, Pioni*.

Inenodabilem paene laterculum confusum! Ex MS constat Frontonem et alios tres ad urbem Thessalonicam pertinere. Qui tres illi fuerint, nominatim in MH dicantur necne, quaeritur. Ad Thessalonicenses non pertinent: *In Nicomedia Petri* (cf. VI kal. mart.); *Eustasi et Hieronymi* (cf. III id. mart.); *Felicissimi Dativi Mammeri* cett., (martyrum Afrorum nomina sunt). *In Antiochia* ab VI kal. mart. iterata puto. Videtur III kal. mart. iam legi *In Thessalonica Alexandri, Dionysii* (?); II id. mart. invenitur *In Thessalonica Alexandri, Dionae*. Sumendum igitur est duos ex tribus non nominatim in MS dictis, hisce nominibus in MH memorari. Tertius autem quaeritur; si in MS Frontoni recte tres socii adiunguntur, non potest non Palatinus esse¹⁾, quo modo totum articulum in antiquum statum restituimus. Kal. apr. nomina interantur. Cf. ibidem.

Id. mart. Alexandriae Colluthus diaconus. Nicomediae Lucius episcopus . . .

De Longino cf. p. 57. De Iacobo apostolo p. 61. In voce *in Nicomedia* E adnotat *luci ep. silvi pauli petrui ingenui*; BW *Luci (Lucini) ep. et mart. Faustae, Silvi, Ingenuae*; omnes codices *Pauli* et *Petrui* inter Carthaginenses habent; *Silvi (Silvani)* et *Ingenui* saepissime in voce *In Africa* leguntur. De episcopo Nicomedensi cf. p. 8; de Collutho XV kal. apr. De Luca p. 66.

XVII kal. apr. <Nicomediae Cecropius (?) ep . . .> <In Graecia Cyriacus, Pampinus, Casso.>

Iterum Nicomedenses! Leguntur Castor, Dionysius, Nonnus, Serenus, Iuvenius, Cyriaca, Milisia, Eugenia, Iuliani, Asclepiodotus; XVI kal. apr.

¹⁾ Palatinus fortasse Nicomedensis est (Cf. VI kal. mart.). Thessalonicensis martyr kal. apr. Parthenius vocatur.

denuo leguntur in voce *In Nicomedia* Dionysius, Nonna, Victorinus, Cyriaca, Maria, Ianuarius.¹⁾ Difficile est dicere, qui martyres Nicomediae celebrati sint. (Cf. p. 9) Idem dicendum est de martyribus „Graecis”.²⁾ Cyriacus vel Cyriaca XVII et XVI kal. apr. iam inter Nicomedenses legitur. Praeterea Cyriacus, martyr Hierosolymita XVI kal. apr. in B memoratur. (Cf. p. 57).

XVI kal. apr. De Cyriaco cf. p. 57. De Nicomedensibus XVII kal. apr.

XV kal. apr. MS Mart. 15 *Ἐν Ἀλεξανδροίᾳ Κολλοῦθος διάκονος.* Errato MH XV kal. apr. adscriptus est. Colluthus Alexandrinus non fuit: Antinoopoli natus in persecutione a Diocletiano concitata Hermopoli in urbe Antinoopoli proxima martyrio coronatus est. Neque in SC (Mai 18 et 19) neque in Historia Lausiaca³⁾, neque in actis⁴⁾ diaconus vocatur. Fieri sane potest, cum Colluthi nomen minime inusitatum esset, ut ignotus Alexandrinus martyr hoc articulo indicetur. Plus quam viginti martyres, qui in MH una cum Collutho leguntur, Alexandrini non sunt. Ad articulum Afrorum pertinent.

Adnotatio *In Nicomedia [Mariae] Aprilis, Servuli, et mil. (aliorum BW)* XXIII suspiciosa est. Maria in BW inter „Alexandrinus” (qui re vera Afri sunt) invenitur; VIII kal. apr. *Salitoris, Aprilis* in voce *in Africa* occurrunt. *In Nicomedia* XVII, XVI kal. apr. iam legitur. (XVI kal. In Nicomedia Mariae!)

Principes codices habent *In Mauritania Currenti*; qui articulus in R³ iniuria *In Armenia Curenei* legitur.

XIII kal. apr. <Caesareae in Cappadocia Theodorus presbyter> Besas, Sarapion.

Hic est locus, ut nonnulla dicam de martyribus Alexandrinis nomine Sarapione, quorum articuli in MH et MS occurrunt.

MS Mart. 19 *Βάσσης καὶ Σεραπίων.*

MH XIII kal. apr. <*In Africa*> *Bassi*

XIII kal. apr. <*in Syria*> . . . *Serapionis*

XII kal. apr. *In Alexandria Serapionis monachi.*

V kal. sept. *In Alexandria* . . . *Serapionis.*

Omnibus patet duos martyres, quos MS Mart 19 habet, XIII et XIII kal. apr. in MH redire, neque virum Romanum in MNH nomen urbis in qua mortem obierint vel celebrati sint invenisse. Minime viros doctos

1) *Castori* tum inter Aquileienses legitur!

2) Cod. Rich martyres „Graecos” Nicomediae attribuit; in voce *in Graecia* hic codex quos ceteri Nicomedenses dicunt, memorat.

3) § CLV. L. Butler, Text and Stud. VI, 2, p. 154.

4) Uhlemann, Der heilige Colluthus, Zeitschrift für die hist. Theol., Gotha 1857, p. 264 sqq.

Achelis¹⁾ et Neumann²⁾ intellego, quippe ex quibus Neumann Bassum Serapionemque ex Eusebiano libro, qui inscribitur Historia Ecclesiastica sumptos esse, uterque aiat Serapionem in MH XII kal. apr. dictum eundem esse, quem MS habet. Quamquam concedo fieri posse, ut idem indicati sint, veri simile esse non puto, eum, qui MN scripserit, ex Eusebiano libro ipso eos sumpsisse. Apud Eusebium enim legimus in epistula ab episcopo Dionysio ad Fabianum collegam Antiochenum missa³⁾, iam prius Christianos passos esse, quam Decius imperium obtinuerit: velut quendam nomine Serapionem domi suae atrociter mutilatum inventum esse⁴⁾. Multo infra⁵⁾ militem cui nomen Besas, pro Christo vitam profudisse. Si scriptori kalendarii Nicomedensis, id quod omnino dubitandum est (cf. p. 38). Eusebianus liber fuit, cur eos ipsos⁶⁾ ex magno martyrum numero elegit? Fac autem viros doctos hac in re recte monere, quo modo illud *monachi* explicatur, ad quem titulum adiungendum Eusebius ansam non dat? Besas et Serapion, nescio quo modo multis ab Eusebio memoratis antepositi, fastis Alexandrinis (ex quibus in MH translati sunt) adscripti sunt.

Iam venio ad Sarapionem monachum. Inter Aegyptios monachos, quibus nomen Sarapion,⁷⁾ celeberrimi sunt Sarapion Sindonius vel Sindonita⁸⁾ et Sarapion magnus⁹⁾ Priorem XII kal. apr. a librario indicatum esse probabile est. In Menaeis enim hoc ipso die scriptum legitur: *ὁ ἅγιος Σεραπίων ὁ ἀπὸ Σιδῶνος*¹⁰⁾ *ἐν εἰρήρῃ τελειοῦται.*

Λοὺς πάντα χερσὶν ἐνδεῶν Σεραπίων

Τέλος δίδωσι καὶ τὸ Πνεῦμα Κυρίου.

Quae omnia ad vitam, a Palladio expositam, apte conveniunt.¹¹⁾ En, quo die in MH Sarapion redit (V kal. sept.) in Menaeis iterum Sarapion Sindonius memoratur.¹²⁾ Si quis contra dicat ea certa argumenta non esse, libenter concedo: Menaea nonnullis in rebus (XV kal. febr.) ex MH

1) Die Mart, p. 47.

2) K. J. Neumann, Der Römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diocletian, I, Leipzig 1890, p. 331.

3) HE VI, 41, Schwartz, p. 600 sqq.

4) HE VI, 41, 8, Schwartz, p. 602.

5) HE VI, 41, 16, Schwartz, p. 606.

6) Ex XXVI martyribus ab Eusebio in illa epistula (VI, 41) memoratis Serapion quartus, Besas nulla in re inter alios eminens, octavus legitur.

7) Sarapion „is the correct spelling“. (Butler, p. 213)

8) Palladi Historia Lausiaca § 37, Butler, p. 109 sqq.

9) Historia Lausiaca §§ 7 et 46, Butler pp. 25 et 134.

10) Perperam scriptum pro *Σινδόνιος* apud Palladium § 37: *ἐπεκέκλητο δε σινδόνιος· παρεκτός γὰρ σινδονίον οὐδέποτε οὐδὲν περιβάλλετο.*

11) Quod ad vitam pertinet, cf. Butler II, „notes“ 68 et 69 (p 213 sqq)

12) An Sarapion magnus V kal. sept. Alexandriae celebratus est?

pendere videntur. Sarapionem Alexandriae non vixisse, quis opponat. Quod verum est, etsi aliquamdiu ibi versatus est. Idem de omnibus fere Aegyptiis monachis dicendum est. Colluthus quoque Alexandriae celebrabatur (cf. XV kal. apr.). Si in MH VIII kal. febr. recte legitur *Serapionis Sindoni*, ille articulus ex eodem fonte non fluxisse videtur, ac qui XII kal. apr. et V kal. sept. leguntur. (Cf. p. 36).

Initium laterculi *In Caesarea Cappadociae Theodori presb.* Inter Africanos denuo [et commemoratio B] *Theodori episcopi*. Presbyter nomine Theodorus in voce *in Antiochia* X kal. apr. et IIII kal. apr. et IIII id. apr. memoratur. Cum meminerimus hunc diem XIII kal. apr. esse, verba *in Caesarea Capp.* suspiciosa fiunt. Cum autem ceteri martyres XIII kal. memorati huic urbi attribui non possint, neque unde illa vox huc devenerit pateat, sumendum est Theodorum Antiochenum aut alterum presbyterum eodem nomine XIII kal. apr. Caesareae celebratum fuisse.

XIII kal. apr. <In Syria Paulus, Cyrillus . . .>

MH XV kal. mart. *In Antiochia nat.* [sancti BW] *Iosippi diaconi.*

XIII kal. apr. *In Antiochia nat.* [sancti BW] *Ioseph.*

Hisce articulis unum et eundem significari credo, prioremque, quippe qui plenior sit, verum esse. Posterior, licet articulus errato repetitus sit, in posterum ad res liturgicas magnum valuit. Clericus quidam recentior exemplari MH usus, quo tempore Mariae maritum in viris sanctis colebatur¹⁾, superioris diei laterculo *sanctum Iosephum* adiunxit²⁾. Verbis ipsis nonnulli codices martyrologii Usuardini Iosephum memorant³⁾: XIII kal. apr. a Pontifice Sixto IV (1471—1484) numero sanctorum, quos Ecclesia ritu colit, adscriptus est. Iniuria Florentinus⁴⁾ arbitratur hoc nomine filium mulieris Samaritanae in sacris libris memoratae⁵⁾ indicari⁶⁾. Contra dico: alteri filio Iosem nomen esse; in huius mulieris vita eam Antiochenam non dici; librarium non habuisse, quod filium alterum omitteret. Suspiciosum denique est et XV kal. mart. et XIII kal.

1) Viri docti Iosephum in Occidente saeculo IX vel X celebrari coeptum esse consentiunt. In SC Dec. 26 et Dominica post natale Iesu Christi memoratur. Alias usque ad hoc tempus XIII kal. apr. celebratur. Cf. Nilles, I, p. 124. Richard, *Le développement historique du culte de St. Ioseph*, *Revue Benedictine* XIV, 1897; Plulf, *Die Verehrung des hl. Ioseph in der Geschichte*, *Stimmen aus Maria Laach*, XXXVIII, 1890, p. 117.

2) Rich *In Bethlehem sc. Ioseph nutritoris Domini*;
R³ *In Antiochia sc. Ioseph sponsi sanctae Mariae.*

3) Usuard, p. 163.

4) Ad illum diem.

5) *Evang Ioh., V.*

6) Recentiores vitam fabulosam illius mulieris (quam Photinam appellaverunt) et filiorum eius nominibus Iosis et Victoris commenti sunt. Cf. Menaea, Febr. 26.

apr. paulo infra adnotationem Iosippi Antiocheni in voce *In Syria* denos fere martyres memorari, quos Syros fuisse non puto: *In Syria* fortasse verbis *In Antiochia* adiungendum est.

XII kal. apr. Alexandriae Sarapion monachus.

De Sarapione XIII kal. apr. Ceteros martyres in illa voce memoratos Afros quam Alexandrinos putare malim.

XI kal. apr. Sebasteae Decronius (?) Arion et aliorum XII.

Codices non multum discrepant. Non mirer, si nomina *Decroni* et *Arionis* (vel *Orionis*) unius eiusdemque martyris sint. Cum hoc ipso die nonnullis in codicibus SC elogium Drosidis filiae Traiani legatur, inducitur, ut articulos adnectamus. Cf. autem XVIII kal. ian.

X kal. apr. Caesareae in Palaestina duo Alexandri, duo Dionysii, Timolaus, Romulus, Paesis (vel Plesius).

Omnes codices *Antiochiae Theodori presbyteri*. Inter Antiochenos presbyteros, qui epistulam de Paulo Samosateno condemnato ad Dionysium urbis Romae episcopum et Maximum episcopum Alexandrinum missam (anno fere 265) subscripserunt, Theodorus quidam est¹⁾. Cum de martyrio eius nihil traditum sit, idemne fuerit qui X kal., IIII kal. apr., IIII id. apr. memoretur, nescimus; veri simile autem puto.

In codd. SC²⁾ alterius Antiocheni martyris nomine Theodori elogium legitur, qui temporibus Iuliani, cum reliquiae Babylae ex suburbio Daphne deducerentur, voce et cantu Imperatoris iram movit martyrioque coronatus est. Cuius, cum presbyter non fuerit, mentionem in MH non fieri arbitror³⁾.

Qui dies ex tribus supra dictis rectus sit, diiudicare difficile est. Elegi IIII kal. apr., a quo die articulus facilius IIII id. apr. et X kal. apr. repeti potuit. De Caesariensibus cf. p. 43.

IX kal. apr. De Seleuco vid p. 43⁴⁾.

VIII kal. apr. Nicomediae Dula.

MS *Ἐν Νικομηδείᾳ Δούλας*. Quod nomen videtur falsum esse. MH Dulam refert. Quidam, cui exemplar antiquius fuit, in margine nomen quod est *Δούλη* in latinum transtulit, quo accidit, ut in codice E *doulae ancillae* legamus.

Extremo in laterculo E et W *Theodolae* habent, B *Et sanctae Theclae*,

1) Conf. Eusebius, HE, VII, 30, Schwartz, p. 704 sqq.

2) Menaea, Nov. 24.

3) Mart 2 et 3; Mai 18 in SC presbyter nomine Theodoretus, Iuliani temporibus martyrio affectus memoratur, quem eundem puto. (BHL 8074 sqq.)

4) In codice S *Et in Phrygia Agapii cum sociis suis XV* est iterata adnotatio *In Africa Agapi, Timolai*, sqq.

quae passa est pro castitate. Beda, qui codice E vel exemplari huic simillimo usus est, in suo martyrologio scripsit: „Dulae ancillae militis (martyris), quae pro castitate occisa est”¹⁾. Patet Bedam verba, quae ad Theodolam (aut Theodoram?) pertinent, falso Dulae adiunxisse; eum, qui codicem B exscripserit, hisce verbis martyrium Theclae descriptum esse putavisse. De Thecla cf. VIII kal. mart. De festis Hierosolymitanis p. 69; De Isaac p. 68; de XL (aut X) martyribus VII kal. apr.

VII kal. apr. Sebasteae in Armenia Petrus episcopus et Heracleae in Thracia <ex antiqvis> Marcianus.

Articulum syriacum Ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θοράκης ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Μαρκιανός in MHE vix agnoscimus: *In tracia sarmatae arminiae in arade marciiani.* De *Sarmatae arminiae* infra acturi sumus. De verbis q. s. ἐκ τῶν ἀρχαίων cf. p. 5.

Praeterea memorantur duo martyres de quibus B: *In Sirmia Munati presbyteri de lingo donis cum Sirmium fugisset comprehensus est et missus est in fluvium; nono lapide inventum est corpus eius et Maximae uxoris eius*³⁾. In passione Pollionis Cibalitani⁴⁾ Montanus presbyter Singidunensis dicitur; de uxore autem mentio non fit. Vir doctus B. Krusch⁵⁾ mea opinione iniuria monet nominibus in vetustiore exemplari MH memoratis postea passionem adiunctam esse: passionem cum verbis q. s. *In Sirmio Montani* incondite coniunctam esse. Quod est mirum argumentum. Num constat eum, qui MNH in MH transtulit, ad purioris grammatices normam scripsisse? Nonne ille aequae ac vir recentior excerpta actorum cum articulo syriaco coniungens vel excerpta ex actis articulorum formae in MH adhibitae accommodans, soloecismo uti potuit? Totus articulus ex actis MH insertus est⁶⁾; articulus V id. mai memoratus initium eius elogii iterat. An ex MNH sumptus est?

Post commemoratos Sirmienses E habet *Et aliorum XL In Sebastea Petri episcopi.* In BW XL alii non leguntur; VIII kal. apr. autem *et quadringentorum martyrem* (E et X mart.) Achelis arbitratur⁷⁾ XL Sebastenos, quorum articulus VII id. mart. legitur, hic perperam

1) Quentin, p. 110.

2) Probabile est epitomen factam ex vita cuiusdam virginis, quae ut virginitatem servaret, sibi mortem adscivit. In aliis vitis eiusmodi, quarum multae vulgo ferebantur, virgo cultu virili iuduta in monasterium effugit (Cf. VIII id. oct.).

3) E et W *In Sirmio Montani presbyteri et Maximae uxoris eius.*

4) Ruinart, p. 404.

5) Neues Archiv, XXIV, p. 307.

6) Fortasse quia VII kal. articulus alterius martyris nomine Maximae legitur. Acta ipsa perierunt. Cf. p. 29.

7) Die Mart, p. 131.

redire. Contra quem afferro: 10. Nomen urbis postpositum esse, id quod raro occurrit; 29. numerum fortasse ex laterculo VIII kal. apr. memorato repetitum esse¹⁾; 30. Petrum episcopum († 392) ad Sebasteam pertinere. Ut *in Heraclea* et *Thraciae* disiuncta sunt, sic *Armeniae* (et *Sarmatae* quod verbum depravatam *Armeniae* puto) ab *in Sebastea* separatum est. De vocibus *In Antiochia*, *in Pentapoli*, *in Africa*, cf. VII id. apr.

VI kal. apr. [In MS *Φίλιππος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας* memoratur. Cf. p. 9. De „Resurrectione” p. 57.

V kal. apr. Caesareae Rogatus, Alexander, Dorothea, Adaucta.

Praeter Caesarienses supra dictos codex *E it cessarea mariae* (de qua kal. apr. acturus sum) habet, quo accidit, ut recentiores laterculum non intellexerint et Caesarienses cum Afris confuderint.²⁾ Florus Mart. 28³⁾ in voce *in Caesarea* martyres, quos Eusebius⁴⁾ Valeriana persecutione coronatos esse dicit, commemorat. (Alexandri, Prisci, Malchi). Florum nomina eorum in MH legisse non credo. Cum inter nomina similitudinem aliquam animadvertisset, passionem eorum martyrum, ex libro laudato desumptam, martyrologio suo inseruit.⁵⁾ Eusebius autem mulierem quoque „ex Marcionis Schola” supplicio affectam esse dicit. Cum ex Eusebii verbis appareat, praefectum, qui illos quattuor condemnaverit, in plures Christianos saevisse, fieri sane potest, ut in MH ex alio fonte ac quo Eusebius usus est, nonnulli martyres, illa persecutione coronati, indicentur.

Memoria Castoris Tarsensis V kal. mai. rursus legitur. Quo die celebratus sit, incertum est. Cum et IIII kal. mai. memoretur, puto eum V kal. mai. antiquissimo exemplari adscriptus esse.

III kal. apr. Antiochiae Theodorus presbyter.

Nomina in voce *In Nicomedia (Pastoris, Victorini, Saturnini, Dulae, Iulianae et aliorum IIII)* suspiciosa sunt; VIII kal. apr. iam legitur *In Nicomedia Dulae et alibi Victorini*. Saturnini nomen saepius inter Afros invenitur. (XI, IX, VIII, V, IIII, III kal. apr.!) Iulianus vel Iuliana

1) Si aliorum XL non est depravatam CCCC, fortasse is, qui antiquissimum exemplar scripsit, articulum episcopi Sebasteni adscribens, se non ignorare hac in urbe XL alios martyres obiisse ostendere voluit.

2) Cf. codd. Rich et F.

3) Quentin, p. 296.

4) HE VII, 12, Schwartz, p. 664.

5) Falsum est quod Achelis putat: Alexandrum eundem esse, quem MH X kal. apr. habeat. Cf. p. 43.

iterum in voce *In Antiochia* legitur et Pastoris memoria¹⁾ III kal. apr. occurrit.

III kal. apr. Thessalonicae Dominus.

Memoria Domnini Thessalonicensis Oct. 1 et 28 in SC occurrit. Maximiani temporibus Thessalonicae pro Christo martyrio coronatus est. Quae sequuntur obscura sunt: *Philopoli, Achaici, Palatini* [*et alibi* BW] . . . *Philopoli*; IIII kal. apr. in fine laterculi: *et alibi Achaiae* (*acacie* B, *achatae* W). De Acacio episcopo acta latina exsistunt,²⁾ quae dicunt eum Decii temporibus Melitena in Armenia minore obiisse. SC eum habet Mart 27, 29, 30, 31, Apr. 17, 18, Sept. 15 (*εὐχαις τοῦ λειψάνου*). En kal. apr. laterculus incipit *In Armenia minore Partheni* . . ., quem Parthenium cett. ad Armeniam non pertinere satis constat (cf. kal. apr.). Fortasse nomen *Achaici* (i. e. *Acacii*) cum illa voce coniungendum est. Quid vero verbum q. e. *Philopoli*? Nomen martyris est an urbis? Philippopolis urbs in MH non invenitur neque martyres quos SC aliique fasti huic urbi attribuunt, ad III kal. apr. leguntur. Res mihi non liquet.

Kal. apr. <In Armenia minore Acacius.> <Heracleae . . .>

A. d. III kal. apr. iam dixi Parthenium, Quintianum, Victorem, Secundum, qui in voce *In Armenia minore* leguntur, Armenios esse me non arbitrari. Kal. apr. invenimus *In Thessalonica* <*Ingeniani Saturnini*> *Partheni, Dionysi, Pantheri, Alexandri*. Et II id. mart. *In Thessalonica Dionysi Alexandri, Palatini* . . . *Frontonis*. Omnibus patet hunc articulum kal. apr. iterari et Palatinum-Parthenium III kal. apr. tertium legi inter „Armenios“. Ceteri Afri sunt.

In E tantum *In Caesarea Mariae*, qui articulus V kal. apr. in E rursus legitur. Quae mulier est? Synaxaria graeca Apr. 1 Mariam „Aegyptiacam“ memorant, cuius acta³⁾ supersunt. Vitam fabulosam continent. Monachus quidam nomine Zosimus ex monasterio Palaestino at Iordanum fluvium profectus, inde in deserta mulieri plane nudae incidit. Meretrix Alexandrina, qui Christianam religionem amplexa sit, reperitur. His auditis monachus discedit; anno posteriore iterum in desertis vagans, corpus paenitentis peccatricis invenit humatque. De urbe Caesarea in actis mentio non fit. Quam ob rem Maria „Caesareensis“ hoc ipso die in MH memoretur, parum constat nec, si una eadem

1) An Aurelianus martyr huius nominis III kal. apr. adscriptus est, quia IIII kal. apr. alter martyr nomine Pastor legebatur? Utcumque res se habet, Pastor Nicomedensis non fuit.

2) AS, 31 Mart. III, p. 904 sqq.

3) BHG 1042–1044; BHL 5415–5421. In actis graecis legimus Mariam kal. apr., in latinis kal. apr. aut IIII non apr. aut V id. apr. obiisse. —

que est quae in actis legitur, unde articulus sumptus sit patet. Ex MNH non fluxit.

Porro invenitur: *In Heraclea civ. it. Victoris, Chioniae, Agapae, Irenae*. De virginibus cf. III non. apr. Victorem Heracleensem martyrem fuisse non puto. Kal. apr. in vocibus *In Armenia, In Heraclea, in Aegypto*, in initio laterculi III non. apr. memorati *In Africa* martyrem nomine Victorem legimus. De Victore et Stephana II id. mai.

**III non. apr. Thessalonicae Chionia, Agape, <Irene>
Caesareae Appianus.**

MS *Ἐν Θεσσαλονίκῃ Χιονία καὶ Ἀγάπη μάρτυρες*. Quas martyres Irena addita vir Romanus kal. apr. operi suo inseruit, quo die Irena aliis iam coronatis mortem occubuisse¹⁾ quibusdam in actis legitur. Alia acta referunt Chioniam et Agapen III non. apr. et Irenam nonis ipsis passam esse²⁾. Supra (VIII kal. ian.) iam diximus fabulosam earum passionem cum Anastasiae martyrio coniunctam esse. Saniora neque ea tamen commenticiis carentia sunt acta, quae Ruinart edidit. Excerpta ex iis actis SC Apr. 16 (3, 6) memorat; quae acta Tillemont⁴⁾, Allard⁵⁾, Leclercq⁶⁾ vera certaque dicunt. Constat ex MS Chioniam Agapenque saeculo III Thessalonicae celebratas fuisse⁷⁾. Probabile mihi videtur Irenae quoque memoriam mensis aprilis in initio in MN et MNH occurrisse. Neque narrationem non prorsus commenticiam esse sed subesse rem factam non arbitror: Diocletiani temporibus a^o fere 304 Thessalonicae tres virgines pro Christiana fide necatas esse. Articuli omnes in MS in initio huius mensis memorati, confusi in MH leguntur⁸⁾, qua re quae in MNH legerentur diiudicare difficilius est. Leguntur kal. apr. *Chioniae, Agapae, Irenae*; III non apr. (B) *Agapae, Chioniae*; non apr. *In Thessalonica nat. sanct. virg. Chioniae, Irenae, Agapae*. Cum Irene, si acta fide digna sunt, post alias obierit, fieri potest, ut Apr. 2 in MNH duae modo memoratae sint, ut tria nomina, quae in MH leguntur, ex actis sumpta sint. An articulus de illis virginibus ut de Appiano non.

1) Ruinart, p. 392.

2) Mombritius I, p. 359.

3) PG CXVI, c. 573.

4) Mem. t. V.

5) Hist. des persec, Paris 1908, t. IV, p. 278.

6) Les martyrs II, Paris 1909, p. 223.

7) Exeunte saeculo VI basilica trium virginum Thessalonicae fuit (AS, 26 Oct. III, p. 104 sqq, Demetri miraculum XII).

8) Praeter articulum Apr. 2 memoratum memoro adnotationem Apr. 4 in MS relatam, quae in MH III non apr. et II non apr. legitur. Quos martyres MS April 8 habet, in MH VIII, VII, VI id. apr. invenies.

apr. iteratus et Irene sola in MNH Apr. 5 est memorata? De Appiano (inter Africanos legitur) p. 43; de Thessalonicensibus II non. apr.

III non. apr. Tomis Euagrius, Chrestus; Caesareae in Palaestina Theodosia; <Nicomediae Donatus>.

In MH nonnulli martyres prorsus ignoti memorantur. Ex MS novimus Pappum (?) et Chrestum Tomis celebratos fuisse. In MH hi martyres leguntur: *Evagri, Benegni, Chresti [Evagaristi], Aresti . . .* et in fine laterculi *In Tomis, Evagri, Benigni*. Vir doctus Achelis iam docuit Benignum in latinum translatum nomen q. e. *Χρηστός* esse. Quod ut ipsum per se verisimile videtur, ita mirum est nomen *Benigni* ante nomen Chresti legi. Praeterea desideramus Pappum in MS memoratum, cuius loco in MNH Euagrius memoratus fuisse videtur. Memoriae Appiani, iteratae ab VIII non apr., Caesariensis martyr nomine Theodosia addita est. Cf. p. 44 Obscurus est articulus *In Mysia Agathemeri, (Agatae, Merite BW)* quibus W addit *de antiquis*; VIII non. apr. autem legimus *macid. theodoli agathopidae mastesi* quae verba III non. apr. iterata sunt. De illis II non. apr. acturi sumus.

In Nicomedia Donati non magis articulus certus est; nec qui in voce *in Thomis* indicentur, constat (. . . Sinnidiae, Rufi, Patricii)²⁾. Sermo est de urbe Synnada an de martyre huius nominis? De Agape, Chionia VIII non apr.; articulus *Nicomediae Appiani, Agapae, Chioniae* ab non. apr. iteratus videtur.

II non. apr. Thessalonicae in Macedonia Theodulus et Agathopus diaconus.

Θεόδουλος καὶ Ἀγαθόπους in MS nomine urbis omisso memorati in Hieronymianis Thessalonicenses dicuntur. Acta³⁾ et synaxaria⁴⁾ idem docent. Narrant Theodulum lectorem et Agathopodem diaconum a praefecto Faustino condemnatos et in mare mersos esse. Adnotatio VIII et III non. apr. iterum legitur; martyres, qui VIII non. in voce *in Thessalonica* leguntur, illi urbi adiungendos non esse ex iis, quae II non. legantur, patet: plerosque in voce *et alibi* leges⁵⁾.

¹⁾ Codices urbem dicunt *In Syciana Thome* (B), *In Sicilia* (E), *In Sicilia* (W), *In Hispania* (S), *In Nicea* (LMV).

²⁾ Martyres, quibus nomen Patricius in MH Galli episcopi et abbates sunt (XVI kal. apr., III id. apr., XVII kal. iun., X kal. sept.); VIII et III id. mart. nomen errato scriptum est.

³⁾ AS, 4 Apr. I, p. 320 sqq.

⁴⁾ SC Apr. 4.

⁵⁾ Verbum q. e. *de antiquis* ad illos pertinere videtur. Martyres autem saeculo VIII obiisse dicuntur. Codex W ad arbitrium addidit, an quae traduntur falsa sunt? (Cf. *de antiquis* p. 5).

**Non. apr. Alexandriae Didymus presb.; <Nicomediae>
Claudianus; <Thessalonicae Irene>.**

Quae non. apr. in MH leguntur (*In Nicomedia Claudiani et In Alexandria Didymi presb.*) articulo in MS dato (*ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Κλαυδιανὸς καὶ Δίδυμος*) praefenda esse, supra iam scripsimus¹⁾. Videntur Menaea quodammodo cum MH cohaerere, quippe quae Apr. 5 praeter Claudianum cum suis, Theodoram et Didymum martyres Alexandrinos, quorum memoria in aliis SC codicibus Mai. 27 occurrit, habeant: Theodoram virginem pro fide in lupinar deductam a milite nobili, qui vestibus inter se permutatis virginis loco in aedibus relictus sit, integram liberatam esse. Iuvenem (et virginem, ut quidam dicunt) paulo post interfectum esse. Quae excerpta sunt ex actis a recentioribus compositis.²⁾ Nec Didymus miles, nec Theodora in MN et MNH memorati sunt. Qui articuli XI kal. ian. (*et alibi passio sanctae Theodosiae virg. et Didymi monachi(!)*) et III kal. mai. (*In Alexandria Theodora virginis*) leguntur, ex iis actis sumpti sunt.

In fine laterculi nomina trium martyrum legimus quorum memoria semel atque iterum redit: *non apr. In Sicilia Tarachi, Andronici, Probi, III id. mai In Palestina T.P.A, V kal. oct. In Tarso Cilicia T.P.A, VII id. oct. In Cilicia T.P.A, VI id. oct. T.P.A, V id. oct. In Anazarbeno Ciliciae (in Acervo Siciliae B) T.P.A. SC (Oct. 12) in codice S eorum elogium ieiunum habet; alii codices (F et B) et acta*³⁾ valde fabulosam vitam referunt. Aspice, quaeso, indicem cruciatuum, quos Tarachus passus sit (ex codice F):

1. θλάττεται λίθοις τὰς σιαγόνας καὶ τὸν ἀρχένα καὶ τὸ στόμα·
2. τὰς χεῖρας πρὸς καταφλέγεται·
3. ἀναρτᾶται ἐπὶ τοῦ ξύλου καὶ καπνῷ βαθεῖ καὶ δυσώδει ὑποκαπνίζεται·
4. ὄξυς δριμύν ἄλατι καὶ σίνγητι φρυαθὲν ἐπὶ τῶν ὀνῶν δέχεται·
5. ὀβελίσκοις πεπυρακτωμένοις ὑποκαίεται τὸν μασθόν·

¹⁾ II non mart. —

²⁾ Cuius Alexandrinae virginis acta existunt (AS 28 Apr. III, p. 573). Ei, qui ML scripsit, ignota non fuerunt. (Quentin, p. 190.) Similia scribit Ambrosius, licet virginem Antiochenam dicat. (De virginitate VI, 4, PL XVI, c. 212 sqq.) In Palladi Historia Lausiaca de Corinthiaca virgine idem refertur (HL § 65, Butler, p. 160) „ἐξ βιβλίου παλαιότατου ἐπιγεγραμμένου Ἰππολύτου.“ Hippolytus igitur virginem Corinthiacam (?) hoc modo liberatam esse narravit. Recentiores ei nomen Theodoram dederunt et alius alii urbi attribuit. Sollerius recte dicit „eundem divinum amoris astum plurimarum virginum tutandae pudicitiae servire posse“; omnes tamen vitas ex uno fonte fluxisse putandum est.

³⁾ Graeca PG CXV, c. 1068 sqq. Graeca et latina apud Ruinart, p. 422 sqq.

6. ξυροῦ τὰ ὄτα ἐκκόπτεται
7. τὸ δέσμα τῆς κεφαλῆς ἀποσύρεται
8. θηρίοις ἐκδίδεται
9. μαχαίραις μεληδὸν κατακοπεῖς τελειοῦται.

Non minus graviore cruciatu ceteri vexati sunt. „Et cum, inquit actorum scriptor, praefectus de amphitheatro recessisset, reliquit ibi decem milites, ut corpora sanctorum intermischerent inter corpora gladiatorum, ut non possent agnosci Misericors Deus stellam splendidam de caelo misit, quae sedebat super singula corpora sanctorum; et nos cum gaudio rapuimus corpora sanctorum”¹⁾. Licet multa commenticia sint, narrationi rem factam subesse verisimile est²⁾. In actis aliorum martyrum invenimus hosce martyres exeunte saeculo V tota fere Asia celebratos fuisse.³⁾ Admonendum vero martyres duobus ante saeculis passos esse dici, neque eorum memoriam in MS occurrere. Quid causae est, cur totiens in MH memorentur? V id. oct., V kal. oct., non. apr. (Apr. 5) varii dies sunt, ex uno eodem (V id. oct.?) deducti. Laterculus V id. oct. relatus VI et VII id. rursus legitur. Cur III id. mai. eorum memoria recurat, non video. Omnes articuli ex actis manaverunt: nomina urbium in quibus martyres vexati sint, excepta fortasse urbe Mopsuestia in MH redeunt. Ecce commemoratio III id. mai. relata (*TPA Pollentia, Victoris*): Victor nomen militare est, quo Tarachus inter commilitones appellabatur; *Pollentia (Palestina)* mihi depravatam nomen *Mopsuestia* videtur.⁴⁾ De Marciano cf. VIII kal. ian. De Thessalonicensibus II non. apr.; de Appiano II non. apr.

VIII id. apr. Sirmii Irenaeus episcopus; Nicomediae Cyriaca.

Qui confusus laterculus! In voce *In Nicomedia* XXII martyres nominatim memorantur *et VII alii (Sirmi Irenaei ep, Hymnari, Solutoris Cyriaci . . .)*. Ex quibus unam modo, Cyriacam nomine⁵⁾, Nicomedensem

1) Ruinart, p. 446 sq.

2) P. Allard, La persécution de Dioclet, II p. 304 sqq. totam vitam iis quae in spectaculo et post martyrum mortem acciderint exceptis veram putat.

3) Martyrius episcopus Hierosolymitanus 485 eorum reliquias in Euthymi monasterio collocavit (acta Euthymii, BHG 648). Mopsuestiae basilica ad eorum honorem fuit (Acta Nicetae, AB, XXXI, p. 214.). A° 515 Severus Antiochenus homiliam in eos habuit. (Les orig., p. 194 sq.)

4) Qui codicem Rich exscripsit *in Palestina* suspiciosum putavit, aut aliud quid legit: legitur *in Oriente*.

5) In MH plerumque *Cyriaci* legitur.

esse MS admonet. Inter „Nicomedenses” Irenaeus¹⁾ (In MS *Ἐν Σιζυμῶν τῇ πόλει Εἰρηναῖος ἐπίσκοπος*) memoratur. Ex ceteris plerique in voce *In Africa* leguntur: *Hymnari, Solutoris, Successi*, (VI id. apr.) *Moyseos, Romani*, (VIII id. apr.) *Donati, Syxti, Rufini*, (VIII id. apr.) Non dubito omnes Afros vocare. Sequuntur

VIII id. apr. <In Macedonia> *Timothei, Diogenis*.

In Alexandria Clusi presb.

PENTAPOLI, *Timothei, Tiriae, Macariae, Margae*, [Maximae BW], LYBIAE SUPERIORIS, THEODORI EP., IRENEI DIAC, SERAPIONIS, AMMONI LECTORIS, **Iuni, Mistae, Aprici**, Victoris et alibi Marinae, Teguliani.

VII id. apr. In Antiochia Syriae *Timothei, Diogenis, Macariae, Maximae* et alibi Eleusis (pelusi B, leusi C.) presb., LIBYAE SUPERIORIS **Capricae, Victoris**.

In Alexandria nat. Pelusi presb. [In Nicomedia Cyriaci cum aliis X. E].

VI id. apr. **In Africa Timori, Macarii, Conexi, Maximae, Concessae, et alibi Concessi, Solutoris, Successi, Pinnari** it AMMONI.

Ex MS scimus Pelusium presbyterum Alexandrinum (Apr. 7) Maximum, Timotheumque Antiochenos (Apr. 8) fuisse. Miramur quod Pelusius, cuius nomen VIII et VI id. apr. in MH legitur, VII kal. apr. non redit. Putandum porro est in MNH *quattuor* martyres memorari, quorum nomina non solum VIII, VII, VI id. apr., VI kal. apr. sed etiam VI id. iul. recurrunt; VI id. sept. et id. sept. iterum Timotheus memoratur et

VII kal. apr. In Antiochia *Timothei, Diogenis, Macariae, Maximae*.

IN PENTAPOLI LIBYAE THEODORI EP, IRENAEI DIAC, SERAPIONIS, AMMONI LECT.

In Africa Victoris, Saturnini, Solutoris.

VI kal. apr.

In Africa Romuli, Acuti, Pinnari, Mauroli, **Successae, Missae**, Matutinae, Donatae, **Successi**, Alexandri, **Solutoris, Saturnini**.

²⁾ Qui martyr persecutione Diocletiana gladio percursus est. SC eum Aug. 23 habet. Acta AS, 25 Mrt. III, p. 23. (Florus eum usitato errore non VIII id. apr. sed VIII kal. apr. habet, Quentin, p. 175.) Eum saeculo XI magno in honore fuisse narrat Theophylactus (PG, CXXVI, c. 220). Cf. C. Jireček, Das christliche Element in der topogr. Nomenclatur der Balkanländer, Sitzungsber. der Phil. Hist. Classe der Kais. Akademie der Wiss., 136e Band, (Wien 1897) XI, p. 97 sq.

III non. sept. illius martyris memoria cum aliis martyribus id. sept. memoratis rursus legitur! Qui MN in syriacum transtulit, cum prope et neglegenter transscriberet, duos omisit.

Achelii Theodori episcopi acta, ex quibus articulus in MH memoratus sumptus est, perisse iniuria arbitratur¹⁾. Vitam, ex qua excerpta in SC leguntur (Iul. 4 et 5) edidit vir doctus Papadoulos Kerameus (cf. SC col. 1023). Theodorus episcopus Cyrenensis fuit, qui calligraphus Scripturam sacram in exemplaria transscripsit multa, quam ob rem comprehensus cruciatusque in carcere denique animam efflavit. Postea mulieres Lucia, Aroa, Cyprilla, praeterea ὅσοι ἐδέξαντο τὴν παρὰ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου σφραγίδα, martyrio affecti sunt. De martyribus in MH Theodoro adiunctis, in actis mentio non fit. Quos Alexandrinos fuisse puto: XV kal. iun. enim inter Alexandrinos memorantur Serapion et Ammonius lector; XIII kal. iun. Irenaeus diaconus in voce *In Alexandria* legitur. Fieri potest, ut librarius Irenaeo Sirmiensi, cuius memoria in initio laterculi legitur, alterum Irenaeum adiecerit. VIII id. apr. Alexandrinos eos in Pentapoli una cum episcopo celebratos fuisse veri similis puto. De Herma Nisibeno cf. p. 32. *In Macedonia* depravatam nomen martyris (aut urbis?) videtur.

VII id. apr. Alexandriae Peleusius presbyter.

VI id. apr. Antiochiae, Maxima, Diogenes, Macaria, Timotheus.

Cf. VIII id. apr.

V id. apr. Sirmii Demetrius diaconus.

In MH *In Sirmio nat. V (VII B) virginum [quarum nomina deus scit BW] et alibi Demetri diaconi, Heracli . . . et VII virginum canonicarum*. Ex articulo Syriaco Demetrius *Sirmio* adiungendus est (cod. Rich. *In Sirmio Demetri diac. Hilari . . .*); septem virginum commemoratio postea adscripta est. Id. mai. denuo in voce *In Sirmio* inveniuntur: *Timothei et [alibi BW] VII virginum*. Vita septem virginum passioni celebri VII puerorum dormientium Ephesiorum simillima est²⁾. In SC Mai. 18 et Iun. 7 septem virginum memoria occurrit, quas „praefectus“ una cum Theodoto quodam Ancyrae in aquam mergi iubet³⁾. Theodotus Ancyranus idemne est, qui Timotheus Sirmiensis? Utcunque res se habet, videtur septem virginum quaedam vita latina exstitisse, quae eas cum urbe Sirmio iungeret. Qua ex vita articuli in MH et SC memorati sunt sumpti (id. mai. = Mai. 15; Mai. 18 = XV

1) Die Mart. p. 131.

2) BHG 1593–1599; BHL 2313–2319.

3) Acta, in quibus idem legitur BHG 1782 (Iun. 7, BHG vitiose 9 Iun).

kal. iun.!). Cf. XVI kal. mai. Praeter Demetrium alii martyres V „Sirmienses“ leguntur. Idem III id. apr. „Alexandrini“ sunt et III id. apr. (mea opinione recte) in vocibus *In Africa* et *in Mauritania* leguntur.

Demetrium ipsum praeclarum Thessalonicensem patronum esse, cui saeculo V Sirmii basilica exstructa sit, ego quidem puto. Mirum est hunc martyrem in voce *Thessalonicae* in MH non inveniri.

III id. apr. Alexandriae Apollonius presbyter. <In Dacia Ripensi Gaianus diaconus.>

Apollonium presbyterum Alexandrinum fuisse articulo in MS memorato confirmatur. Ceterum prorsus ignotus est. Codices praeterea habent *In Thracia Gaiani*; E in fine laterculi iterum *In Dacia Gaviani diaconi*, Rich. et F. *In Dacia Ripensi Gaiani diaconi*; V kal. ian. omnes codices *In Thracia Gaiani, Domiciae*. Putandum est diaconum nomine Gaiantum in Dacia Ripensi martyrio coronatum esse. (Cf. XVIII kal. iul.). Dubito an non articulus ex MNH sumptus sit. Inter Dalmaticos martyres Venantius, Anastasius, . . . Domnio, Septimius, Gaianus, Maurus nominantur.²⁾ Maurus autem in Istria vixit; fieri igitur potest, ut Dacianus martyr fastis Dalmaticis adiunctus sit. Annotandum est ad III id. apr. in MS et in MH Domnionis Salonitani memoriam occurrere.³⁾ De Theodoro cf. X kal. apr.

III id. apr. Salonae in Dalmatia Domnio episcopus <Nicomediae Eustorgius presbyter.>

II id. apr. In caep. depravatam In Capua.

Id. apr. Pergami in Asia <ex antiquis> Carpus episcopus, Papylus diaconus, Agathonica.

Articulus in MS legitur *Ἐν Περγάμῳ τῇ πόλει ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Κύριλλος ἐπίσκοπος καὶ Ἀγαθονική καὶ Παῦλος*. In MH *in Chalcedonia . . . Eucarpi . . . et alibi Pauli . . . Agathonicae; Pergamo Asiae Polycarpi ep., Pauli diaconi*. Eusebius eorundem martyrium narrans⁴⁾, eos nominibus q. s. carpus, Papylus, Agathonica vocat. SC Oct. 13 (et Iun. 28) . . . *Κάρπον καὶ Παπύλον (Ἀγαθοδώρον) καὶ Ἀγαθονίης*. De Carpo, Papylo, Agathonica acta exstant.⁵⁾ Licet igitur assumere illa nomina in Syriaco vitiose scripta legi. Harnack ait⁶⁾

1) Cf. in primis C. Jireček, o. l., p. 93. Praeterea Les orig., p. 263 sqq., Delahaye, Les légendes grecques des saints militaires, Paris 1909, p. 107 sq.

2) Cf. Les orig., p. 292, et III id. apr. AB XVIII, 369 et XXIII p. 5.

3) MS Septimium (Apr. 18), MH Anastasium (VII kal. sept.) habet; Gaianus, quem MH diaconum vocat, miles fuisse videtur!

4) HE III, 15, 48, Schwartz, p. 354.

5) BHG 293–295.

6) Die Akten des Karpus, des Papylus und der Agathonike, T. u. U. III, 1887, p. 440 sqq.

hos martyres Antonini temporibus vixisse; de Guibert, cui assentior, eos Deciana persecutione e vita discessisse putat.¹⁾ Harnack porro titulos falsos esse arbitratur. Quamquam neque Eusebius, neque acta vetustiora²⁾ titulos indicant, puto tamen verbum q. e. diaconus in MNH inventum fuisse: nulla causa est, cur titulum in MS et MH Carpo attributum falsum putemus; minime verisimile est eum, qui articulum MH inseruit, (vel librarium recentiore) verbum solum, q. e. diaconus, ex actis sumpsisse. Infirmiter argumentis idem vir doctus Papyllum (quem Paulum vocat) evangelistam circumforaneum fuisse demonstrare conatur.

In initio laterculi legimus *In Chalcedone Euphemiae*. Cuius memoria denuo legitur XVI kal. sept., XVI kal. oct., XV kal. oct.³⁾ Mirum est quod martyr, cuius cultus tam late dispersus fuerit, in MS non memoratur. Quo enim tempore illud martyrologium compositum est (vel potius aliquanto post) Asterius Amasenus praeclaram homiliam (*εἰς μαρτύριον τῆς πανευφήμου μάρτυρος Ἐὐφημίας ἐκφοράσις*) habuit.⁴⁾ Sept. 17⁵⁾ MS in voce *In Chalcedone Seleucum Aegyptium* memorat; quod si rectum est, videtur Seleucus mox Euphemiae cessisse. (Conf. autem XV kal. oct.). Articulum XVI kal. oct. relatam (XV kal. oct. et XVI kal. sept. iteratur) in margine adscriptum esse codex E manifeste ostendit. Qua re minime indicatur articulus non ex MNH in MH translatus esse. Diudicare rem non audeo. Adnotatio quae id. apr. legitur, videtur adiuncta, quod proximo die legitur *etalibi Euphemiae*, nisi vero eadem martyr indicatur! Utique ex actis sumpta est. W enim habet *Euphemiae <et Eucapiae>, post multa tormenta requiescentis*. Quae verba cum passione Euphemiae apte congruunt, minus in vitam Carpi aliorumque, quam Eusebius et acta narrant, conveniunt.

1) J. de Guibert, *Revue des Questions historiques*, 83 (1908) p. 5: „beaucoup mieux fondé”.

2) Acta recentiora titulos habent.

3) Per totum fere orbem terrarum saecula V et VI celebrabatur: Antiochiae, Constantinopoli, Romae, Ravennae, Aquileiae, Mediolani, Lugduni, In Africa, aliis locis. Cf. *Les orig.*, p. 67 sqq., *Mombritius I*, 454. Inter perpaucos martyres in *Fastis consularibus* a^o 493 memoratos Euphemia (XVI kal. oct.) legitur. In *MK* Sept. 16 „*Euphemiae*”. De martyrio imaginibus expresso J. Strzygowski, *Orient oder Rom*, Leipzig 1901, p. 118 sqq.

4) Primum edidit Combefis, *Novum auctarium*, I, p. 208 sqq.; J. Pargoire (*L'église Sainte Euphémie et Rufinians, Echos d'Orient*, 1911, p. 107 sqq) agit de basilica Euphemiae, quam Asterius commemorat.

5) Graeci recentiores et acta Sept. 16 Euphemiam dicunt. *Acta BHG* 619—624; *BHL* 2708—2716. Diocletiani temporibus „*Philophrono et Theodorasiana genita martyrio affecta est*”. —

XVIII kal. mai. In fine laterculi omnes codices *In Alexandria Frontonis monachi*. De Frontone existunt acta latina, parum fide historiae probata: ei, cum LXX monachis comitatus esuriens in desertis vagaretur, divitem virum angeli monitu cibos attulisse; cum viam ad monasterium ducentem reperire non posset, eum camelos „dimisisse“; quos nullo duce ad sanctas aedes pervenisse. Temporibus Antonini vixisse dicitur. At non ante exiens tertium saeculum in Aegypto monachi reperiuntur. Librarius, cui haec acta nota erant, cum in MH XVIII kal. bis terve Frontonem nomine martyrem legisset, huic Frontoni monachum adiunxit. Quentin si recte iudicat Florum elogium „Frontonis abbatis, cuius vita sanctitate et miraculis extitit gloriosa“ ex Hieronymianis sumpsisse²⁾, epitomen quoque ex actis is librarius addidit. De Prosdocio cf. XII kal. mai.

XVII kal. mai. In voce *in Mesopotamia* quidam martyres memorantur, qui sine dubio huic regioni non adiungendi sunt. *In Mesopotamia* depravatum martyris *Protamonis* nomen est, qui semel atque iterum memoratur. Ex illis „Mesopotamenis“, (qui sunt Archelaus, Comatis, Cyrianus, Veronica, Acuta, Diogenes diaconus cum duobus fratribus) Veronica et Diogenes ad Antiochenos pertinent, de quibus XII kal. mai. acturus sum. *Cum duobus fratribus* legitur in articulo *In Spaniis Caesareae Augustae Passio Luperci, Apodemi cum II fratribus*. Invenimus porro *(In Antiochia)* . . . *Octaviae, Potamiae, Taidiagalatae quo Amaliae, Archelai, Potami*, sub quibus verbis latent Potamius, Acuta, Archelaus, Comatis supra memorati; quo modo antiquissimus articulus restituendus sit, non video. De Georgio cf. VIII kal. mai., de Prosdocio XII kal. mai.

XVI kal. mai. Corinthi in Achaia Leonidas, Chariessa, Nunechia, Basilissa, Nice, Galena, Callis, Theodora, <Lota, Tertia>.

Adnotatio Syriaca *Ἐν Κορίνθῳ τῆς Ἀχαΐας Λεωνίδας καὶ ἕτεροι μάρτυρες ἢ* in MH ita redit, ut omnes nominatim memorentur: *Calisti, Carisi*, Lotae, Tertiae, Christianae, Gallae*, Theodosiae*, Leonidis*, Calistae, [omnium in mare mersorum BW] it Carissi, Cantoris, Caesiae cum alis V, Nicae*, Gallinae*, Moniciae*, Nigiae, . . . Tertii [Calistae BW] . . . Basilissae**. Plerique codices SC Apr. 16 (alii Apr. 15, 17) eosdem habent (sc. VIII quorum nomina* sunt indicata). In MH *Calisti, Christianae, Calistae, Carissi, Cantoris, Caesiae, Nigiae, Tertii* iterata et depravata martyrum nomina habenda sunt. Quod ad Lotam

1) Rosweydius, Vitae patrum, PL, LXXII, c. 437 sqq.

2) Quentin, p. 330.

et Tertiam attinet, mutilata illorum martyrum nomina non videntur. Putandum igitur est eos ex alio articulo huc irrepsisse aut in MNH plus quam octo martyres (X aut IX: MS Leonidan et VIII alios habet!) memoratos fuisse. Non solum ex MNH sed etiam ex alio fonte¹⁾ martyres iterum MH adiuncti videntur. Qui adiunxit fortasse elogium (in BW) inseruit. An in MNH iam legebatur? (cf. p. 33). Articulus in SC si recte memoratur, Apr. 16 Corinthi Leonidas cum VII mulieribus passus est; V id. ap. iam vidimus Mai. 18 (et Iun. 7) Ancyrae Theodotum cum VII virginibus idem martyrium passos esse et id. mai. in MH in voce *in Sirmio* Timotheum cum VII virginibus memorari! Non mirum si quis, num vera sint quae in posterioribus articulis legantur, dubitet.

Sub obscuris verbis *In collo liveris vincenti* latet articulus *In Caulo-libero* (in Hispania sita) *Vincenti*. (Cf. XIII kal. mai.). In fine laterculi non minus quam XX martyres memorantur, quorum nomina ex proximis articulis iterata sunt²⁾

XV kal. mai. In MH invenimus

XVI kal. mai, alibi *Marciani . . . Hermoginis . . . Fortunati . . . Marciani*.

XV kal. mai. *In Antiochia Petri diaconi, Hermoginis ministri Petri, Fortunati, Marciani. In Africa . . . Mappalici, Victorici*

XVIII kal. mai. *In Salona Septimi diaconi, Victorici et alibi Hermoginis. In Africa . . . Fortunati . . . Expediti, Mappalici; Victorini, Gai.*

XIII kal. mai. *In Armenia Melitenae <Hermoginis, Gai, Expediti> Aristonici, Rufi, Galatae [una die coronatorum BW]. In Melitena Armeniae Rufi, Hilari, Aristonici, <Fortunati, Gai> In Africa Sericiani . . . Hermoginis cum aliis duobus.*

MS Apr. 18 *Ἐν Σαλώνη Σεπτίμιος καὶ Ἐρμόγενης*; Apr. 19 *Ῥοῦφος μάροτρο*.

Articulum XV kal. mai adscriptum esse ex alio fonte ac MNH, quia XIII kal. mai alter martyr nomine Hermogenes memoraretur, veri simile est.

Ad Melitenam martyres, quorum nomina < > inclusa sunt (XIII kal. mai.) non pertinent. Dubito num Aristonicus et Hilaris (vel Galata)

1) Acta, quae fuerunt, periisse videntur. „Leonidas episcopus Athenarum” cuius acta BHG 984 idem, qui in SC (et MS!) memoratur, id, quod Delahaye contendit, esse non potest.

2) De *in Ponto [in scia celli . . . BW]* Florentinus iam (p. 442): obscura mihi vox est utrum martyr an loci alicuius nomen sit. Est verosimiliter in Portu.” —

Meliteni sint¹⁾. Fieri sane potest, ut is, qui MN in syriacum transtulit, cum nomen urbis tum unum pluresve martyres omiserit.

Achelis priorem articulum (XIII kal. mai) ex actis sumptum esse putat²⁾. (*Qui una die coronati (sunt)* in MH kal. aug. (BW), III id. aug. (BW), V id. apr. (cod. O), XII kal. ian. (cod. O) leguntur³⁾, quae verba ipsa per se non demonstrant eum, qui inscripsit, actis usum esse.

XIV kal. mai. Salonae Septimius diaconus, Hermogenes.

XIII kal. mai. Melitenae in Armenia Rufus, <Aristonicus, Hilarius>.

Cf. XV kal. mai.

XII kal. mai. Antiochiae in Syria Prosdocius, Veronica, Domnina <virg., filia eius>.

Quo factum sit ut tres, quos MS Apr. 20 habet Antiochenos, in MH iam XVII et XVIII kal. mai. memorentur, non video. Qui dies verus sit ex verbis Chrysostomi in oratione ad martyrum honorem habita⁴⁾ licet tempus anni cum MS et MH congruat (*οὐπω εἴκοσιν ἡμέρας ἔχομεν σταυροῦ μνηρίαν*⁵⁾ *ἐπιτελέσαντες*) non computandum est. In SC eadem leguntur⁶⁾, quae in sermone Chrysostomi: duas virgines cum matre Domnina iuxta viam Hierapolim ducentem, ut eos, qui se insequerentur ignominiamque effugerent, in flumen se praecipitasse. MS autem duos ex tribus viros nominat (*Προσδόκιον καὶ Ρωμάνιον*). Chrysostomus et SC et MH cum tertiam Domninam vocent et litterae r et d syriace simillima sint, nomen q. e. Domnina rectum esse puto. Quod ad nomen *Prosdoci* attinet, res dubia est; quo propinquitatis vinculo inter se coniuncti fuerint, incertum est. Quae MS et huic repugnantes Chrysostomus et SC habant, iam notavimus. In MH autem alia atque apud Chrysostomum leguntur: XVIII kal. mai. . . . *Pro ducti, Liurni, Dominae virginis cum suis virginibus [simul coronatae*

1) In priore articulo leguntur *Hermogenis, Gai*, Expediti, Aristonici*, Rufi*, Galatae**, in altero *Fortunati Gai* Donati, Aristonici*, Rufi*, Hilari**. Hermogenes et Rufus in MS memorantur. Expeditus, Fortunatus, Donatus, Gaius in aliis articulis inveniuntur.

2) Die Mart, p. 134.

3) De verbis q. s. *simul coronatae* (XVIII kal. mai) vid. XII kal. mai.

4) B. de Montfaucon, I. Chrysostomi Opera Omnia, II, p. 634.

5) Delahaye iam: „quod de festo *τῆς ὑψωσέως* (Sept. 14) intellexerunt menologiorum collectores, re apse autem de feria sexta Parasceuas dictum erat” — SC eos igitur Oct. 4 memorat.

6) SC c. 955.

7) MS prvsdvqs et rumnjus: Duschesne iniuria *Προσδοκίας* (AS, Nov. II, p. [LVI].

BW] XVII kal. mai. In *Antiochia Syriae Prosdoci, Veronicae et Dominae filiae eius*. Quid verum? Qui MNH in latinum transtulit nomen *Prosdocii*, et post *Domninam* verbum q. e. *Παρθένος, θυγάτηρ* vel tale quid invenisse videtur. Articuli in MH confusi nec certi sunt. *Cum suis virginibus* non congruit cum *virginis et filiae eius*. Chrysostomus non ita multo post Syriacum compositum laudationem habuit. Praeclarum Antiochenum oratorem quae de martyribus narrabantur diligenter cognovisse et recte exposuisse putandum est. Quae in SC et in actis leguntur ad Chrysostomum referre possumus.

In MH contra omnes codices et XVIII et XVII kal. mai. *Prosdoci* habent. 1) In MNH vir Romanus hoc nomen legisse satis constat. Quod si rectum est, in MN igitur, h. e. in antiquissimo fonte, primo martyri nomen Prosdocius fuit. Quae porro in MH de Domina leguntur ex actis sumpta esse non possunt: et *Dominae filiae eius* (XVII kal.) et *Dominae virginis* (XVIII kal.) in MNH iam inventa sunt. 2) In narratione antiquiore sermo est de viro et muliere (marito et uxore?) et de virgine filia 3) eius (eorum?). Quam narrationem temporibus Chrysostomi iam immutatam esse arbitror. Verba *cum suis virginibus* recentiori modo narrationi apta a librario recentiore articulo adiecta sunt; *simul coronatae* in recentioribus tantum codicibus leguntur. De *Aradi* cf. XI kal. mai.

XI kal. mai. Alexandriae Aristus presbyter.

Adnotatio in MS memorata (*Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἀριστος πρεσβύτερος*) aucta in MH redire videtur: *In Alexandria Fortunatae, Aratoris presb., Felicis, Salvi, Vitalis in carcere (cessarea E) quiescentis*. At XII kal. mai. in E *In Alexandria Aradi presb.*; BW inter medios Afros *nat. Araiaci*; eodem die *In Africa Silvani Fortunati, Donati* et VIII kal. mai. *In Africa . . . Silvi Felicis, Vitalis . . . Romae . . . Silvani Asaiaci (Araiaci BW) Donatae*. Iniuria vir doctus Urbain 4) Alexandrinam adnotationem XI kal. mai. memoratam laudans exclamat: „Natürlich ist das unsere Gruppe (dicit turbam XII kal. in voce *Romae* memoratam) Die Namen werden schon im römischen Kalender gestanden haben" . Esto: Romani martyres non fuerunt; iniuria Urbain verba q. s. *ut*

1) Rich modo *Prosdocae*. Articulus V id. iul. memoratus *In Antiochia Prodotiae, [Veronicae, Speciosae]* ex alio fonte sumptus est.

2) In actis Domnina mater est dicta.

3) Annotandum est in omnibus martyrologiis et in libello Chrysostomi martyrum nomina eodem ordine legi: Prosdocius, (vel Prosdoca) Veronica, Domnina. Domninam si mater fuerit, non primo loco scriptam legi mirum est. Vestigia antiquioris memoriae invenio XIII kal. nov. . . . *Prosdociae* (BWL *V Prosdoci*) et *Nicae matris eius et Tassiae (Domnae W) virg.*

4) p. 138 sq.

carcere quiescentis „emandavit” in *cymeterio martyrum*. Quae verba in *carcere quiescentis (tium)* hac martyrologii parte ter vel quater leguntur: IIII kal. mai. *Charilampi presb. Agapi lectoris in carcere requiescentis (ium B) Eusebi*. VI non. mai. *In Alexandria Saturnini [in carcere quiescentium B] [cum Neopoli socio suo BW]*¹⁾; VI non. mai. verba codici B(W?) ex actis, quae perierint, addita videntur; neque Vitalis neque Agapius lector mihi notus est; non me fallit verba semper martyribus in MS memoratis proxima legi. Fieri potest, ut in MNH articuli April 21, 28, Mai 2 „maiores” quam in MS memorati fuerint: quod, quae in MS inveniuntur, vero propius non faciunt.²⁾ Utrum et Vitalis et Agapii et Saturnini acta fuerint ex quibus haec verba MH inserta sint, an ea uni modo martyri attribuenda ceterisque errato adiuncta sint, diiudicare non possum.

X kal. mai. De Philippo apostolo cf. p. 65.

VIII kal mai Commemoratio *sancti Georgi* in B et Rich in mediis Africanis martyribus, in W et C uncis inclusa „manu secunda” legitur. Praeterea invenies:

VII kal. mai. *In Persida (in Oriente S) [civ. Diospoli B. Rich.] Passio sancti G. non. mai. In civ. Diospoli Passio sancti G. martyr.* XVII kal. mai. *et alibi sancti Georgi (Georgae E)*. VIII kal. mai. *[et alibi commemoratio B] sancti Georgi [. . . et Vigilia s. Georgi B]*³⁾. VI kal. oct. *[Et dedicatio sc. Georgi B]*. XIII kal. dec. *[Et dedicatio ecclesiae sc. Georgi martyr . . . Rich]*.

Quamvis ille martyr honore gloriaque floreret, qua in urbe, quo tempore martyrio coronatus sit, non satis constat. Antoninus Diospoli in Palaestina eum sepultum esse dicit⁴⁾. SC Apr. 23 fabulosam vitam habet Georgi Cappadocis, temporibus Diocletiani gladio percussus. Acta graeca⁵⁾ et latina eadem referunt.

Beda⁶⁾ et Florus⁷⁾ articulum ex MH transcripserunt; Ado⁷⁾ nonnulla

1) Quentin (p. 331 sq.) putat elogium quod Floris III non. mai. memorat („. . . Euthymii in carcere quiescentis”) ex codice B sumptum esse.

2) In Charilampi et Eusebi Nicomedensium actis (AS 10 Febr. II, p. 381; SC Mai. 30, 31) plures martyres quam in MS leguntur, Agapius lector non legitur.

3) Et SLMV *Commemoratio Georgi*.

4) P. Geyer, *Itinera Hierosolymitana*, Corp. script. ecclesiast. lat. XXXIX, p. 139. Illud itinerarium circiter a. 570 compositum est. Cf. M. Schanz, *Gesch. der Röm. litt.* IV, 1, zweite Aufl., p. 401.

5) BHG 670-691; BHL 3363-3406.

6) Quentin, p. 50 et p. 331.

7) Quentin, p. 636.

de eius cultu in Occidente¹⁾ addidit. Baronius inter varia loca in actis et in graecis fastis allata diiudicare non ausus, scribit: „natalis s. Georgi cuius illustre martyrium inter coronas martyrum Ecclesia Dei veneratur." Patet articulos in occidente ex actis sumptos esse²⁾. De Pantaleemone vid. V kal. aug.; de Corona II id. mai.

VIII kal. mai. Nicomediae Anthimus episcopus, <Antonius presb., Zeno episcopus (?) . . . >

Articulus corruptus, qui in MS invenitur a Ἄνθιμος . . . καὶ ἔτεροι ε' . . . V kal. mai. in MH redit *In Nicomedia Antimi [ep BW] Stefani ep., Antoni presb. Libandiae (Lidiae B) (In lidia W) Zenoni episcopi, Generi, Maurini, Sodali, Eutici, Zotici, Eutici, Hilpidi*. Supra (p. 51) iam vidimus MN plures martyres Nicomedenses memoravisse, quam Eusebius dicat, MS autem ex maiore numero, quem MN Mart 13 adnotaverit, unum modo nominatim memorare. Apr. 24 quoque in MN et MNH plura nomina reperta videntur quam MS refert. MH ea servat. Anthimum ep. VIII kal. mai. anni 303 mortem obiisse satis constat. Neque apud Eusebium³⁾ neque in SC (Sept. 3) neque in actis⁴⁾ socii ei adiunguntur, ut quos martyres MNH memoraverit indicare facile non sit. Nicomediae eos, qui praeter Anthimum leguntur, celebratos esse non constat. Nicomedensis episcopus nomine Stephanus fuit ineunte VI saeculo: in MN non memoratus est⁵⁾. Episcopus nomine Zeno non fuit. Cf. de illis episcopis p. 71. Quod ad Antonium presb. attinet, acta⁶⁾ exstant de Antonio quodam, qui temporibus Neronis una cum Paulino praedicavisse et Lucae sepultus esse dicitur. Illa acta postea ex articulo *Antoni presb. Lidiae* an adnotatio ex passione fluxit? Prius mihi verum videtur. Hilpidius fortasse idem est, qui Melitenus. In fine laterculi *In Antiochia Timiae Mauri atti diac. Gennosi* initium iteratum est⁷⁾. De Victore et Corona cf. II id. mai. De Sadrach p. 68. De Georgio VIII kal. mai.

VII kal. mai. De Georgio cf. VIII kal. mai; de Marco evangelista p. 66.

VI kal. mai. De Cyrillo vid. VI id. mai. E⁸⁾ et in *antioch. eutimiae*

1) Ex decreto Gelasiano, PG LIX, c. 161 sqq.

2) De Georgio cf. K. Krumbacher, *Der Heilige Georg*, München 1911 et „commentarius" in AS, 23 April, III, p. 100–117.

3) HE VIII, 6, 6 et 13, 1, Schwartz, pp. 750 et 772.

4) PG CXV, c. 172 sqq.

5) Ex pluribus codicibus Usuardini martyrologii (p. 236 sq.) apparet *Stephani ep* non ad Nicomedenses pertinere.

6) AS 27 April III, p. 477 sqq.

7) VII kal. mai. denuo *Anthimi* nullo martyre addito.

8) In B antecedit *Anthimi ep*.

et romae primitivi aureli it antiochia leonidis vindeti. Primitivi memoria VI kal. mart. recte legitur. Aureli est depravatum Cyrilli et Vindeti idem ac Cindeus, socius Cyrilli. Eutimiae denique et in Antiochia et Leonidis(?) perperam scriptum pro nomine Anthimi.

V kal. mai Tarsi in Cilicia Castor.

De Castore V kal. apr. De Anthimo VIII kal. mai. De Hermogene V non. mai. De Victore II non. mart. Omnes codices in vocibus in Aegypto, Nicomediae magnam martyrum turbam habent. Nicomediae ab laterculi initio iterata est. Supra (II non. mart.) iam invenimus nonnullos Aegypto adiungendos esse. Reliqua nomina si conferimus cum adnotatione Africana VI kal. mai. relata, videmus alio ordine eadem redire.

III kal. mai. Nicomediae Eusebius presbyter et Charalampus presbyter et CCLXVIII alii martyres.

Nisi MS repertum esset, laterculum explicare difficile esset. Ἐν Νικομηδείᾳ Εὐσέβιος πρεσβύτερος καὶ Χαράλαμπος πρεσβύτερος καὶ ἕτεροι μάρτυρες σξη' in MH ita legitur <In Tarso Ciliciae Afrodisi> cum aliis CLXX <Malinae> Carippi (Carilippi BW) presb. <Agapi lectoris in carne requiescentis> Eusebi, Eunuchi <In Africa> [prov. Numediae BW] et aliorum LXX . . . et aliorum CCLXX. Verba q.s. δυοῖν δέοντες ab Romano interprete neglecta videntur, sicut fortasse In Nicomedia omissum est. Duchesne¹⁾ opinatur – equidem vix credo – In Nicomedia proximo die legi. Synaxaria memorant Mai. 30 vel 31 Nicomedenses Eusebium Romanum, Meletium, Charalampum, Christinam cum permultis aliis. Acta fabulosa²⁾ agunt de Charalampio presb., Porphyrio, Bapto militibus et tribus mulieribus Magnaesia Antiochia, Pisidia (sic!) a^o 202 martyrio coronatis. Quae satis ostendunt Charilampi aliorumque memoriam libris diu servatam esse; celebrationis et cultus apud fideles vestigium invenimus nullum. Cum numerus in MS relatus satis accurate in MH redeat, nec nomina in SC praeter duo in MS memorata in MH legantur, putandum est eundem articulum ab viro Romano in MNH inventum esse.

Adnotatio In Tarso Aphrodisi VII et VI id. mai. denuo invenitur³⁾. Neque illi martyri socii adiungendi sunt. Quo die, quo ex fonte articulus MH insertus sit, III id. mai. disseremus. –

In initio laterculi Pannonia Eusebi epi. Pollionis Tiballi; III kal. iun. iterum in initio laterculi (BW) In Ciballis Pullionis lectoris. Ambo articuli excerpta ex actis sunt⁴⁾, in quibus Pollio „primicerius lectorum“ a

1) AS, Nov. II, 1, p. LVI.

2) AS, 10 Febr. II, p. 381.

3) In Menaeis quoque Aphrodisius solus memoratur (Iun. 21).

4) Ruinart, p. 404.

Probo „praeside” temporibus Diocletiani et Maximiani Cibali deprehensus et flammis exustus esse legitur (V kal. mai) quo die „ante plurimos annos vita functus” episcopus Eusebius martyrio coronatus est. Quae „martyr” *Malina* cuique urbi attribuenda sit, dicere non possum. De Victorino „Alexandrino” cf. II kal. mart. et II non. mart. De „Egressione de arca”, p. 69.

III kal. mai. Alexandriae Germanus presbyter.

Adnotationes in MH leguntur valde inordinatae! In MK memoratur quidam martyr nomine Pudens cuius nomen in MH ter invenimus, nusquam in voce *In Africa*. Multi praeterea martyres in vocibus *in Nicomedia*, *In Bononia*, *In Alexandria* memorati, sine dubio Afri sunt. Alexandrina est Theodora, de qua non. apr. egimus; Alexandrinus Germanus presbyter quem MS hoc ipso die habet. Qui Nicomedenses sint ex decem martyribus in hac voce memoratis, diiudicare nequeo. Videntur mihi omnes Afri; *in Nicomedia* fortasse ab proximo die huc perperam translatum est.

II kal. mai. Aphrodisiae in Karia Diodorus presbyter et Rhodopianus diaconus.

Articulus syriacus mire corruptus in Hieronymianis redit. MS *Ἐν Ἀφροδισίᾳ τῆς χώρας Καρίας Διόδοτος καὶ Ῥοδοπιανὸς μάρτυρες* MH *In Alexandria Dorothei presb, Rodociani diac . . .* (33 vel 34 nomina) *Afrodī, Clugdī, Partoris epi et alibi . . .* (18 nomina) *Romodiani ignei diac rumetina remisurini cum aliis XXIII . . .* (4 nomina) *Diodri, Ropodiani, diac Nomensis [de reliquorum gesta habentur B] . . .* In *Frodiria Rodiciani diac. . . .* (12 nomina). In SC leguntur *Διοδώρον καὶ Ῥοδοπιανοῦ διακόνου* (Apr. 29). In MS igitur non solum tituli omissi sunt, sed presbyteri nomen mea opinione perperam scriptum legitur. De elogio cf. p. 24.

Kal. mai. De Philippo cf. p. 65, de Iacobo p. 61, de Matthaeo p. 65, de Iuda p. 57, de *In Oriente* p. 16.

VI non. mai. Alexandriae Saturninus.

Initio laterculi legimus *Germani, Caelestini, Felicis, Cettini (Aetini B) . . .* et paulo infra *In Alexandria Saturnini item in Alexandria Germani, Caelestini, Scantinae (Sanctinae BW)*. Germanus Alexandrinus III kal. mai. iam memoratus est. Ceteri martyres (excepto Saturnino) V non. mai. (in E) et III non. mai. (in BW) in voce *in Africa* leguntur. Saturnino in B praeter *in carcere* quiescentis (cf. XI kal. mai) adiecta sunt verba *cum Neopoli socio suo*. In E *Eupolitis* legitur post martyres Melitenos, de quibus V non. mai. agemus. Neutrius urbis civem, Afrum aliquem eum puto.

V non. mai. Melitenae in Armenia Helpidius et Hermogenes.

Quae MS habet Ἐν Μελιτηνῇ Ἐλπιδίος καὶ Ἐρμογένης μάρτυρες in MH V kal. et VI non. mai. iam leguntur. V non. mai. invenimus *nat sancti Hermoginis (in provincia Asia inluminata civitate nat Hermogenis de antiquis BW)*. Veri simile est eum, qui articulum adscripsit, verbum *Armeniae* in MNH invenisse, *In provincia Asia* autem ab eo qui exemplar Y descripsit adiunctum esse. Praeterea apertum est titulum *ep. vel presb.* (V kal. mai) vitiose scriptum esse et *de antiquis* depravatam *Hilpidi* ut *inluminata* perperam scriptum *in Melitene*. De „inventione crucis“, p. 57; de Antonina et de Silvano (E) III non. mai. —

III non. mai. Nicomediae Antonina et Caesareae Silvanus et alii XL.

Martyrologia Syriacum, Hieronymianum, Constantinopolitanum de vita Antoninae (vel Antonini) inter se differunt, id quod virum doctum Achelis adduxit, ut nonnulla de ratione, quae inter MH et Synaxaria intercedat, proponeret. MS adnotat Ἐν Νικομηδείᾳ Ἀντωνίνος μάρτυρ. MHE V non. mai. *In Nicomedia nat. Antoninae*. E et Rich. III non. mai. *In Nicea civ. nat. Antoninae (Antonini Rich.)*. BW eodem die *In Nicomedia Antoninae nimium tortae et variis tormentis afflictæ; ab uno brachio tribus diebus suspensæ et in carcere biennium reclusæ a Prisciliano praeside flammis exusta obiit*. SC duo martyria Antoninae (Mart. 1, 2 et Iun. 12, 13) refert; quod martyrium Mart. 1, 2 legitur cum passione in MH memorata magnam partem congruit; utrumque Antoninam Nicaeae vixisse indicat. Achelis plerisque in rebus, quae MS adnotat, vera putat. Hac vero in re sibi constare mihi non videtur. Qui primo¹⁾ „Der Antoninus“, inquit, „am 4 Mai muss eine Antonina werden, da MH ihre passio citiert“, u. s. w.; deinde²⁾ „In dem phrygischen Synnada steht am 13 August Antoninus verzeichnet“ u. s. w., „dieselben Namen (sc. Antoninus, cett.) kehren in Nicom. am 4 Mai, . . . wieder . . . Die Antonina vom 4 Mai“ . . .; denique³⁾ „Die Lesart von MHE Nicia ist falsch und sie erklärt sich leicht als falsche Auflösung einer Abbrivatur von Nicomedia. Ich vermag es daher nur als ein merkwürdiges Zusammentreffen zu deuten, dass Antonina auch von der Ueberlieferung der Griechen als Nicânerin bezeichnet wird. Oder hat eine falsche Lesart des MH die griechischen Menologien beeinflusst?“

1) Die Mart, p. 33.

2) Die Mart, p. 54.

3) Die Mart, p. 140.

*In Nicia*¹⁾ re vera perperam scriptum videtur. Is, qui antiquius exemplar codicis E exscripsit, cum III non. mai. adnotationibus (quas omnes superiore die iam scripsisset) carere animadvertisset, ex articulo V non. mai. memorato (vel potius ex articulo hoc ipso die relato) adnotationes Nicomedensem et Africanam in breve contractas iteravit et verba mendosa fortasse scripsit, de quibus Achelis agit. Synaxaria autem Antoninam Nicaensem dicere, quod in uno codice MH iniuria *in Nicia* scriptum legatur, non assumendum est: in SC martyr alio die memoratur, ac in MH; nonne qui transtulit *in Nicea*, in eodem martyrologio latino die superiore Antoninam Nicomediae adiunctam esse legit?

Nec minus quae in SC, quam quae in MH et MS leguntur recta sunt: Antonina, quae Nicaeae vixit, saeculo quarto Nicomediae celebrabatur! Articulus III non. mai. in E relatus desumptus esse potest ex actis²⁾, ex quibus elogium in BW fluxit (cf. p. 31).

Elogium *Floriani* (BW) certe ex actis est sumptus (cf. p. 26). BW denique *In Alexandria XL martyrum*, qui articulus rectius in E *Alexandri et aliorum XL*, de quibus p. 44.

III non. mai. Alexandriae Euthymius diaconus.

Florus³⁾ pleniorē fortasse articulum in MH legit, quam MS habet: *Ἐν Ἀλεξανδροῖα Εὐθύμιος*. Non solum, ut omnes MH codices, hunc martyrem diaconum dicit, sed *in carcere quiescentis* adiungit. De quo elogio, quod ex MH sumptum esse minime constat, cf. XI kal. mai. et VI non. mai.

Thessalonicensibus quoque (*Herenei, Peregrini, Herene*) Florus breve „martyrium” addit: *ignibus combustorum*, quod elogium Quentin ex MH depromptum esse putat.⁴⁾ Certis argumentis probari non potest: in MNH inventum non est. Peregrinus ad aliam turbam pertinet; nominibus *Herenei* et *Herene* Irene indicatur, quam Apr. 5 in MN et MNH memoratam esse suspicor. Usitato errore III non. mai. eius memoria iterata est. De episcopo Antiocheno, cf. p. 9.

II non. mai. De Matthaeo ap. p. 65. De Iohanne ap. p. 61.

Non. mai. Nicomediae Flavius episcopus, Augustinus, Marcellinus, Macrobius, Eutychius, tres fratres.

Nicomedenses in MS referuntur *Φλάβιος καὶ ἔτεροι μάρτυρες δ'*; in MH Marcellinus sqq. in voce *et alibi* leguntur. De Flavio p. 8; de Acacio (E) VI id. mai.; de Georgio VIII kal. mai.

VIII id. mai. De Acacio VI id. mai.; de Victore et Corona II id. mai.

¹⁾ Rich. *in Nicea*.

²⁾ AS 1 Mart I, p. 26 sqq. Quibus in actis Antonina Nicaensis dicitur.

³⁾ Quentin, p. 331 sq.

⁴⁾ Quentin, p. 332.

VII id. mai. <Constantinopoli Timotheus>.

De martyribus Axiopolitanis VI id. mai; de Aphrodisio III kal. mai; de Persis VI id. mart. Omnes codices praeterea *In Constantinopoli Timothei*. Lipsius¹⁾ de hac notatione: „Als Tag der Translation (sc. Timothei apostoli a° 356) nennen die lateinischen Martyrologien (Hieronymianum, Beda, Ado, Usuard u. A.) den 9 Mai.“ Quae recta non videntur. MH et Florus Constantinopolitanum martyrem nomine Timotheum nullo titulo adiecto memorant. Ado autem eo nomine apostolum indicari temere arbitratur: Bedam et Florum secutus IX kal. febr.²⁾ diem natalem huius apostoli memorat; VII id. mai nullo quod sciam auctore reliquias eius Constantinopolim translatas esse scribit. Graeci Iul. 1³⁾ vel Iun. 24⁴⁾ Timotheum translatum esse dicunt. Quod si non apostolus indicatur, qui Timotheus est? SC Mai. 9 ῥοδισμός τοῦ ἁγίου Τιμοθέου τοῦ πατριάρχου. Delahaye adnotat⁵⁾: „Timotheus patriarcha Alexandrinus, ni fallor, qui obiit anno 385 teste Socrate“ (HE V, 12). Mirum est autem Alexandrini huius episcopi articulum ex SC depromptum in MH legi! Cur Constantinopoli ad eius honorem rosarum festum ageretur non liquet. Timotheum episcopum Constantinopolitanum⁶⁾ significatum esse non probabile est (Cf. p. 36, 70).

VI id. mai. Nicomediae Acacius martyr (miles?).

In MS Ἐν Νικομηδείᾳ Ἀκάκιος μάρτυρ et Mai 11 Ἐν Κωνσταντινουπόλει Μάξιμος. Qui martyres in MH leguntur:

non. mai. In Constantinopoli Achaici.

VIII id. mai Constantinopoli Agati militis, Maximi presb., Anthosi (BW Anthus) diaconi, Arestini, . . .

VI id. mai. <In Africa> . . . Moeci . . . Maximae . . . Acaici . . . Constantiae . . . Maximi.

VII id. iun. In Begantium (B) (Bega recium W) quae est Constantinopoli (BW) (In Africa E) . . . Accadi (Actraci B) (Cachaci W), Mochi.

XVII kal. iul. In Constantinopoli sanct. Muci . . .

V non. iul. In Constantinopoli . . . Acaci . . .

SC eos Mai 7, Iul. 21, (Acacium) Mai 11 (Mocium) memorat. Acacius

1) o. l. II, 2, p. 392.

2) Quentin, p. 332.

3) Chronicon Paschale, ed. Bonn, p. 542.

4) Theodorus Lector, HE II, 61 ed. Valesius, Mainz 1679, p. 567.

5) SC, c. 1011.

6) A° 511—518, Krumbacher, Gesch. der Byzantinischen Litteratur², p. 1148—1150. —

genere Cappadox, ἀριθμοῦ τῶν Μαρτυσίων¹⁾ Maximiano regnante, cum se Christianum professus esset, a praefecto Firmo deprehensus, Constantinopolim ductus, Falcilliani iussu securi percussus est. Mocius Diocletiana persecutione Amphipoli presbyter fuit; pro fide deprehensus et vehementer cruciatus, primo Perinthum, deinde Byzantium ductus, ut Acacius securi percussus est. Mocius ille, quem SC et acta²⁾ habent, sine dubio idem est qui martyr, quem MS Maximum, MH modo Maximum, modo Mocium dicit. Alius fons interpreti Romano praeter MNH fuisse videtur. Si minus, quo modo multi variique articuli in MH relati, ex uno fonte deprompti sint, non liquet³⁾ Adnotatio VI id. mai. memorata, ex MNH fluxit. Minime patet legeritne librarius, qui Acacii articulum transtulerit in MH, eum in voce *In Nicomedia* (ut MS habet) an *in Constantinopoli*. Fieri potest, ut mendum sit in MS. An *Acacius* saeculo IIII Nicomediae celebratus est et librarius ex adnotationibus ex alio fonte sumptis, eum Constantinopolitanum fuisse repperit? Cod. Rich. enim VIII *id. mai. Et in Nicomedia Maximi presb.* et VII *id. iun.* in voce *in Nicomedia* cum alios tum *Acacium* in E invenies. Victricius⁴⁾ refert „Curat Nazarius Mediolani, Mutius, Alexander, Datysus, Chindeus larga virtute gratiam salutis infundunt.” Migne in adnotationibus Mocium Constantinopolitanum esse putat. Chindeus fortasse Axiopolitanus, quem infra tracturus sum. De Axiopolitanis iuvenimus in MS Mart. 10 *Κύριλλος καὶ Κίνδος*; Mai. 12 *Ἐν Ἀξιουπόλει Κύριλλος καὶ ἕτεροι μάρτυρες ζ'.* In MH.

VII *id. mart.* <In Africa> *Cyrilli Cede cesis, Cendei.*

V *id. mart.* *Quirilli Cendei.*

VI *kal. mai.* *In Axiopoli nat. Cirilli, <Antiochiae> Vindei.*

VII *id. mai.* *In Axiopoli Quirilli, Gindei, Zenonis.*

VI *id. mai.* *Axiopoli Cyrilli, Cendis, Dioni Cripionis, Zenonis.*

Satis constat eosdem martyres saepius legi. Ex articulis, qui VI kal. mai, VII, VI id. mai in MH leguntur⁵⁾, constat Cyrillum Cendeumque, qui Mart. 10 in MS memorentur, licet neque in MH VII et VI id. mart. urbi adiungantur, Axiopolitanos fuisse. Qua in urbe Mart. 10 celebrati

1) Stipendium forte fecit in cohorte Mattiacorum .I aut II. Cohors Martesiorum ignota est. Cf. quae Cichorius dicit in voce „Cohors” in Pauly-Wissowa, Realencycl IV, c. 231 sqq. Qui de cohorte altera „Alle Zeugnisse” inquit, „die wir von dieser Cohorte besitzen, weisen nach der Provinz Moesia inferior.”

2) BHL 6023, AS, Mai II, p. 622 sqq.

3) VII id. iun. quidem articulus ab Mai 7 iteratus est.

4) Liber de laude sanctorum, PL, XX, col. 453.

5) Si MS recte numerum indicat, omnes in MH non redeunt. Forte legendus est numerus β'.

sint, nescimus. Indicia nonnulla Cyrilli celebrati Delahaye repperisse opinatur¹⁾. De Afrodasio cf. III id. mai. De Iob propheta, p. 69.

V id. mai. Constantinopoli Maximus <presbyter>; <Sirmii Montanus>.

Articulus Montani VII kal. apr. memoratus V id. mai. usitato errore iteratus esse non videtur. Iteratus est martyr Sirmiensis, qui V id. apr. in MS et MH legitur: *In Asia nat. sanct Demetri, Attici, Tadhei et alibi dep. Nepotiani*. Nepotianus fuit presbyter Altinensis saec. V martyrium passus. Hieronymus in eum laudationem habuit²⁾. Satis constat *Attici Tadhei* depravata verba esse *in Altino* vel *Altini*.

III id. mai. Axiopoli Cyrillus, Cindeus, Zeno

De quibus VI id. mai; de Aphrodisio III id. mai.

III id. mai. Praeter Serapionem episcopum Antiochenum (de quo p. 9) MS Mai. 14 nullo loco adiecto *Ἀφροδίσιον* memorat, quem III et III id. mai. nomine urbis carentem in MH invenimus: III id. mai. In Alexandria *Aprodisi*, Agrippae, Sabini, Grisi, (Gripfi BW) *Lucinillae* (*Luci* BW), [Cyrilli BW], *Oritulae* (*Credulae* BW), cum aliis III (II BW). Paucis versibus infra *In vicia Daveti Saturnini*, Alexandri, Agrippae, Aeris, Cirillae, Sabini, *Credolae*, Maximi, Gagi. Apertum est eundem articulum bis legi, non apertum, utrum Aphrodisius³⁾ an martyres, quorum nomina litteris deductis indicata sunt, Alexandriae attribuenda sint, an nomen illius urbis depravatum nomen martyris sit. Quod ad Aphrodisium attinet, mea opinione martyr Tarsensis est, cuius memoria III kal. mai. VII, VI id. mai. in MH legitur. Hoc loco quaeritur sintne illi tres articuli ex eodem fonte ac qui III et III id. mai. legantur. Ex eodem fonte illi non sumpti esse videntur neque in MNH nomen urbis indicatum esse. Verba *in Alexandria* recta non sunt; III id. mai. in articulo confuso *Afrodisi Alexandri* iam leguntur, II id. mai. denuo *Alexandri* memoratur. De Taracho cett. cf. non. apr.

II id. mai. <Tarsi in Cilicia> Aphrodisius. Dinogetiae Alexander.

De Victore et Stephana invenimus in MH

III id. ian. <In Africa> . . . [Victoris BW] *Stefani* (*Stephanae* BW) et aliorum XII.

X kal. mart. et alibi *Victoris*, *Chronanae* (et aliorum X EW).

Kal. apr. In Aegypto [p. s. W] *Victoris*, *Stephanae*.

1) Les orig. p. 287.

2) Hieronymi, ep. 60, PL, XX, c. 589 sqq.

3) Ita Achelis, Die Mart, p. 47.

VIII kal. mai. <In Africa> . . . Victori . . . In Alexandria Coronae.

VIII id. mai. In Aegypto Victoris, Stefanae.

II id. mai. In Siria Victoris [militis BW] et Coronae [qui simul passi sunt. BW].

Exstant acta latina et graeca ¹⁾, quae narrant militem nomine Victorem alteriusque militis uxorem, cui nomen Stephana (latine Corona), Antonini temporibus (anno fere 177) a duce Sebastiano fidei Christianae causa crudeliter necatos esse. Quod ad urbem attinet, in qua haec facta sunt, acta variant. Graeca adnotant: Damasci in Italia (sic!); latina: Alexandriae ²⁾ aut Comae ³⁾ in Aegypto ⁴⁾ aut in Syria ⁵⁾; denique acta latinis simillima sunt, quae referunt hos martyres Siculos fuisse. Graeca eos Nov. 11, latina VIII kal. mai. obiisse inducunt. Acta, cum de loco magnopere discrepent ipsaque fabulosiora sint, martyrum nomina commenticia videantur, de cultu eorum „altero saeculo iam coronatorum” nusquam mentio fiat, neque eorum memoria in antiquissimis fastis legatur, putandum est hagiographos recentiores passionem fabricatos esse. De diebus, quibus in MH memorati sunt, haecce. Articulus IX kal. mai. relatus VIII id. mai. et X kal. mart. iteratus est. Alter articulus II id. mai. ex actis MH insertus III id. ian. iterum legitur ⁶⁾. Librarius aliquis duobus Victoribus laterculo kal. apr. memoratis tertium Victorem Stephanamque addidit! Qui martyres IX kal. mai. et II id. mai. quoque memorati videntur, quod martyr (Mediolanensis) cui nomen Victor, isdem diebus in martyrologio iam scriptus legebatur.

In Asia Maximi. Neque SC neque acta a Ruinart edita (p. 156 sqq.) qua in urbe Maximus in persecutione a Decio concitata lapidibus obrutus sit, indicant. Acta habent eum „oblatum esse Optimo proconsuli apud Asiam”. Vir doctus Ruinart illud „in Asia” suspiciosum ratus, legendum proponit „In Asisia”, quia, inquit, Asia facile pro Asisia scribi potuit.” Quod probabile non puto. Quaeritur hoc loco sitne articulus ex fastis an ex actis sumptus. Cum sumendum non sit, martyrem satis ignotum per totam Asiam celebratum esse, arbitror huius memoriam ex actis MH adiunctam esse.

1) AS, 14 Mai. III, p. 266: PG, XCV, c. 257.

2) BHL 8559; cf. XVI kal. iun.

3) AB, II, p. 291.

4) BHG p. 1237. Iniuria Achelis (Die Mart, p. 142) arbitratur Victorem et Stephanam in Syria celebratos esse. Cuius celebrationis nullum vestigium exstat. *In Syria* mendose scriptum est in actis.

5) BHG, p. 1241.

6) Fieri potest ut is, qui Y exscripsit, *Stephanam* pro Stephano (E) legerit et arbitrato suo Victorem addiderit.

Denique invenitur: *In Africa . . . Denecutiae . . . Alexandri*; id. mai. . . . *et alibi . . . Alexandri Digni, Chottiae*; kal. oct. *In Tomis . . . Denegotiae . . . Alexandri . . . Eutropi, (Coppi BW) Dignae, Gottiae . . . it. Dignae [cotiae it Cotiae Passi Coppi B]*. Manifestum est codicum librariorum pagum Dinogetiam ignorantes hoc nomine martyrem (vel martyres) indicari arbitratos esse. Ex tribus articulis, quos dedimus, Alexandrum unum huic pago attribuendum esse satis apparet. Delahaye docuit Druzíparae saeculo VII magnificam basilicam Alexandro martyri dedicatam fuisse.¹⁾ Fortasse idem est, qui Dinogetiae celebratus est: suspicari tantum possumus. Alexander haud rarum nomen est nec pagi inter se proximi sunt. — Cur articulus II id. mai. (et id. mai.) memoratus kal. oct. iteretur, non liquet. Sitne Alexander kal. oct. una cum aliis celebratus suo in pago an Tomis in finitima urbe incertum est. De CCCCLIII martyribus cf. XVI kal. iul., de Pacumio p. 36.

Id. mai. <Sirmii Timotheus.>

De Timotheo V id. apr. De Alexandro II id. mai. Martyres Lampsaceni in SC hoc ipso die memorantur. Acta²⁾ narrant primum Petrum, cum Veneri ne sacrificaret recusasset, gladio percussus esse; postea Proconsuli „ad Troiadem civitatem eunti” oblatos esse Andream, Paulum, Nicomachum; ex quibus postremum, cum nimium vexaretur, se Christianum esse negasse, duos ceteros cum muliere, cui nomen Dionysia, necatos esse. In fine: Actum apud Lampsacum die Iduum Maiarum, Decio imperatore, Optimo proconsule.” A quibus elogium in SC datum aliquantum dissidet: posteriores Athenis martyrium passi sunt, mulieri nomen Christina est. Quae in MH leguntur, cum actis (ex quibus desumpta³⁾ videntur) congruunt. MH et SC non ex eodem fonte hauserunt.

XVII kal. iun. <Gortynae Vincentius.>

Initium laterculi *In Isuaria Aquilini, Victurini*. [*quorum gesta habentur B*] Achelis *In Isauria* legere vult, quamquam addit: „Der Name der Landschaft is nicht völlig zweifellos, da MHB In Es auria, E In Isuaria, W in Caesarea lesen.” Vir doctus mea opinione non recte iudicat. MS Mai. 18 *Ἐν Βυθννία Ἡράκλειος καὶ Παῦλος* memorat; SC Mai. 15 (nonnulli codices Mai. 14, 16, 17, 18, Mart. 31) memoriam *Ἡρακλείου, Παυλίνου καὶ Βενεδίμου* habet. In MH leguntur:

1) Les orig., p. 279.

2) Ruinart, p. 158.

3) Codex R³ *passio sanctorum Petri*, cett. Florus (ex MHB) „Lamosacum *passio sanctorum*”. De verbo q. e. passio cf. p. 19.

id. mai.	XVII kal. iun. (initio lat.)	XVII kal. iun. (in fine)	XVI kal. iun.
<i>Victoris</i> . . .	—	—	—
<i>Ianuari</i>	<i>In Isuaria</i>	—	—
—	<i>Aquilini</i>	—	—
—	<i>Victorini</i>	—	—
—	<i>etalibi</i>	Nideruni	Inveduno
Heroli	Heradi	Herceli	Eracli
Pauli	Paulini	Pauli it Pauli	Pauli
Minervi	Menserini	Meneri	Mineri
<i>Aquilini</i>		<i>Aquilini</i>	<i>Aquilini</i>
Heradi		Minorgi	<i>Victoris.</i>

VII kal. iun. . . . Eracli, Paulini, Mundini

. . . Heracli, Paulini, Meridie.

Satis constat eum, qui MNH martyrologio latino inseruerit, in MNH tres martyres legisse, eosdem, quos SC memorat. Non constat sitne *Nideruni*, (*Inveduno*, *Niveduno*) depravatum ἐν Βιθυνία, an ea verba ipsa in MS perperam scripta pro nomine Βενέδιμου. Cum MH (ex MNH) et SC congruant, puto MS falsam lectionem habere.¹⁾ *In Isuaria* depravatum nomen *Ianuari* est, quem martyrem Afrum existimo. In B librarius *quorum gesta habentur* ignotis martyribus Victori, Ianuario . . . ad arbitrium adiunxit. Quae verba ad Lampsacenos proximo die memoratos fortasse pertinent. De Mengeno, cett. XVIII kal. iul. De Vincentio VIII kal. iun.

XVI kal. iun. <Alexandriae Victor, Basilia.>

In E martyres Alexandrini leguntur: *Adrionis, victoris et basilae*. Patet *Adrionis* ex posteriore nominis *Alexandriae* parte ortum esse. „Ceteri” martyres qui sint, incertum. Fieri potest, ut *Victor et Corona* (cf. II id. mai.) iterum memorentur. An idem leguntur qui Cassius et Victor proximo die in voce *etalibi* memorati? Memoria utique suspiciosa! De Heraclio *et Niveduno* cf. XVII kal. iun. Cod. Rich solus *In Achaia Callisti, Vincenti, Felicis*, qui articulus ab XVI kal. mai. repetitus est.

XV kal. mai. <In Bithynia?> Heraclius, Paulus, Benedimus.

De quibus XVII kal. iun. egimus. Quod ad Alexandrinos pertinet, qui in vocibus *In Alexandria* et in *Constantinopoli* leguntur, V id. febr. diximus eorum nomina multis diebus ex actis sumpta in MH memorari.

¹⁾ De urbe Novioduno mea opinione non cogitandum est. Quae SC habet (ἐν Ἀθήναις) in MNH certe non inventa sunt. Ἐν Ἀθήναις depravata ἐν Βιθυνία esse possunt.

XV kal. iun. articulus ex MNH depromptus est (MS Mai. 19 *Σεραπίων μάρτυρ καὶ ἕτεροι μάρτυρες ιβ'.*) In Syriaco Mai. 19 praeterea legitur *Ἐν Κωνσταντινουπόλει Ἡσυχίος καὶ ἕτεροι μάρτυρες.* Martyres „alii”, qui in voce *in Constantinopoli* in MH praeter Hesychium memorari videntur, Constantinopolitani non sunt. Quia Chronicon Paschale a° 330 (V id. mai., quo die MS *Μάξιμον* habet) refert Constantinum Imperatorem Byzantio nomen Constantinopolin dedisse utque quotannis V id. mai. dies eius urbis natalis celebraretur, decrevisse ¹⁾ et a° 332 in eodem libro legitur ²⁾ *ἤρξατο ἀναλίσκεσθαι τοῖς πολίταις Κωνσταντινουπόλεως ὁ ἄγιος ἀπὸ τῆς Μάριον* (quo die *Ἡσυχίος* in MS legitur) — vir doctus Erbes ³⁾ dies „martyrum” (Maximi et Hesychii) hisce diebus institutos eorumque nomina commenticia esse suspicatur. Contra quae dico martyrem, cui nomen Maximus, saepius Mocium appellari (cf. VI id. mai.); mirum porro esse Constantinopolitanos latinum nomen martyris finxisse cuius festum suae urbis diem natalem ornaret; Maximum quidem die urbis natali celebrari sed minime constare diem, quo panis distribui coeptus sit, quotannis celebratum esse.

Dioscorus, lectoris filius, Cynopoli natus anno fere 305 fidei Christianae causa martyrium passus est. Sic acta a Quentin edita. ⁴⁾ Graeci fasti eum Oct. 13 memorant. MH XV kal. iun. *In Aegypto [in Anacipoli BW] Dioscori lectoris* [qui multa passus est BW]; XV kal. iul. *in Alexandria Dioscori et Marini martyris*; XV kal. ian. *et alibi Dioscori*; XIII kal. sept. (XIII B) *in Alexandria Dioscori*. Primus articulus ex actis sumptus est, licet is qui MH inseruit ea male legerit, nisi vero ei recensio alia fuit ⁶⁾: Dioscori *pater* in actis lector dicitur. Postrema adnotatio in MS legitur: *Διοσκοροῖδης προεσβύτερος.* Eusebius narrat in Valeriana persecutione cum alios presbyteros tum Dioscorum *ἐν δὲ τῇ πόλει κατα-*

¹⁾ PG, XCII, c. 709.

²⁾ o. l., c. 712.

³⁾ Das Syrische Martyrologium, Zeitschrift für Kirchengesch. XXV, (1904), p. 369, sqq.

⁴⁾ AB XXIV, p. 321. Que loco passus sit, non dicitur.

⁵⁾ J. Rendel Harris, *The Dioscori in the Christian Legends* (London 1903) ex illis diebus collegit nomine huius „martyris” cum eius festum iisdem fere diebus quibus Dioscororum celebraretur, Dioscoros antiquos significari. Praeter illos Florum et Laurum, Thomam, qui dicitur Didymus, Gervasum et Protasium, Speusippum (Eleusippum, Meleusippum) et Neonillam, Castulum et Polyeuctum, Marcum et Marcellianum Dioscoros „Christianos” putat. Quae Delahaye (AB XXIII, p. 427, sqq.) satis refutavit.

⁶⁾ Elogium, quod Florus habet (Quentin, p. 333) cem actis non congruit. Quod elogium in MH Florum legisse Quentin putat. Codex O addit *ad cuius memoriam multae curationes fiunt.*

δεδυνκέναὶ ἀφανῶς ἐπισκεπτόμενοι τοὺς ἀδελφούς.¹⁾ Qui igitur alius est ac lectoris filius in actis memoratus. Licet dies simillimi sint, articulus XV kal. iul. relatus non ab „hodierno” iteratus esse²⁾ videtur. Unde vox *in Alexandria*, unde nomen socii *Marini*? Adspice, quaeso iterum postremam adnotationem. B XII kal. sept. (E XI kal.) *In Antiochia Marini*. (MS Aug. 24 nulla re adiecta *Μάρωνος*). Mea sententia duo illi martyres (Dioscorus et Marinus) XV kal. iul. in voce *in Alexandria* memorantur.³⁾ Cuius articulus pars XIII kal. iul. (Iun. 18) iteratur: *In Alexandria Marinae (Marini B, Mariae W)*. De Petro cf. XV kal. mai.

**XIII kal. iun. Constantinopoli Hesychius (. . . ?).
Alexandriae Sarapion presb., Potamon presb., Hortasius presb., Panther, Dioscorus, Paulus, Peteconidas, Hermas (Ammonius?) lector, Dativus, Marcianus, Maxima (?),
Lucianus, Eugenia, Irenaeus diaconus.**

De quibus XV kal. iun.; Irenaeus autem XV kal. iun. non memoratur; Arenius Alexandrinus (XIII kal. iun.) ad Alexandrinos XV kal. iun. memoratus pertinere videtur. (Cf. VIII id. apr.) Cur ab ceteris seiunctus XIII kal. iun. solus legatur, non liquet. (Cf. III kal. iul.). De Polyucto p. 45.

XIII kal. iun. Caesareae Timotheus et Caesareae in Capp. Polyuctus.

De quibus p. 45.

XII kal. iun. De Polyucto et Timotheo cf. p. 45. MS *Ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἡγορέτιος μάρτυρ*, qui in MH non redit. De apostolo Matthaео cf. p. 65.

XI kal. iun. De Polyucto p. 45.

X kal. iun. Lystrae Ioilus.

MS *Ἐν Ἀύστροις Ζώϊλος μάρτυρ, ἐν τῇ πόλει Νίσιβι . . . τῇ πόλει Πολύκαρπος*. MH VIII kal. iun. *In Istria nat. Zoili, Servuli, . . . In Siria Zoeli, Saturi, Timini, Saturninae, Servili, Felicis, Silvani, Fortuni, it Zoili, Siriae . . . non. iun. In Istria Zoili, Saturi, Timini, Saturninae, cett.* Ut pars laterculi VII id. ian. relati XVI kal. febr., sic articulus supra memoratus ignota de causa non. iun. iteratur. Zoilus solus Lystrae attribuendus est; quae nomina in MH sequuntur martyrum Afrorum sunt: in initio laterculi memoratur *In Africa nat. Saturnini et aliorum VI*, qui septem martyres in voce *in Istria* leguntur. De Nisibenis cf. p. 32.

¹⁾ HE VII, 11, 24, Schwartz, p. 662.

²⁾ Haec Delahaye, Les orig. p. 252.

³⁾ Iul. 17 in SC Marina memoratur ex urbe Antiochia in Pisidia sita, (acta Iul. 17, BHG 1165—1169) quae ab illo diversa videtur. Attamen eius vitam cum illius martyris martyrio cohaerere veri simile est.

Qua in urbe Polycarpus X kal. iun. celebratus sit non patet; cuius martyris ne nomen quidem in MH redit.

VIII kal. iun. De Zoilo X kal. iun.

VIII kal. iun. <Noviodum Flavianus.>

Extrictum et confusum laterculum! Cuius laterculi, quae ad hanc disputationem pertinent, inspicias quaeso: *Vincenti et Scantae, Policrati et aliorum IIII, Gortuna civit. (coronati BW) Vincenti, Iohannis. In Oriente Eusebi . . . in civit (in cymeterio BW) Praetextata. Dorostori. In Africa Fabiani, Septini. Effeso Iohannis apost.* MS adnotat 'Ev Νοβιοδούνω τῆ πόλει Φλαβιανὸς μάρτυρ. Quem martyrem in MH redire inter Afros Duchesne arbitratur.¹⁾ Articulus Africanus autem ad litteram ex MK sumptus est, qua re ille Fabianus haudquaquam idem est, qui martyr in MS memoratus, nisi vero Novioduni et in Africa uno die eundem ignotum martyrem celebratum esse putamus. Martyr Noviodunensis in MH legi non videtur.²⁾ De Pasistrate et Valentione VII kal. ian. nonnulla diximus. *Scantae* est depravatam nomen *Sentianae*, quam martyrem initium laterculi affert. Non solum articulus, qui est de Heraclio cum suis, (cf. XVII kal. iun.) sed etiam *In Gortyna Vincenti* ab XVII kal. iun. iteratur. Ignotus, quod sciam, martyr est; cum de urbe Gortyna in MH non amplius sermo sit, fons incertus est.

De Eusebio cf. p. 19. De Iohanne apostolo p. 61.

VII kal. iun. Alexandriae Aquila presbyter, Eukairius (vel Euangelus?) et alii XIII.

De Heraclio cf. XVII kal. iun. Florus Quadratum episcopum Atheniensem inter Afros (*Anteon, Quadrati*) latere arbitratur. (Cf. XII kal. febr.) Alexandrinos *Εὐκαίριον πρεσβύτερον καὶ ἑτέρουσ μάρτυρας ιζ'*, quorum memoria Mai. 26 in MS occurrit, VI kal. iun. in MH invenimus *In Alexandria Acculi (Aquilini WB) presb. Euangeli et aliorum XIII.* Nihil est, quod cum viro docto Achelis putemus cum *Aquilini* tum *Euangeli* depravatam nomen *Εὐκαίριον* esse. Quaeritur utrum MS an MH verum nomen habeat. Vir Romanus ex multis martyribus, quorum nomina in MNH legisse videtur, duos nominatim MH adscripsit. Non certum sitne numerus XIII an XVI addendus.

VI kal. iun. *In Thomis Heliae, Luciani, Zotici, Marcialis . . .*

Iam VII kal. ian. nonnulla de his diximus. Ex recentioribus graecis synaxariis apparet Heliam, Lucianum, Zoticum Tomitas fuisse, Licini

¹⁾ Prolegg., p. [LVII].

²⁾ Fieri potest, ut illud nomen nomine Africani martyris oppressum articulusque ex MNH in MH translatus sit.

temporibus hac in urbe martyrium passos¹⁾. Praeclarus martyr Durostensis una cum illis VI kal. iun. Tomis celebratus esse videtur; VI id. iun. tres illi Tomitani una cum Marciano in voce *in Durostoro* memorantur. An errore librarii VI kal. et VI id. iun. idem martyres in MH leguntur?

Mirum est in MH sex martyres, quos SC uno die martyrium passos esse dicit alios alio die legi: Macrobius, Gordianus, Valerius XVII kal. oct., Helicam, Zoticum, Lucianum VI kal. iun.: recentiores hagiographi omnium martyria fortasse in unum coniunxerunt. Veri similis puto articulum Iun. 5 in MS relatum VI kal. iun. in MH inveni. De Alexandrinis VII kal. iun.

V kal. iun. Caesareae in Cappadocia Cyrillus martyr.

In MS idem articulus, qui in MH III kal. iun. bis legitur. Acta supersunt²⁾, quae narrant Cyrillum puerum in ignem iniectum esse; III non. nov. denuo memorari videtur. In initio laterculi in BW *In Pamphilia, Zetoli, Nonni, Primi, Aurosi*, quos martyres E Afros dicit, quod propius vero credo.

III kal. iun. Antiochiae Hesychius, <Paulinus.>

MS Antiochenum Hesychium memorat, cuius memoria vario modo, variisque diebus in MH occurrit:

III kal. iun. *Antiochiae Scimodi, Bassi, Venusti.*

III kal. iun. *Antiochiae sci (Sici BW), Palatini, [qui multa tormenta passus est WB].*

II kal. iun. *Antiochiae Paulini, Istici (Isici BW).*

XV kal. mart. *Antiochiae . . . Romani, Zosimi, Barali, Zocii presb. . .*

XIII kal. dec. *In Antiochia Romani [monachi BW] Barili et Isici mart.*

MS Nov. 18 *Ἐν Ἀντιοχείᾳ Ῥωμανός.*

Articuli XV kal. mart. et XIII kal. dec. in MH memorati quamquam quodammodo cum MS consentiunt, ex actis sumpti esse videntur. Eusebius narrat³⁾ quo die Alphaeus et Zachaeus Caesareae obierint (XV kal. dec.) Antiochiae Romanum diaconum et exorcistam *τῆς ἐν Καισαρείᾳ παροικίας* martyrium passum esse. Ruinart martyrium sancti Romani „ex Eusebio Caesariensi lib. 2 de Resurrectione etc” edidit⁴⁾: martyrem cruciatu affectum „igni traditum” accendi non potuisse; quin etiam lingua praecisa rectius quam prius locutum esse. De quo miraculo

1) Cf. SC Sept. 13 et huius disputationis XVII kal. oct.

2) Ruinart, p. 246, sq.

3) De mart. Palaest. § 2, Schwartz, p. 909.

4) p. 358 sqq.

Chysostomus orationes¹⁾ habuit. In oratione XLVIII et in actis, quae Mombritius edidit²⁾ praeterea mentio fit de puero, qui cum libere in unum Deum credendum esse dixisset, decollatus sit.³⁾ Qui puer in ML⁴⁾ et in Hymno X Prudentii, qui inscribitur *Περὶ στέφανων* libri⁵⁾, Barulas vocatur. (Cf. XVIII kal. sept.) In actis plerisque cum passione Romani coniunctum est martyrium Hesychii militis⁶⁾, quem Maximianus imperator, (ML: eodem die⁷⁾ eodemque loco quo Romanus martyrium passus est) cum idolis sacrificare nolle, in flumen praecipitari iusserit. Eundem Hesychium indicari quem MS Mai. 29 memorat veri simile est. Patet in MH et ML Romanum et Hesychium uno die memorari, quia eorum passiones uno in libro legerentur. Articuli XV kal. mart. et XIII kal. dec. memorati ex recentioribus actis latinis, in quibus puero nomen Barulas datum est et Romanus ipse monachus vocatur sumpti sunt. Hesychius, cum in actis miles sit, cur XV kal. mart. presbyter dicatur, non intellego. Quod ad adnotationes III, III, II kal. iun. factas pertinet, diiudicari non facile est, qui Paulinus vel Palatinus fuerit. MS enim Hesychium solum habet. Aug. 25 et 26 in Syriaco *Παυλίῳ* et *Ἡούχιῳ* nullo loco adiecto leguntur. Neuter iis diebus in MH translatus est. Translati sunt autem *Μαῳῖνος* (Aug. 24) et *Σαβᾶς προσβύτερος καὶ Ἀλέξανδρος* (Aug. 27), quos ex articulis in MH relatis Antiochiae attribuendos esse apparet. Multa igitur habemus, quod et Paulinum et Hesychium Antiochenos ducamus. Fortasse idem martyres sunt, qui hisce diebus bis terve in MH leguntur. Quae verba in BW Paulino adiuncta sunt aptissime in martyrium Romani quadrant. De Paulino neque in actis ullis neque in SC sermo est; neque quod sciam ad Hesychium pertinent. Videntur postea in exemplari Y laterculo adiuncta esse. De Cyrillo V kal. iun.; de Pollione V kal. mai.

III kal. iun. De Palatino III kal. iun. De Eusebio in MS memorato XI kal. iul. Mendose in BW pro verbo q. e. *Numidia: in Nicomedia* scripta sunt.

II kal. iun. De Paulino et Hesychio III kal. iun.

1) Opera omnia I, Orat 43 et 48; PG L, c. 605 et 611 sqq.

2) II, p. 446 sqq.

3) SC Nov. 18 Romani Antiocheni elogium in quo eadem leguntur habet. Praeterea Romani Palaestini vitam narrat, magnam partem prioris vitae similem. Delahaye iam putavit SC ex uno Romano duos effecisse.

4) Quentin, p. 183.

5) Ruinart, p. 360.

6) In SC Hesychius Mart. 4 et Mai. 10 memoratur.

7) Quentin, p. 184.

8) *Bassi Modi (Passimoni)* in voce *in Africa* iam legitur.

Kal. iun. Antiochiae Octavianus et Zosimus.

Adnotatio in MS Ἐν Ἀντιοχείᾳ Ὀκτάβιος καὶ Ζώσιμος diffusa in MH redit: *In Thessalonica Octavi. In Antiochia Zosimi et Theclae [virg.]. In Thessalonica Luciae.*

Luceiae virginis praeclarae memoria in margine adscripta perperam Thessalonicae attributa est. In actis legimus Luceiam virginem Dei, „sanctimoniam urbicam“, ab Aceia rege barbarorum raptam esse. Rex eam Christianam esse non prohibet; omnes hostes pervincit, precibus eius defensus. Omnibus in rebus verba Luceiae apud regem multum valent. Denique cum ea Romam redit, qua in urbe uterque martyrio afficitur. Iis martyrio coronatis viginti alii ex quibus XII (Antonius Herenaeus, Theodorus, Dionysius, Apollonius, Apamius, Pronicus, Coteus (vel Coterius), Orion, Papicius (vel Papirius), Satyrus, Victor) nominatim dicuntur, occisi sunt. Memoria eorum martyrum saepenumero in MH legitur:

Kal. iun. Thessalonicae Luciae virg. et Auceiae regis [barbarorum BW].

VIII kal. iul. Romae . . . Luciae [regis B] cum aliis XXII (LXII B).

VII kal. iul. [Thessalonicae et in eadem civitate W] Luceiae virg. [et Aceiae regis W].

VI kal. iul. [Romae . . . et in eadem civ. B] in Alexandria (EW) Luceiae virg. [et Aceiae regis de barbaris B].

III kal. iul.¹⁾ In africa . . . Theonis, [Arionis BW], Pleosi, Asthefi, Appollonis, Ampamompis, Offici, Meloi, Dionisi. In Alexandria civ, Sereni, Tradori, Postaphi, Tyri, Dosinae, Pasimi, Sici (Phesici BW) Distae . . . Orionis.

Kal. iul. Romae . . . nat. sanct. Luciae virg. et Auceiae cum aliis VIII it. Romae Isici . . . Antonini, Sereni, Victoris, Zeli cum aliis VIII Orionis [cum aliis VIII BW]. In Antiochia (i. e. Anthoni), Severiani, Zoeli, Epasi.

XV et XIII kal. ian. Romae Luceiae vig. et Auceiae regis [simul et W] Antoni, Erenei, Theodori, Papeusi, Apolloniae, Apamiae, Paeni, Circussei, Arionis, Papisci, Saturi, Victoris cum aliis VIII.

In actis, quibus ii, qui Synaxaria composuerunt, usi sunt, socii nominantur Ἀντωνῖνος, (Λυκίας Νέας), Σηρῶνος, Διόδωρος, (Δίων), Ἀπολλώνιος, Ἀπαμος, Παπιανός, Κοτύιος, Ὀρωνός, Πάπικος, Σάτυρος, Βίκτωρ καὶ ἕτεροι ἐγγέα. Qui martyres in SC in Campania martyrium passi esse narrantur. Ecce III id. febr. tres ex illis (qui XV kal. ian. dicuntur *Apamiae, Paeni, Circussei*) hoc modo memorantur: *In Cam-*

¹⁾ Conf. ad illum diem.

pania (in *Apamea* BW) *Poenis et Eupraxi*.¹⁾ Quoniam nonnulla nomina in SC perperam iterantur, id quod neque in MH neque in actis latinis invenimus, martyres in latinis et graecis fastis in Italia vixisse narrantur, puto eorum acta in Occidente scripta esse. Disputatione non opus est totam fabulam parum ad fidem historiae scriptam esse. Non patet utrum nomina sociorum ex MH in acta an ex actis in MH translata sint. Articulus XV kal. ian. relatus ex actis MH inserta videtur²⁾; de ceteris idem suspicor.³⁾ Diebus VIII, VII, VI, IIII kal. iul. adscripti sunt, quia iis diebus martyr altera cui nomen Lucia vel Lucina memoretur. Vitosus articulus VI kal. iul. memoratus fortasse kal. iun. iteratur.⁴⁾

III non. iun. De Caesariensibus vid. p. 41.

III non. iun. De Thoma cf. p. 63.

II non. iun. Novioduni Philippus <... **Zoticus** ...>
<**Gildobae in Thracia Iulius.**> <**In Sicilia Expergentius.**>

Codices habent

VIII id. iun.

In Ninive (Nividuno BW)	In Cilicia	[Neveduno BW]
nat. [Dinoci E]	sc. Expergenti	In Africa
Zotici	Cristae	Itali
Attali	Itali	Zotici
Eutici	Philippi	Camasi
Camasi	Eustici	Philippi
Quirinae *	Rustuli *	Attali.
<i>Iuliae</i>	[Camas E]	
<i>Saturnae</i>	<i>Iuliae</i>	
<i>Galduni</i>	<i>Saturnini</i>	
<i>Ninnitae</i>	<i>Eiagoni</i> (Ieia coni B)	
<i>Furtunionis</i>	<i>Momnae</i>	
etaliorum XXV	<i>Furtuni</i>	
Cyrini ep. *	Criscentiae	
Eburti	In Sabaria civ.	
Rustici ep. *	Rustoli *	
In Sabaria civ. Pannoniae	cum aliis II	
Quirini *		

Apparet nomen *Philippi* in priore martyrum serie omissum esse. Illum ipsum MS in voce In Novioduno memorat; ceteri inter Afros

1) SC Iul. 6.

2) In W legitur *et simul!*

3) Confiteor sociorum nomina ex fastis aliquibus deprompta esse posse: III kal. iul. praeter eos martyres Alexandrini leguntur; multis ex sociis Luceiae Alexandrina nomina sunt.

4) In *Thessalonica* depravatam *Theclae* videtur.

adnumerandi. (cf. prid. non. iul.) Ad Sabariam pertinet Quirinus, qui temporibus Galeri Siscianus episcopus fuit.¹⁾ Fidei causa deprehensus, iussu Maximi „praesidis mola a collo ligatur et in fluvi Sibaris (Savi) undas demergitur.” Illum Siscianum martyrem ex fastis urbis Sabariae in MH transcriptum esse non puto. In codd. legimus post Quirini articulum *Romae [in cymeterio Catacumbas. Via Appia, miliario III B]. Picti, Daciani, Aricii diaconi.* Ad quam adnotationem Urbain²⁾: „Wir zweifeln an der Hergehörigkeit dieser 3, deshalb weil nur B die obige Lokalnotiz giebt, und weil uns über sie noch aus der Legende noch anderen alten Dokumente etwas bekannt wird . . . Immerhin . . . muss B Grund zur Beifügung der Grabstätte gehabt haben.” — Acta Quirini autem narrant: „Facta autem incursione barbarorum in partes Pannoniae populus Christianus de Scarabetensi urbe Romam fugiens, sanctum corpus *Quirini episcopi* et martyris afferentes secum deduxerunt. *Quem Via Appia miliario tertio* sepelierunt in basilica Apostolorum Petri et Pauli ubi aliquando iacuerunt, et ubi S. Sebastianus martyr requiescit *in loco qui dicitur Catacumbas.*” Adnotationem in antiquissimo exemplari inventam esse ex verbo in codice E servato q. e. *Romae* apparet. Pictus cum suis Afri sunt, non sunt Romani.

De Expergentio nihil inveni. *Criscentiae* idem fortasse depravatam nomen est. Videntur enim articuli XIII et XIII kal. mart. memorati cum adnotationibus in initio mensis huius relatis, cohaerere:

XIII kal. mart. . . . nat Iulianae [virginis WS] . . . Cicili Pampili, . . . Seleuci, Perfidi . . . Iuliani.

XIII kal. mart. . . . Criscentiani, Eutici

III non. iun . . . Pamphili, Seleuci, Porfiri.

III non. iun. . . . Sanctae Iulianae virg . . .

II non. iun. . . . In Cilicia Expergenti . . . Eustici . . . Iuliae . . . Criscentiae.

Non. iun. Tomis Marcianus, Helias, Lucianus, Zoticus.

De Marciano cum suis conf. VI kal. iun. De Zoilo X kal. iun.

VIII id. iun. De Philippo ad II non. iun. egimus. MS Iun. 6 (= Iul. 6) Arium presbyterum memorat, qui martyr (?) in MH II non. iul. invenitur. Non modo articulus Iun. 6 in MS memoratus sed omnes articuli ab illo die usque ad Iun. 30 vel potius Iul. 6³⁾ in MH isdem mensis iuli diebus leguntur. Achelis iure arbitratur⁴⁾ „das die Erscheinung nicht

1) AS, 4 Iun, I. p. 383.

2) p. 154.

3) Diebus, qui inter Iun. 30 et Iul. 6. sunt, in MN martyres non memorabantur.

4) Die Mart., p. 34, 35.

anders zu erklären ist, als dass ein Abschreiber des MS aus Versehen vom 5 Iuni zum 6 Iuli übersprang, so die Märtyrer die in seiner Abschrift im Iuli standen in den Iuni setzte und die des Iuni van 6 ab unterschlug". Librarius, cum laterculos mensis iulii transferre vellet, errorum animadvertit et ipse (vel qui postea MS usus est) aliquo ex fonte tres articulos, de quibus infra acturi sumus, mensi iulio, cui nullus superesset, adscripsit. Qua re adductus librarius ita erraverit Achelis non explicat. Iun. 5 autem martyres Tomitani in MS (ex MN) et Iul. 5 in MH (et fortasse in MN) iterum aliqui martyres in voce *Tomis* leguntur. Cum haud ita multi laterculi ab Iun. 5 usque ad Iul. 5 in MN invenirentur, in promptu fuit librarium Tomitanos Iun. 5 memoratos Tomitanos esse quorum memoria Iul. 5 occurrat, putavisse.

VII id. iun. BW Byzantio, quae est Constantinopolis", martyres Paulum, Fortunatum, Macarium, Primosum, Acacium, Mocium attribuit, quos E in voce *in Africa* habet. In codice Rich invenimus *In Africa Pauli, Fortunati; in Bizantio, id est Constantinopoli Macari, Privati, Vasii, Moenecii*. Ex quibus articulus fortasse colligendum est in antiquissimo exemplari Constantinopolitanos martyres Acacium et Mocium in margine additos esse (Cf. VI id. mai). Quod ad Paulum attinet, Florus (VII id. iun.) episcopum Constantinopolitanum huius nominis († 350) memorat. Significeturne in MH non diiudico. Cf. p. 35. De Luciano VI id. iun.

VI id. iun. Caesareae in Palaestina Procopius <exorcista>. Durostori Marcianus <Helias Lucianus, Zoticus>. <Nicomediae Bitus, Primus, Charilampus, Acacius, Nestor>. Nicomediae Eustolius episcopus.

Inextricabilem paene laterculum in MH invenimus: quod MS deest, incommode accidit: (*In Aegypto Marciani*) — *In Caesarea Palaestinae nt Euristis (Cristi BW)* — (*In Dorostoro civ. nat. sancti Marci*) — *In Nicomedia Vitici, Nestoris [Primi B]. Carilampitis, Marcinae [Acaici E]*. — *In Sardinia Salustiani*. — *In Caesarea Capp.* — (*Dorostoli Cresti, (Marciae, Muciani, Helii, Luciani, Zotici)*. — *In Nicomedia Eustoli episcopi*.

VII id. iun. iam legimus *In Caesarea Cappadociae Luciani martyris*. Et VI kal. iun. (*In Thomis Heliae, Luciani, Zotici, Marcialis*) — *In Sardinia Salustiani, Eutropi ep. (Eutrici BW Eutychi Rich)*.

De articulis uncis inclusis VII kal. ian. et VI kal. ian. iam. egimus. Praeter Tomitanos et Sallustianum Eutropius vel Euty chius ab VI kal. iun. VI id. iun. iteratur. *Euristi* (vel *Christi*) qui legitur *in Caesarea Palaestinae* et *Capadociae* martyr Palaestinus nomine Procopius est (cf. p. 44). VII id. iun. legimus *In Caesarea Capp. Luciani mart.* Quem articulum falsum puto. Non patet sitne memoria Luciani, qui VI id. iun. inter Tomitas legitur iterata, an Luciani VII id. ian. memorati. De mar-

tyribus Nicomedensibus hoc tantum admoneo: Bitum Ian. 20 et 25, Primum Ian. 25, Charilampum Apr. 28, Acacium Mai. 10 in MS in eadem voce legi, Nestorem V kal. mart. in MH memorari. De Eustolio cf. p. 8.

V id. iun. Alexandriae Maximus presbyter et Nicaeae Diomedes, . . . ?

De neutro articulo multa dicenda sunt. SC hoc ipso die *ἀθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Ὁρέστου Διομήδους καὶ Ρόδωνος*. Delahaye (col. 1019) hos martyres cum Nicaeensibus in MH memoratis cohaerere recte fortasse arbitratur. Quoniam nihil de iis memorat, nihil proficimus. Martyrum numerus in MH non constat. BW: *Diomedis, Amanti, Matiani, Alexandri, Ianuari*. E Ianuarius, qui VI id. ian. in *Africa* et III id. *Romae* memoratur, non refert. Mucianus VI id. iun. Durostorensis, Amantius et Alexander VIII id. iun. Afri sunt!

III id. iun. Nicomediae Zacharia.

II id. iun. <Tripoli Magdales>.

Codices *In Tripoli Magdaletis* . . . et IX kal. ian. *In Tripoli Luciani*. Significetur urbs in Phoenicia, in Lydia, in Ponto sita, an regio Africana, incertum est. Qui martyres hoc die Diomedii adiunguntur Afri videntur. Delahaye urbem Phoeniciam indicari putat¹⁾. Martyres utique prorsus ignoti sunt; si Delahaye recte iudicet, mirum est martyrem principem huius urbis (Leontium) in MH non inveniri.

Id. iun. De Bartholomaeo cf. p. 65.

XVIII kal. iul. XVII kal. iun. *In civ. Efera (eff. B efeso W) Mengenis, Gaiani, Iovini*. XVIII kal. iul. *In Epheso Miggenis, Galliani, Iuvini*; XVIII kal. iul. *Megetiae, Mingini civit. Barbaria Gagiani, Ioviani, Philippi*. Achelis: die dem Ursprünglichen am nächststen stehende Form ist vielleicht am 17 kal. iul. erhalten. Qui martyres memorentur, qua in civitate celebrati sint, non dicit. SC Nov. 22 elogium martyris, cui nomen Menignus, habet. Fuit fullo Parianus, Decii temporibus martyrio affectus. Praeterea Dacianus, quem MH V kal. ian. et III id. apr. memorat, iterum occurrere videtur. Ex verbo q. e. *diaconi* V kal. ian. *Domiciani*, XVIII kal. iul. *Iovini* factum est. Gaianus XVII kal. iul. una cum Philippo, qui II non. iun., VIII id. iun., III non. iul. in MH *in Novioduno* legitur celebratus est. Dubius sum qua in urbe celebrati sint. *Barbaria* depravatum *Rataria* est, quae urbs in media provincia, cui a Diocletiani temporibus nomen Dacia Ripensis erat, sita est, an *Pario*? Articulus XVII kal. iul. memoratus XVIII kal. iul. et XVII kal. iun. iteratur.

Martyr Laodicensis, cui nomen Artheon ignotus. Estne adscriptus

¹⁾ Les orig., p. 211.

episcopus Laodicensis quem Eusebius (V, 24, 5) dicit? Articulus in codicibus minime constans (E *in frigia laudā artheonis* . . . B *in Frigia civi. laudic Natal Anteonis Afre*; W *In pagina civitate nat. sancti Anteoni afre*; Rich *in frigia civitate Laodicia antonionis*; C *Antigoni*. Omnibus perpensis puto Afram in civ. Augusta in Raetia memorari. Cf. ad XIII kal. ian.

**XVII kal. iul. Durostori Hesychius. <Ratariae> (Parii?)
Menignus, Gaianus diaconus, Philippus.**

De Hesychio VII kal. ian.; de Menigno XVIII kal. iul.; de Mocio VIII id. mai.

XVI kal. iul. Omnes codices: *In Antiochia sc. Cyrici et Iulittae matris eius et aliorum CCCCIII martyrurum*, quam adnotationem ex actis fluxisse arbitror; II id. mai. legimus *Et alibi CCCCIII martyrurum, qui cum sancto Cyrico passi sunt.*; III id. mai. *Romae Aphroditis cum aliis DIII, [quorum nomina deus scit. BW]*. De Cyrico et Iulitta complura acta existunt, multum variantia¹⁾. Continent eadem quae elogium in SC memoratum: matrem cum filio vehementi persecutione Iconio Seleuciam, inde Tarsum profugisse, qua in urbe deprehensi ab Alexandro duce crudeli" decollati sint. „Quoniam", inquit Papebrochius²⁾, „passio C. et I. apocrypha a Gelasio papa censetur in notitia librorum apocryphorum, qui non recipiantur, videtur in notis ad MR existimare Baronius ex istis sumpsisse Latinos plerosque occasionem Antiochiae adscribendi eos, qui ex certioribus actis probantur passi esse Tarsi in Cilicia". Papebrochius nihil nos habere quod Gregorio alia acta ac nobis sint fuisse putemus, ille quidem dixit; sed ego articulos ex aliqua actorum recensione sumptos arbitror. Quibus in actis de CCCCIII martyribus non agitur. Delahaye³⁾ Cyriaci cultum late pervulgatum esse monet; nusquam cum illo Iulittam coniunctam esse. Martyrem igitur nomine Cyricus fuisse satis constat, acta vero quae supersint falsa esse.

XV kal. iul. De Dioscoro et Marino nonnulla diximus XV kal. iun.

XIII kal. iul. De Marino cf. XV kal. iun. Legimus in codicibus

XVI kal. iul. *In Africa <Ciriaci, Valeriae, Marciae, Diogenis, Micae>*.

XV kal. iul. *Romae Cyriaci, Blasti, Diogenis, Nicandri, . . . In Aquileia <Geriae (Cyriae BW) Muscae, Valerianae, Mariae>*.

XIII kal. iul. *In Africa Marciae, Emili, Felicis. Romae Marci, Marcellini, Thomi, Pauli, Cyriaci. Ravennae <Martyrii, Felicis, Emili>, Crispini*.

1) AS, 16 Iun. III, p. 23 sqq; AB, I, p. 194 sqq; AS, 16 Iun. III, p. 25 sqq; BHO 193, 194.

2) AS, 16 Iun. III „Commentarius praevius" p. 15—23.

3) Les orig., p. 197 sq.

XIII kal. iul. alibi [Valeriae BW] <Marcelli>, Vitalis, Ursicini.
 XII kal. iul. <[In Thomis BW] Pauli, Cyriaci, Paulae, Felicianae,
 Thomae, Felicis, Emili>. alibi <Vitalis, Crispini, Martyriae>.

Romani sunt Quirinus, Blastus, Diogenes¹⁾, Marcus, Marcellinus²⁾; Ravennae memorantur Valentinus(a) Ursicinus, (id. dec.) Valentinus, (id. nov.); ibi praeterea Vitalis celebrabatur³⁾. Qui tres martyres XIII kal. iul. leguntur⁴⁾. Reliquos martyres XIII kal. iul. in voce *In Ravenna* „ignotos Ravennates“ Delahaye arbitratur⁵⁾. Quod falsum puto: Afri⁶⁾ sunt.

Nomina uncis fractis inclusa iterata sunt. Quaeritur sitne legendum *Tomis Pauli, Cyriaci* an *Thomae* etc. Si posterius rectum est, *Cyriaci* iteratum nomen Romani martyris videtur. Cum E nusquam in *Tomis* habeat, parum causae est, cur illum articulum in vetustiore martyrologio memoratum esse sumamus.

XIII kal. iul. De Marcellino XIII kal. iul.

XII kal. iul. Cf. XIII kal. iul.

XI kal. iul. MS Eusebium episcopum Palaestinum Mai. 30 memorat. Quem articulum errore aliquo XI kal. iul. in MH legi non puto: MS eum episcopum Palaestinae, MH episcopum historiographum dicit! Apud viros doctos recentiores plus valuit, quod MS habet: putant eum Mai. 30 anni 338 vel 339 obiisse⁷⁾. Attamen articulo syriaco indicari, quo die Eusebius mortuus sit, non constat. Singularem enim formam haec adnotatio refertur: *Μνήμη Εὐσεβίου*⁸⁾ . . . quae adnotatio in MNH inventa fuisse non videtur. Estne fortasse dies XI kal. iul. quo „historiographus“ e vita discesserit? Quoniam quo ex fonte MH hauserit, plane ignoramus, diiudicare quaestiones non audeo.

X kal. iul. Antiochiae in Syria Galaktion et Iulianus; Alexandriae Rufinus.

In initio laterculi legimus: *In Antiochia Syriae Gangali, Iuliani,*

¹⁾ Cf. Acta Marii, cett. AS, 19 Ian. II, p. 216 et Urbain, p. 157 sq.

²⁾ Cf. passio eorum AS, 18 Iun. IV, p. 468 sqq. et Urbain, p. 158.

³⁾ Les orig., p. 367 sq.

⁴⁾ Quorum martyrium cum passione Mediolanensium Gervasi et Protasi coniunctum est, quos martyres in MH XIII kal. iul. memorantur, ut mirum non sit illos martyres hisce diebus memorari.

⁵⁾ Les orig., p. 369.

⁶⁾ Crispinus plus quam decies in MH legitur, semper fere in voce *in Africa*. (VIII kal. nov. *in Gallia*, XII kal. dec. *in Hispania*). *Martyrii* inter Afros tantum invenimus.

⁷⁾ G. Pasquali, Hermes 45, 1910, p. 386. J. B. Lightfoot, apud Smith and Wace II, p. 308–348. E. von Preuschen, Realenc. für Prot. Theol. u. Kirche, V, p. 605 sqq.

⁸⁾ Iul. 15 in MS *μνήμη Ἰακώβου* legitur.

[*Graphi* BW] *et aliorum DCCCLXXVIII (DCCCLXXXVIII B) (DCCXIII W) [qui depositi sunt in baptisterio B] [quorum nomina Deus habet in libro viventium (vitae W) BW]*. Paulo infra in WB *In Britannia Albani martyris cum alio numero DCCCLXXXVIII [positis in catalogo, quorum nomina scripta sunt in libro vitae B]*. Patet elogium per errorem bis legi; nec cui articulo adiciendum sit constat. SC Iun. 22 nomine urbis omissis *Πομπιανῶ, Γαλακτιῶνος, Σατορνίνου καὶ Ιουλιανῆς* memoriam habet, ex quibus duo in MH leguntur. De magno sociorum numero non mentio fit. Iul. 7 in SC Peregrinus, Lucianus, *Pompeius*, Hesychius, *Saturninus*, *Germanus* memorantur, qui temporibus Traiani ex Italia oriundi Dyrrhachii martyrio coronati sunt. Tres ex iis idem videntur, qui Iun. 22 in SC memorantur. Fieri potest ut Hesychius, qui in MH legitur Antiochenus sit, sed vitae in SC relatae valde suspectae sunt. Albanus in actis a Bollandianis editis¹⁾ cum „MDLXXXVIII” aut „DCIC sociis” coronatus esse narratur. De Rufino nihil inveni. De apostolo p. 66.

VIII kal. iul. Nicomediae Avitus, Cinnamius lector <et alii>

Codices *et aliorum Arionis, Emeriti, Alici, Capitonis et aliorum LXXVIII*. Suntne nonnulli ex pluribus, quos MNH memoravit?

VIII kal. iul. De Iohanne Baptista cf. p. 56, de Iohanne apostolo p. 61.

VII kal. iul. Alexandriae Agathon, Lucia, Diogenes.

Articuli, qui VII et VI kal. iul. memorantur, valde corrupti sunt. E VII kal. *in alax. agathonis thessalon. salonicae bigati lantani et luceiae virginis*; VI kal. . . . *in alax. luciae et digni*. B VII kal. iul. *In Alexandria* tres (*Agathonis, Luceiae, Diogenis*) memorat. Qui Y exscripsit praeterea, cum martyrem nomine Luciam legisset, ex actis memoriam *Luceiae* adiunxit. (Cf. kal. iun.) Qui martyres *in Alexandria* et *in Thessalonica* leguntur prorsus ignoti sunt. *Bigatum* et *Lantanum* depravatam nomen esse conicio David Solitarii quem SC et acta²⁾ hoc ipso die memorant. Thessalonicae anno fere 530 mortuus est. Sin in MH memoratur, quaeritur legeritne vir Romanus huius memoriam in MNH.

VI kal. iul. De Thessalonicensibus VII kal. iul.

V kal. iul. „Septem germanis” Symphorosae filiis quorum memoria legitur aliquis in codice B verba q. s. *dormientium in Epheso* addidit. Filii Symphorosae autem Romae vixerint.³⁾

1) AS, 22 Iun. IV, p. 146.

2) BHG 493.

3) Ruinart. p. 23.

**III kal. iul. Alexandriae Plutarchus, Serenus,
Heraclides, Heron, Herais, Serenus, Potamiena, Marcella,
Basilides, Leonides.**

Codices triginta fere Alexandrinos memorant. Inter quos octo martyres, ab Eusebio (HE, VI, 1–5) nominatos legi, iamdudum dictum est.¹⁾ Satis constat nomina ex Eusebiano libro ipso vel ex quo fonte Eusebius hauserit fluxisse. Supra (kal. iun.) indicavi III kal. iul. mea opinione martyres in passione Luceiae et Auceiae memoratos inveniri. Afri videntur. An Alexandrini? Negari non potest complura nomina inter „Aegyptios martyres” saepius legi. Si articulum Alexandrinum (ordine nominum paulum verso) iuxta Africūm exscribimus, alterum ex altero sumptum esse, apparet:

In Africa		Passio
Alexandri	In Alexandria	
Theonis		Antonius
[Arionis B]	Sereni	Herenaeus
Pleosi	Tradori	Theodorus
Asthefi	Postaphi	Papirius
Apollonis		Apollonius
Ampamompis	Pasimi	Apamius
Offici	Sici (Phesici W) Peseci	Pronicus
Meloi	Tyri, Distae, Disti	Coteus
Dionisi	Dionisiae	Dionysius
	Orionis, it Orionis, Ariusi, Orosi.	Orion
		Saturus
		Victor
In Spanis (Hynus Pannus BW)	Panosi	it Apamius } ?
Pheucicis		it Pronicus } ?
Beneri	Ambeni, Pambuni	it Coteus } ?
Panubri	Panuberi	
Dioscori	Dioscori	
Turboni	Turbani	
Capitulini	Capitulini, Tilinini	
Biceae (Nicaeae B)	In Nicea	
Gurdini	Sinidi	

Quod ad duo postrema nomina pertinet, admonemus SC Iun. 28 Sergium magistrum quendam „ex urbe Nicetia” (In Pamphilia sita)

¹⁾ Iniuria Achelis: (Die Mart., p. 80) „Das”, inquit, „hat zuerst bemerkt K. J. Neumann”. Iam Florentinus (saeculo XVII) intellexit. In MH Herais nec Serenus alter memorantur.

memorare. Ad eum eundem habendum inclinamus. Qui Sergius, cum Michaelis Imperatoris temporibus (saec. XI) vixerit, certe alius est ac MH habet.

III kal. iul. De Simone et Iuda cf. p. 66.

Kal. iul. <Nicomediae Zoilus.>

Ad kal. iun. martyres, qui kal. iul. *Romae* et in *Antiochia* memorantur, plerosque socios Luceiae et Auceiae ducendos esse diximus. Laterculi in initio legitur *In Nicomedia Zoili*. Cuius martyris nomen kal. iul. ter invenitur; bis librarius perperam scripsit pro nomine *Cotei* (de quo kal. iun. et III kal. iul.) Nicomedensis huius martyris nomine ductus. Si quis contendat adnotationem in *Nicom. Zoili* depravata nomini *Pronici, Cotei* esse, libenter eum sequor, cum martyrem Nicomedensem, cui nomen Zoilus ignoremus. Vox q. e. In *Antiochia* a kal. iun. iterata videtur. De Aaron vid. p. 69; de Simone Kananaeo p. 66.

VI non. iul. <Amasiae Hesychius.>

Fasti graeci Mai. 10 (alii codices Mart. 4, 5, 6, Mai. 7) cuiusdam Hesychii memoriam habent, qui martyr ἐκ τῆς Ἀδραπηνῶν πόλεως, χώρας τῶν Ἀρμενιακῶν Amasiae sepultus est. Martyrologium latinum VI non. iul. nonnulla habet, quae parum intellegimus <it romae> *eutici gradini araxi amideami dep. miliadiadis eutici*. (In eadem urbe . . . nat. *Eutici et depos. Melciadis papae in Mesopotami sanct. Hysici, Amidae B*) (nat. *euti et dep. me . . . ade papae hesicy amidae amigradi arixi W*). Miltiades ad Romam pertinet; qui sunt ceteri? ¹⁾ Sub illis nominibus nomina in SC dicta latent? An codex B rectam lectionem servat? Propius vero puto librarium ex verbis, quae in X invenerit, hunc articulum effecisse et re vera Hesychii Amaseni memoriam occurrere.

V non. iul. Alexandriae <Trophonius, Menelaus, . . . Eulogius . . .> Tarsi <in Cilicia Severus . . .>

In codd. legimus:

—	<i>In Constantinopoli</i>
—	<i>Eufemiae, Acaci</i>
<i>In Alexandria</i>	<i>Ammoni, Thomae, Ammi</i>
<i>Trufonis</i>	<i>Trephoni, Timothei</i>
<i>Menelai</i>	<i>Menelai</i>
<i>Cirionis</i>	<i>Celialis, Eracli, Ciriaci (Cyriani B)</i>

¹⁾ „Vielmehr“, inquit Urbain, p. 164) „setze man Eutici = Hysici der zwar neben anderen in röm. kalender gestanden haben mag, aber von Haus aus Orientale ist.“

²⁾ B habet in *fine* laterculi *In Mesopotamia*; in initio laterculi legimus *In Edessa in Mesopotamia*.

<i>Eulogi (Cyrilli BW)</i>	<i>Eulogi it. Eulogi</i>
<i>Porforis</i>	
<i>Apricis</i>	
<i>Chusti (Christi BW)</i>	<i>Cioniae, Chioni</i>
<i>Iuliani</i>	<i>Iuliani</i>
<i>Eradi</i>	
<i>Eulogi</i>	
<i>it Trifonis Emereonis</i> } B	<i>Demetri</i>
<i>Cyrionis</i> }	
<i>Horestis</i>	<i>Horestis</i>
<i>In Tarso Cappad.</i>	
<i>Severi</i>	
<i>Helionis</i>	<i>Heliodori</i>
<i>Strategi</i>	<i>Strategi, Sustrati</i>
<i>Montani</i>	<i>Ameclini</i>
<i>Atrani</i>	
<i>Eusuci</i>	
<i>Germani</i>	
<i>Partheni</i>	
<i>Pauli</i>	

Martyri, Iocundi.

Plerique Alexandrini et nonnulli „Tarsenses” in *Constantinopoli* re-
deunt. Mea sententia *Acacius* et *Euphemia?* ad hanc urbem pertinent.¹⁾
(Cf. VI id. mai.) Sintne omnes martyres in *Alexandria* et in *Tarso*
memorati illis urbibus adiciendi dubito. Praeterea *In Tarso Cappad.*
falsum est. Legendum est *In Tarso Ciliciae* aut in *Caesarea(?) Cappad.*
De Thoma cf. p. 63. De Constantinopolitanis p. 34.

III non. iul. Qui Y exscripsit ad arbitrium lectionem antiquioris
codicis emendavit. E *In Africa Iocundiniani, Sereni, Sabbatae.* BW *In*
Sirmia Sabbatae . . . Iocundiano Afro BW addit *In alto missi*. Quoniam
satis constat in MK elogia scripta non fuisse, haec verba alii martyri
adiungenda sunt.²⁾ In B *Theodori* memoria legitur, qui est Theodorus
Cyrrenensis, in SC eodem die memoratus. Cf. VIII id. apr.

**III non. iul. Tomis Marina, Theodota, Rhodopiana,
Staris (?).**

Supra iam diximus sine dubio in MNH III non. iul. martyres Tomi-
tanos memoratos fuisse. Satis confusa eorum adnotatio in MH legitur

1) Non intellego cur apud Florum legamus „Apud Constantinopolim sancti
Eulogii”. (Quentin p. 336). Eulogius Alexandrinus episcopus fuit!

2) Neque ad Innocentium verba pertinent (cf. AS, 7 Mai. II, p. 138 sqq).

In Tomis [Stratoris BW] Marinae (Meronae BW), Theodotae et Sodepae (Rodofiae BW), Staris, Meronae, Rodiviae, Secundini [item BW], Thomi, Mafrini, it. Rodopiae. De Ario cf. II non. iul.

II non. iul. Alexandriae Arius presbyter.

Quantopere MS nobis prosit, ex articulo Iul. 6 memorato apparet. Non facile presbyterum praeclarum Alexandrinum Athanasii adversarium¹⁾ reperiri potest in verbis q. s. *Apotis, Arpotis, Arthoci, Artotis*, quae in MH leguntur: neque in SC neque in MEM Arii memoria occurrit. De ceteris martyribus haec modo. In E plerique aliis urbibus attribuantur ac in Y:

Zoticus	In Syria	(E)	In Novioduno	(BW)
Palladius	"	"	In Alexandria	"
Severus	"	"	"	"
Zetus	"	"	"	"
Philippus	"	"	"	"
Arator	"	"	In Syria	"
Amantius	In Novioduno	"	In Novioduno	"
Artetes	"	"	"	"

Artetis, de quo idem codices notant, idem videtur qui Arius presbyter, qui solus Alexandriae adiciendus est. De Palladio cum suis dubito.

Verba *in Syria* suspecta sunt. (cf. XV kal. mart., XIII kal. apr., IX kal. iun., VIII id. iul.). Martyres nominibus Zoticus, Arator, Amantius, Zetus aliis diebus in voce *in Alexandria* leguntur.²⁾ *In Novioduno Philippi* ab II non. iun. iteratur.

Non. iul. Alexandriae Parthenius, Heraclius, Ananias, Eudomius, Rodius, Publius, Helias, Apollonius et alii XVIII.

Qui MNH transtulit in hoc martyrologio plura nomina legit quam MS affert (*Τίτωνος καὶ ἕτεροι μάρτυρες κζ'*). Non solum nomen urbis, quod in MS excidit, sed, praeter Tirinum ex iis XXVIII martyribus septem nominatim in corrupto laterculo leguntur: bis enim *et alibi* interpositum est. *Alexandriae Partheni, Ananiae et aliorum XVIII* aliquotiens iterantur; plerique praeterea VIII id. iul. redeunt. Arbi-

1) Si quidem ille in MS indicatur. Cf. p. 5.

2) Zoticus II kal. febr., V id. febr., IV id. febr., II id. febr. (quibus diebus idem martyr memoratur); Arator (= depravatum Aristus) XI kal. mai.; Amantius XVI kal. mart.; Zetus (in articulo, qui falsus videtur) X kal. dec.

tramur in MS nomen primi martyris perperam legi. 1) Florus²⁾ immerito Pantaenum, de quo Eusebius (HE V, 10) scribit, significari putat.

VIII id. iul. Antiochiae in Syria <ex antiquis> Sostratus, Hesperius, Glycerius.

Ineptissimum in modum adnotatio Syriaca Ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκ τῶν ἀρχαίων Σώστρατος καὶ Ἑσπέριος καὶ Γλυκέριος μαρτυρες in MH depravata, iterata, amplificata est! In *Sirmio nt. Ostrati, Spiri, Eracli et Eperenti, Ceriliae. In Sicilia . . . Severi (Speri BW). In Nicea . . . Elenti, Stratoni . . . In Heraclea . . . Aprianti, Theoloci, Gliteriae, Parenti, Stratonis.* Verbis q. s. In *Nicea, in Sirmio, in Syria* (II non. iul.) provincia in qua Antiochia sita est significatur. In *Heraclea* depravatum nomen *Heraclii* est. De Procopio cf. p. 44. Quae in F leguntur *Asiae Aquilae et Priscillae* (SC Febr. 13) ex MNH non sumpta sunt. Iohannes fortasse ab VIII kal. iul. iteratur.

VII id. iul. BW in Thomis memoriam *sanct. Zenonis, Minmae, Vitalis, Rufinae, Euangeli, Urisi, Agnitis, Cyrilli ep. igni traditi* habet. E duos priores, Rich primum modo Tomis, ceteros Mediolano adicit. Profecto non nomina vulgo in Moesia inventa! Martyres Mediolanenses tamen non magis mihi videntur. Codices XVI kal. aug. in *Mediolano Moci, Migetia*; B VI id. iul. in laterculi initio *Mediolano Moechi*³⁾ (*Monachi W*). De Mocio cf. VI id. mai. Adnotatione Flori martyrologio adscripta⁴⁾ res magis implicatur: „Romae ad guttam iugiter manantem sancti Zenonis⁵⁾ et aliorum decem milium ducentorum et trium”, quem articulum Quentin ex MH ipso sumptum arbitratur. Quod veri simile non duco, licet Florum ex articulis in MH relatis adnotationem composuisse concedam. De Tomitis III id. iul. Cyrilli episcopi memoria sine dubio ex passione sumpta est; ex qua passione excerpta pleniora ML habet.⁶⁾

1) Fieri autem potest, ut in MNH (et MH) illorum martyrum ordo alius fuerit atque in MS, quod saepius accidit. (Cf. ad id. febr., XVI kal. mart., XVII kal. apr.)

2) Quentin, p. 293.

3) Que loco eadem in E leguntur, articulum in margine antiquioris exemplaris adscriptum esse demonstrant.

4) Quentin, p. 336.

5) B *Romae ad guttam iugiter manantem nat. virg. Florianae, Faustinae, Anatoliae.*

6) Quentin, p. 155. Acta graeca (AS, 9 Iul. II, p. 684) et SC eum Decii temporibus Cretae vixisse narrant; latina: (AS 9 Iul. II, p. 687) „non incognitum Aegyptiis”. Qui acta latina composuerit Cyrillum Aegypto attribuisse, quod pro Tomis Thmui legisset, (Achelis, Die Mart, p. 154) falsum puto.

VI id. iul. Tomis Marcianus, Domnus, Diomedes, Iohannes, Sisinnus, Aurelianus, Aemilianus et alii XXXVIII. <Antiochia Maximus, Prosdocius, Veronica, Domnina, Maxima, Timotheus, Diogenes, Macarius, Zacchaeus, Hesychius.>

Ex XLVIII(?) Tomitanis MS Marcianum solum, MH quos supra notavimus nominatim refert. Sequitur *in Alexandrina* longa nominum series in quam haec evenerint: V id. iul. eadem fere¹⁾ turba denuo legitur:

[Romae]	Antoni *	Archelai	Faustasi
[Stephani]	Iasonis	Cyrini	Aureli
Leonti	Iohannis	Aphrodisii	Gordiani
[Pelagiae]	Eustasiae	Gaiani *	Cyrioni
Maurici	Octavi	Clerici *	Cyrilli *
Domni	Aemiliani	Antoni	(Nostini)
Militonis *	Sisinni	Gai	(Sisinni) *
Achillis	Anicetae *	Auxenti	Castrici
Daniel	Theodoli *	Valentini	(Apolloni)
[Romae]	Cessi *	<Flavi>	<Eutychi>.
Diomedis *	Candidi	<Nicaoni> *	
Cyrici	Gorgoni	Theodoti *	

Adnotavimus primum paribus fere intervallis (quarto vel quinto quoque nomine) plerosque martyres Tomitanos VI id. iul. memoratos legi (Domnum, Diomedem, Iohannem, Aemilianum, Sisinnum); ex quo colligimus Tomitanos in margine adscriptos esse. In voce *In Armenia minore in civitate Nicopoli* legimus VI id. iul. XII martyres, quorum nomina (cruce adnotata) eodem ordine inter Alexandrinos supra relatos iterantur: V id. iul. praeterea omnes codices: *In Armenia minore in civ. Nicopoli it. Ianuari, Pelagi (Pelagiae B)* quibus in B addita sunt haec: *Hii tormentis subditi, qui non solum unguis sed et testa corpora eorum usque in diem quartum idus eandem passionem habuerunt.* Ianuarius martyr Armenius mihi non videtur: Africanus est vel postremus ex VII „germanis” Felicitatis filiis, quos MH VI id. iul. memorat. Acta Pelagiae, si unquam fuerint, non supersunt; qui MEM composuerunt MH exscripserunt. SC autem Iul. 10 Ἐθλησις τῶν ἁγίων τεσσαράκοντα πέντε μαρτύρων τῶν ἐν Νικοπόλει τῆς Ἀρμενίας μαρτυρησάντων. Ex quibus XLV, temporibus Licinii martyrium passis, „principes urbis” Leontius, Mauricius, Daniel, Antonius nominatim referuntur. Acta graeca²⁾ Anicetam et Sisinnum dicunt. Iusti-

⁵⁾ In fine nonnulli () inclusi omisi sunt, tres alii adiuncti < > indicantur.

²⁾ AS, 10 Iul. III, p. 37; PG CXV, c. 324.

nianus saeculo VI Nicopoli „monasterium XLV martyrum" extruxit¹⁾, ex quo apparet eorum memoriam non solum litteris servatum esse. MH horum XLV maiorem partem (*in Alexandria et in Nicopoli*) servat. Vocem *in Alexandria* ortam esse puto ex nomine *Alexandri*, unius ex „septem germanis", de quibus VII et VI id. iul. sermo fit. Pelagia sitne inter Afros an Nicopolitanos numeranda incertum. Neque Apollonius, cuius memoria V id. iul. non iteratur, civis Nicopolitanus videtur. In fastis graecis Iul. 10 martyr huius nominis, qui Sardibus in urbe in Lydia sita oriundus, Iconii pro fide Christiana crucifixus est, memoratur. Videtur idem esse; Sardes vero in MH non invenitur. Quaeritur sitne elogium in B ex actis Nicopolitanorum depromptum necne? Legimus in actis „praefectum" iratum iussisse Leontium suosque *ξέεσθαι ὄνυξι σιδηροῖς καὶ δοτράκοις ὄξεσιν* et infra *τελειωθέντων αὐτῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ*: non dubitamus quin quae in MH leguntur ex illis actis epitome sit.

Decem porro martyres Antiocheni occurrunt, ex quibus I Febr. 4 in MS episcopus Antiochenus dicitur; II, III, IIII Apr. 20 (XVII kal. mai. in MH) *in Antiochia* memorantur; V en VIII Apr. 8 in Syriaco leguntur; MH eodem die (VI id. apr.) VI et VII habet, qui quattuor martyres sine dubio ex MNH sumpti sunt; IX Oct. 3, X Mai. 29 in MS invenitur. Cum X omnes martyres suis diebus in MH non redeant, ex MH in uno articulo collocatos esse non possunt; ex MNH articulum sumptum esse veri simile est. Quam ob rem in unum collati sint ignoro. Mera iteratio Antiochenorum martyrum laterculis MS memoratorum non videtur: martyres Febr. 4, Apr. 20, Apr. 8, Oct. 3, Mai. 29 in MS memorantur. Aliud fuit vinculum quod eos coniunxit.

V id. iul. <Alexandriae Eutychi, Euphemia>. Caesarea in Cappadocia Dius martyr.

Denuo nomina VI id. iul. exscripta adspiciamus. Postremum nomen martyris *Eutychi* legitur; in fine laterculi V id. iul. relati *In Alexandria Eutychi*³⁾. Quamquam ignotus est martyr, non habemus, quod articulum falsum arbitremur. De Marcianis V id. iul. memoratis haec. Legimus *In Syrcia Marciani; in Mauritania in civ. Caesarea Marciani*. In SC Iul. 11 Iconii ab eodem praefecto Perinio, qui Apollonium Sardensem cruci figi iusserit, martyrem nomine Marcianum decollatum esse invenimus. Proximo die in MH Marcianus quidam cum suis *in Tomis* occurrit, quorum memoria V id. iul. Marciano Aurelianoque exceptis iteratur. Non facile diiudicatur, quibus locis Marcianus V id. iul. „celebratus sit".

1) Les orig. p. 209.

2) PG, CXV, c. 337.

3) In initio laterculi E praeterea: *In Alex. Eutychi, Euphemiae*.

De urbe Caesarea Mauritanensi in MH X kal. febr. et IIII non. aug. sermo est: quibus diebus martyres quorum acta librario cognita erant, adscripti sunt. Arbitrandum igitur illius martyris articulum, si rectus sit, ex actis sumptum V id. iul. adscriptum esse, quod VI et V id. iul. martyr eodem nomine memoraretur. *In Syricia* est depravatum *in Caesarea* vel *in Syria* (ad verba q. s. *in Antiochia* pertinentia). De ceteris martyribus VI id. iul.; de Dio in MS memorato IIII id. iul.

III id. iul. Alexandriae Sarapion, Trophimus (a?), Menius presbyter, Euangelus, Attalus, Papias, Matthaëus. Caesareae in Capp. Dius. In Isauria Zenobius.

MS . . . ος, Μήνιος . . . (tres versus exciderunt) . . . καὶ Παπίας καὶ Ματθαῖος καὶ ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας Δίος πρεσβύτερος καὶ ἐν Ἰσαυρίᾳ Ζηνοβίος. Iul. 11 MS.: Ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας Δίος μάργου. E IIII id. iul. *Divi Cornilanensis* (*Corninsi* BW). Non liquet memoreturne in MS duobus diebus idem martyr necne. Cumont inscriptionem edidit, quam ad Diuum pertinere probat ¹⁾; ceterum martyr prorsus ignotus est. *Cornilanensis* ad aliam turbam pertinet vel potius depravatum est nomen *Caesareae*. *Μήνιος* aliique III id. iul. *in Alexandria* in MH redeunt. VII id. iul. idem in voce *In Thomis* iterantur:

III id. iul. <i>in Alex.</i>	VII id. iul.	II id. iul.
<i>Serapionis</i>	<i>In Thomis</i>	<i>In Alexandria.</i>
<i>Trofimae</i>	<i>Rufimae</i>	
<i>Mellei</i>	<i>Minniae</i>	<i>Menesi</i>
<i>Evangelii</i>	<i>Evangelii</i>	
<i>Atali</i>	<i>Vitalis</i>	
<i>Zenonis</i>	<i>Zenonis</i>	
MS ἐν Ἰσαυρίᾳ	<i>Uris, Aunitis</i>	<i>Antici</i>
<i>Παπίας</i>		<i>Papillae (Papiae)</i>
<i>Ματθαῖος</i>		<i>Namoris et Mamaris</i>
ἐν Καισαρείᾳ τῆς Κ.		<i>Mari, dagioni (a B)</i>
<i>Δίος</i>		<i>Diae</i>

III id. iul. De Alexandrinis IIII id. iul.

II id. iul. De Alexandrinis IIII id. iul. De Phoca III non. mart. R³
In Nicomedia Pionis articulus plane obscurus.

Id. iul. Alexandriae Philippus. Hierax (?) et decem infantes. <Sirmii Agrippinus, Secundus, Maximus, Fortunatus, Marcialis>.

Articulus Syriacus Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰέραξ καὶ Φίλιππος καὶ ἱ παῖδες μάργουρες cum adnotatione in MH relata non plane congruit: *In Alexan-*

¹⁾ Revue des études grecques, t. XV (1902), p. 231.

dria nt. Philippi, Zenonis, Sisinni (Nasei BW), <Eutropi, Zosimi, Bonosae> et infantium X. Tria nomina uncis fractis inclusa, *Romae* legenda esse codices ipsi paulo infra indicant. Verbis q. s. *Zenonis, Sisinni, Nasei* Ἰέραξ significari videtur. An, quod saepius accidit, MS nomen depravatum habet? Philippus et Sisinnus XIII kal. aug. iterantur.

De Sirmiensibus admonendum est in MS (et in MH) *Secundi* memoriam Iul. 20 occurrere. Cum nomen saepius inveniatur, eundem non puto.

De Iacobo Nisibeno p. 32.

XVII kal. aug. Antiochae Theodotus, Eustathius, Dionysius. Caesareae in Palaestina, Paulus, Valentinus, Ennatha.

MS Iul. 19 *Θεόδοτον καὶ Ἐυστάθιον*¹⁾, MH tres Antiochenos supra relatos XVII kal. aug. habet (Dc Dionysio XII kal. dec.). Si martyres Palaestini MNH adscripti sunt, (cf p. 49) Antiochenos Iul. 16 in MNH memoratos fuisse probabile est. De Mamante XVI kal. sept.

XVI kal. aug. De Mamante XVI kal. sept.

XV kal. aug. Durostori Aemilianus.

Codices Durostorenses Aemilianum, Bassum, Maximum, Paulum, Secundam (um?), Donatam referunt, ex quibus quinque posteriores Scillitani vel Afri sunt, quorum memoria XVI kal. aug. occurrit. De Basso cf. XII kal. dec. Initium laterculi in B: *Romae Via Tiburtina miliario nono Semptherosae matris septem germanorum, quae cum ipsis est posita. Nomina vero germanorum haec sunt: Petri, Marcellini, Ianuarii, Dionisi, Sinproni, Clementis, Germani et Herenei* (qui sunt octo!) E habet: *in dorostoro nl. emiliani secundae donati bessi maximi pauli romae senforensae matris VII germanorum Petri „Ibi“*, inquit Duchesne²⁾, „nodus apparet inextricabilis, qui multorum eorumque doctissimorum virorum torsit ingenium“. Iniuria Duchesne, quamquam articulum Symphorosae interpolatum esse recte putat, alios omnes „tam Petrum, Marcellianum quam Aemilianum ceterosque ad Durostorum refert. „Ceterique“ (*Bassi, Maximi*, cett.) XVI kal. aug. *in Africa* leguntur. Aemilianum Durostorensem martyrem esse SC confirmat, quibus in fastis Iul. 28 hic martyr Iuliani Apostatae temporibus a „vicario“ Capitolino capitis damnatus esse memoratur. Acta praeterea existunt, (B H G 33) quae eadem narrant; de sociis nulla mentio fit. Cultus eius martyr satis pervulgatus erat (cf. Les orig. p. 284 sq).

¹⁾ Hieronymus (De Viris illustribus LXXXV, Richardson, p. 44) dicit Eustathium quendam, quem eundem puto, primum Beroeae, deinde Antiochiae ecclesiam rexisse; eum postquam adversus Arianorum dogma multo „composuerit“, Traianopolim in exilium missum „ibique usque hodie conditum esse“.

²⁾ AS, Nov. II, Prolegg. p. [XLV].

XIII kal. aug. Synnadis Macedonius, Lampadius, Antigonus, <Iobianus, Victorinus, Tatianus.>

Codex E *In Alexandria Sisinni, et Antiochiae Macedonis et Lampadi; Constantinopoli Daretiae, Luciani, Philippi, Petri, Torquati*. BW *Dariae* in Constantinopoli, quattuor ceteros in Antiochia habet. MS Iul. 19 praeter Antiochenos, de quibus XVII kal. aug. nonnulla diximus, sex martyres habet *Ἐν Συννάδοις Μακεδόνιος καὶ Λάμπυρος καὶ Ἀντίγονος καὶ Ἰοβῖνος καὶ Βικτωρίνος καὶ Τατιανός*. Socrates¹⁾ et Sozomenus²⁾ Meri i. e. Meropoli, in urbe in Phrygia sita, tres Christianos (Macedonium, Theodolum, Tatianum) a praefecto Amachio Iuliani temporibus martyrio affectos esse narrant. Meropolis autem est pagus Synnadis proximus, ut mirum non sit martyres hac in urbe celebratos esse. Articulus in MS igitur verus putandus et ex fastis Synnadensibus sumptus. Apparet initium saltem in MNH inventum fuisse. Qui MN in syriacum vertit cum mensi iulio nullum articulum superesse animadvertisset, se Synnadenenses omisisse, eos cum ceteris martyribus mense iulio in MN memoratis non mense iunio sed *Iul. 19* MS adscripsit. Quod vero propius arbitror quam quae Achelis³⁾ scribit „das diese Märtyrer nach dem Zeugnis von MH in dem Urmartyrolog gefellt haben. Die Notiz vom 19 Iuli . . . handelt wie schon Duchesne⁴⁾ nachwies, von Märtyrern unter Iulian im Jahre 362, die Socrates III, 15 erwähnt: sie legen durch ihr spätes Datum die Vermutung, dass sie in MS nachgetragen sind besonders nahe; MH nennt am gleichen Tage zwei von ihnen Macedonius und Lampadius, setzt sie aber in die Stadt Antiochien und zeigt dadurch dass er einer andern Quelle folgt“. Quod rectum non puto. Denuo inspicias velim adnotationes in MH et MS memoratas. *Antiochiae* depravatum nomen *Antigoni* est⁵⁾ et quamquam veri similis puto articulum *In Alexandria Hieracis et Philippi* ab id. iul. iterari, fieri tamen potest, ut sub verbo q e. *Sisinni Synnadis* latet. Quod ad ceteros (Lucianum, Petrum, Torquatum) attinet, duo priores XIII kal. aug. *in Africa* leguntur; Torquatus fortasse idem qui Tatianus.

Articulus *In Constantinopoli Daretiae (Dariae)* magnam suspicionem movet. In SC martyr, cui hoc nomen, non legitur. Mea opinione sermo est de martyribus Romanis *Chrysanto et Daria*⁶⁾, quos MH II id. aug.,

1) HE III, 15, Migne, PG, LXVII, c. 417.

2) HE V, II. Migne, PG, LXVII, c. 1245.

3) Die Mart., p. 34 et 35.

4) AS, Nov. II, Prolegg., p. LXVI.

5) An iterata *in Antiochia*?

6) Acta AS, 26 Oct. XI, p. 483.

III kal. dec., XIII kal. ian. (hodie XIII kal. aug.!) memorat. Fieri potest, ut XIII kal. aug. denuo legantur *In Choranto* (*Chorinto*) *Cyriaci*. Codici R³ soli addita sunt *In Capp. nat sancti Theodori episc.*

XIII kal. aug. Sirmii Secundus.

Lectionibus codicum E et BW accurate collatis apparet articulos uncis fractis inclusos, postquam Afri MH inserti sunt, in margine adscriptos esse.

E *In Africa Luciani*

Nunninae ;

⟨*Et in Thebaide Victoris* ;⟩

⟨*In Damasco Savini* ;⟩

⟨*In Casino Severi* ;⟩

*Sandi, Acripiani, et aliorum
XXII Passeris Maximi, cum
aliis X* ;

⟨*In Chorinto Cyriaci* ;⟩

Donati, Tertii Romae.

In Africa Sabini, Luciani

*Nonninae, Sandi, Agripiani, cum
aliis XXIII* ;

⟨*In Thebaida Victoris* ;⟩

⟨*In Damasco Sabini* ;⟩

Maximi cum aliis X ;

⟨*In Choranto Cyriaci* ;⟩

Donati, Tertii Romae.

De Victore, Sabino, Severo nihil repperi. Cyriacus fortasse idem qui II id. ian. in *Achaia* memoratur (cf. autem quae ad XIII kal. aug. scripsimus). Ἐν Σιρμίῳ Σεκοῦνδος (MS Iul. 20) in MH: *Ametini* [*Eme-rini, Emili et alibi B*], *Secundi*.

XII kal. aug. De Adriano p. 42. Rich nomina *Alexandri* et *Alexandriae* mutavit.

XI kal. aug. ⟨Antiochiae Andreas, Cyrillus,⟩ Ancyrae in Galatia Plato.

Et MK et MS ad nodum laterculi Hieronymiani explicandum opem ferunt. MK Iul. 20 Aurilium episcopum memorat, Iul. 22 Maxulitanos; Aurili memoria XII kal. aug. in MH relata XI kal. redit. MS Iul. 22 Ἐν Ἀγκύρᾳ Πλάτων. MHE *Antiochiae Andreae mart. Ancira civ. Galitiae Platonis, Cirilli, Tebelli, Auli, Stertei et Maxilitatorum Andreae, Eliani, Cobosae*. In BW Cyrillus ceterique *Antiochiae* adiunguntur; codex G *In Antiochia Cyrilli ep.* Quoniam neque SC (Nov. 18) neque acta¹⁾ ullum socium Platonis referunt, Plato solus in *Ancyra* legendus est. In W additur *cuius gestae habentur*, quae verba Florus, Ado, Rabanus, Usuard exscripserunt. Baronius ex graecis fastis epitomen actorem martyrologio suo inseruit. Qui martyres Antiocheni sint incertum est. Andreas cett. Maxulitani in MK memorati videntur. Augustinus autem, qui sermonem „in eorem natali” habuit²⁾, nullum ex iis nominatim memorat. Cyrillus episcopus Antiochenus a^o. 303 mortuus est, sed

1) Migne PG, CXV, c. 404 sqq.

2) Sermo 283 ed. Benedictini, Antwerpiae MDCC, tom V, c. 794.

titulus ille postea in G ad arbitrium additus videtur. (cf. de Antiochenis episcopis p. 9). In codice Rich „uncis inclusa m.2": *Et Mariae Magdalenae*.

X kal. aug. Laodiceae in Phrygia Menius, Hesychius (?)

In frigia moenisi et sicei nat primitivae tisici apollinaris. Sic E; BW clarius *in Ravenna Apollinaris; in Laodicea Phrygiae Minisei, Tisici; Via colla nat Primitivae*. Non patet utrum duo Laodicenses sumendi sint an nomen *Sicei* (q. e. Hesychii?) aliunde huc traductum sit. An ad articulum Primitivae pertinet? Via colla (Accula W) ignota est. *In Phrygia* vitiosa esse, id quod Achelis (Die Mart, p. 192) suspicatur, non puto. Ter martyres Laodicenses in MS leguntur (Iul. 23, 27, Oct. 9) semel additur „In Phrygia". In MH tres articuli omnes incipiunt: *In Laodicea Phrygiae*. Non probabile est interpretem Romanum bis ad arbitrium. „In Phrygia" addidisse: ut in MNH legit, ita MH adscripsit.

VIII kal. aug. Sebasteae in Armenia Athenogenes.

< . . . Capito Silvanus . . . >

MS nomine urbis omissa Anthogonium chorepiscopum memorat. MH in longo et confuso laterculo: *Armenia [minore] civ. Sebastii Theoginis (Theuzoni BW), Victoris [et aliorum LXXXIII Romae Victorini] militaris, [qui passus est Emerita cum II aliis (B), qui multa tormenta passus est Emerita civ. fratris duobus (W)], Aciani (Statiani WB), Capitonis, Silvani, Stercati, Athenozeni, Cartonis*. VIII kal. aug. plerique denuo leguntur: *et alibi Stercori, Clementis, Iuliani, Caritonis, Emeriti, Severi, (Stercei B) Suticani*. Articulos in unum coniunctos dirimere conemur. SC evolventes primum videmus in MH recte Theogenem Sebasteae adiungi, in MS eum recte chorepiscopum dici: Iul. 17 in SC *Ἀθλοῖς Ἀθηνογένους ἐπισκόπου γενομένου Πηδαχθός· οὗτος ἦν ἀπὸ Σεβαστείας ἐπὶ Διοκλητιανοῦ βασιλέως*.¹⁾ Qui ML composuit articulos in MH relatos minime intellexit IX kal. aug. scribens: „Apud Emeritam Hispaniae civitatem nat. sancti Victoris militis, qui cum duobus fratribus Stercatio et Antinogeno diversis examinatus suppliciis martyrio consummavit." ²⁾ Legendum est *Via Salaria miliario LXXXIII ab urbe Roma in civ. Amiterno Victorini*. Elogium in B et W memoratum ex Victoris actis sumptum est.³⁾

Statianus, Capito, Silvanus, Iulianus, Stercatus martyres qui sint ignoro. SC Iul. 24 nulla re addita *Ἰμεναίου καὶ Καπίτωνος*, qui idem videntur,

1) Passiones graecas Papadopoulos-Kerameus edidit *Ἀνάλεκτα ἱεροσολυμιτικῆς στραχνολόγιας*, IV, p. 252. De cultu Athenogenis, Les orig. p. 207.

2) Quentin, p. 214.

3) Cf. Acta AS, 8 Ian. I, p. 500.

memoriam habet. Quo articulo non procedimus, nisi forte sumere possumus martyrum nomina ex graeco fonte (MNH?) fluxisse.

In fine laterculi *In Tyro Christina virg.* quae hoc ipso die in SC legitur. Significatur pagus in Tuscia situs.¹⁾ Articulus igitur ex MNH non sumptus est.

VIII *kal. aug.* De Christophoro multa acta existunt.²⁾ Qui martyr in Asia (Samone? in provincia Lycia; alia acta: in Syria) temporibus Dagni (alia: Decii) regis vixit. Antiochiae a Babylla baptizatus, una cum Callinica et Aquilina, quae, cum venissent ut eum ab fide abalienarent conversae sunt, securi percussus est. Fabulosa multa nonnullis in actis leguntur. In SC *κννοπόρσωπος* dicitur, natus in regione in qua homines humana carne vescantur sqq. Qui adscripsit ipse addit: *οὐκ ἔστι δὲ τοῦτο, οὐκ ἔστι.*³⁾ Ad Christophori honorem medio V saeculo Chalcedone ab Eulalio basilica exstructa est.⁴⁾ Cum in MH et in plerisque actis de ignota urbe Samone mentio fiat, articulum ex actis sumptum esse puto. De Iacoba apostolo cf. p. 61.

VII kal. aug. Laodiceae in Phrygia <... Kathari... in persecutione... se coniunxerunt et doctrinam ecclesiae secuti sunt et martyrio coronati sunt> Theophilus episcopus, Philippus, <Auxentius, Pudens, Alexander, Zoticus...>

In Laodiceae Phrygiae codices nonnullos martyres dicunt, quorum nomina pleraque Africana sunt *Ioviniani, Iuliani, Gloriosae, Aemili, Felicis, Marciani, Maximae, Saturninae, it. Aemili.* Praeterea legimus *Et alibi Mucianae et Laudiciae.* MS Iul. 26⁵⁾ *Ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας ἐκ μέρους... Καθαρῶν... ἐν τῷ διωγμῷ... ἐνώθησαν καὶ συνεψήφισαν τῇ Ἐκκλησίᾳ εἶτα ὁμολόγησαν Θεόφιλος ἐπίσκοπος καὶ Φίλιππος καὶ ἕτεροι ἐ* — Initio laterculi V kal. aug. in MH relati leguntur [*Laudatia B*] *Frigiae Theofili, (Ytipheli B), [Euseni E], Auxenti, <Septimae, Agustae virg., Nicopolis, Pantaleonis, in Sicilia Cosconiani,> Pudenti, Philippi, Alexandri, Zotici, <Bissiae, Secundae, Machari,> <Nazariae, Celsae...>.* Initium laterculi VII kal. aug. relati cum eius laterculi initio consentit: *Laodiceae in Phrygia.* V kal. aug. id. iteratum esse, liquet. Quod ad martyres quos MH enumerat attinet,

¹⁾ Acta BHL 1748–1762; BHG 302.

²⁾ AB, I, p. 122; X, p. 394.

³⁾ A. Mussafia, Zur Christophlegende I (Sitzungsber. der Kais. Ak. der Wiss., phil. hist. klasse, CXXIX, Wien 1893, IX) „eine altfranzösische Prosa-version und eine lateinische Prosafassung“ edit, nullam quaestionem persolvit.

⁴⁾ Les orig., p. 185.

⁵⁾ Duchesne perperam: (p. [LIX]) καὶ κζ'.

duo posteriores (Nazarius et Celsus) Mediolanenses sunt. Qui martyres cum Septimia et Augusta in BW in voce *et alibi* memorantur. In MK porro (et in MH) Iul. 30 sanctorum Tuburbitanarum et Septimiae memoria occurrit. In illarum passione¹⁾ Maxima, Donatilla, Secunda nominantur, quae martyres V kal. aug. *Macari, Bissiae, Secundae* leguntur. Augusta virg. mihi ignota est: inter Afros mea opinione numeranda est.²⁾ De Panteleemone cf. V kal. aug.

VI kal. aug. <In Syria Symeon monachus.>

Codex E antiquiorem lectionem habere videtur (*alibi Iuliae, Iocundae . . . Ianuari*) quam BW (*In Nicomedia Iuliae . . .*) *Nicom.* depravatam *Iocundae* vel *Nolae* est. De Symeone cf. non. ian.

V kal. aug. <Nicomediae Panteleëmon.>

In E *Nicopolis Pantaleonis*, quem martyrem BW et SC et acta³⁾ Nicomediae adiungunt. Delahaye admonet⁴⁾ eius acta parum certa esse. Cum ex laterculo in E relato appareat Panteleëmonem in margine articuli Laodicensis adscriptum esse, habemus, quod eius articulum non ex MNH depromptum esse credamus. Quae cum opinio nulla alia re confirmetur, incertus sum. Idem martyr VIII kal. mai. in voce *et alibi* iterari videtur.

III kal. aug. Legitur *In Africa nat. Felicis et alibi Nicetae*. Quae verba posteriora Urbain⁵⁾ depravata *in cymeterio* esse ostendit. Quid fidei habendum sit articulis *III non. aug. relatis (In Verona Felicis et alibi Nicetae)* alius exploret, cum ad hanc disputationem haec res non spectet.

III kal. aug. Synnadis in Phrygia <de antiquis> Democritus, Secundus, Dionysius, Tyrus (?).

MS tres Synnadenses memorat. Excideritne Tyrus in MS an in MH interpolatus sit in dubio est. De Nisibenis cf. id. iul.

II kal. aug. De Synnadensibus III kal. aug.

1) AB. IX, p. 110.

2) De elogio in MS relato cf p. 30.

3) SC Iul. 27; acta graeca Migne PG, CXV, c. 448; acta latina Mombricitus, II, p. 347.

4) Les orig. p. 220.

5) pag. 170 sqq.

6) Achelis errat (Die Mart, p. 62) scribens: „Am 30 Iuni (Iuli) stehen die Märtyrer von Meropolis, die Socrates III, 15 und Sozomenus V, 11 gedenken“. Qui martyres Iul. 19 in MS memorantur.

Kal. aug. <Martyres ex illis, qui depositi sunt Antiochiae atque in Kerateia, qui sunt Samunae filii, qui in Macchabaeis leguntur.> Tomis Cyrillus, Aquila, Domitianus, Rufus, Menander, Petrus.

Macchabaeos fusius MS quam MH memorat. In MS verba supra relata leguntur, in MH [*passio sanctorum* BW] *Macchabaeorum septem fratrum cum matre* [sua, qui passi sunt sub Antiocho rege BW]. Qui articulus ex actis latinis sumptus videtur.¹⁾ Fieri tamen potest, ut ĩnterpres Romanus ea, quae MS habet, in MNH legerit. Hieronymus „quo modo Antiochiae eorum reliquias ostendant aut quo hoc certo auctore sit creditum nescire se” confitetur.²⁾ Rampolla reliquias septem fratrum Antiochiae occisorum, multa per saecula servatas a° 551 Antiochia Constantinopolim traductas esse contendit.³⁾ Utcunque res se habet, quarto saeculo eorum sepulcra Antiochiae ostenta esse constat.⁴⁾ Festus dies Macchabaeorum in fastis Polemii Silvii et in MH idem memoratur qui in MS. Quod martyrologium eos *Antiochiae* kal. aug. celebratos esse non aperte indicat. Fieri potest, ut dies festus Nisibenus vel Nicomedensis referatur: per totum fere orbem terrarum in honore erant.⁵⁾

Post memoratos Macchabaeos legimus in MS *Ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ μνήμη Ἐύστον ἐπισκόπου Ῥώμης*. Significatur sine dubio Xystus II, qui VIII id. aug. a. 258 mortuus est. Ubi autem Aug. 1⁶⁾ celebratus sit ex MS non patet. In MH articulus non est transscriptus. Interpres Romanus, qui adnotationem Macchabaeorum MH non inseruit, posteriorem quoque laterculi in MNH memorati partem omisit⁷⁾: neque Nicomedenses quos MS refert (*Φίλιππος καὶ ἕτεροι δ'*) in MH redeunt.

Tomitanis BW addit *una die coronatorum*. Supra (XV kal. mai.) iam

1) Initium *passionis sanctorum Macchabaeorum* (apud Mombrinium II, p. 124; quae passio exscripta est ex libro II Macchabaeorum — VII et VIII, 1–7 — secundum Vulgatam editionem): Contigit autem *septem fratres cum matre* apprehensos compelli *rege* contra sqq.

2) P. de Lagarde, *Onomastica sacra*, Göttingen 1887, p. 117 sqq.

3) Rampolla del Tindaro, *Del luogo del martirio e del sepolcro dei Maccabei*, Roma 1897.

4) Antonini Iter, Geyer, *Itinera*, p. 190. Ioh. Chrysostomi *Oratio in Macchabaeos*, PG, L, p. 623 sqq. SC quoque eos *ἐν Κερατείᾳ* i. e. in Iudaeorum vico depositos esse refert.

5) L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, p. 265.

6) An in MN quo die mortuus est (Aug. 6) memoratus est et errato in MS ad Aug. 1 legitur?

7) Praeter Hippolytum ex episcopis Romanis „episcoporum et martyrum... primus sanctus Xystus” solus in MS legitur (C. M. Kaufmann, *Handbuch der altchristlichen Epigraphik*, Freiburg im Breisgau, 1917, p. 241 et 306).

adnotavimus id elogium minoris momenti esse, quam ut colligamus ex actis sumptum esse.

Adnotationem, quam BW habet *In Arabia in civ. Philadelphia synodus martyrum celebratur*, non intellego. W. Tell¹⁾ admonet persecutionem in Arabia exeunte VI saeculo coortam esse: de die quo omnium martyrum Arabum memoria celebratus sit, nihil repperi. Temporibus recentioribus articulus ignoto ex fonte exemplari Y adiectus est.

III non. aug. De Theodota cum filiis cf. *III non. sept.* Articulus *In Nicomedia VII, (E VIII) martyrum* falsus mihi videtur. *III kal. aug.* de *Niceta* iam egimus.²⁾ Stephanum postea tractaturi sumus. (Cf. p. 58).

III non. aug. < . . . Hermylus >.

Valde confusam et obscuram commemorationem de martyr(e) (ibus) Constantinopolitan(o) (is) legimus: *constantinopoli depos. metropoli ep. et alibi hermili mart.* (E); *Metropoli (Matrofili W) episc. et alibi Hermili mart. In Constantinopoli nat. sanct. Acellae* (BW). Florus³⁾, Ado, Usuard, Baronius articulo „Constantinopoli Hermelli” rem planiorem non faciunt. Hermilium Constantinopolitanum fuisse non arbitror. SC Ian. 13 (multi codices Iun. 1, 2) *Ἐρμούλου καὶ Στρατονίκου ἀθλήσων* memorat, qui martyres temporibus Licini Singiduni pro christiana fide martyrio coronati sunt. Hermylum, cum in elogio in SC relato et in actis primas partes agat, in MH solum memorari non mirum est. Qui martyr nomine Acellas significetur, ignoro. *Metropoli (Matrofili)* loco legendum est *Metrophanis*, qui episcopus initio quarti saeculi vixit, cuiusque memoria in SC Iun. 4 occurrit. De episcopis Metrophane et Alexandro acta exstant, quibus ex actis fieri potest, ut eorum adnotationes (*III non. aug.* et *III kal. sept.*) sumptae sint. In SC autem Aug. 2 „translatio” Stephani memoratur „Metrophanis ep. temporibus!” Aug. 2 et 3 de translatione *in MH agitur!* De Stephano p. 58.

1) Die Christenverfolgung in Südarabien und die himjarischa-ethiopischen Kriege nach abessinischer Ueberlieferung, Z. der deutschen morgenländischen Gesellsch., t. XXXV (1881) p. 1 sqq.

2) Theodota recte *III non. sept.* ex MS *in Nicomedia* adscripta est. Nicaeae martyrio est coronata; *III non. aug.* ex actis iterum legitur, quo die in BW ex tribus septem filii facti sunt. Qui martyres in vocibus *alibi, in Nicomedia (nat. martyrum VII)* iterari videntur.

3) Quentin, p. 337.

4) Id, quod Bollandiani (BHG, p. 104) putant. Neque SC neque acta martyres hac in urbe passos esse clare indicant. Acta habent corpora eorum tertio die, postquam in Istrum iniecta essent „in loco, qui XVIII milibus ab urbe Singiduno abesset” reperta et sepulta esse. Quae fortasse, cur in MH *et alibi* adiectum sit, explanant.

II non. aug. <Nicomediae Patricius ep.>

E *Nicom. isaci et rom. . . . bartholomiae*. BW *In Nicomedia nat. sanctae Sege (seiae W) et bartholomei*. Interpres, qui MN in syriacum transtulit, raptim exscribens adnotationes ab Aug. 1 usque ad Aug. 11 omisisse videtur (cf. III id. aug.). Nicomedensis martyr cui nomen Isaac vel Isacius ignotus est. SC quidem Aug. 3 Isaacium memorat, qui ineunte V saeculo vixit, sed idem vix putandus est. Urbain¹⁾ Bartholomaeum Romanum esse negat. Quibus diebus in MH Bartholomaeus legitur (id. iun., VIII, VIII kal. sept.) apostolus significatur. Fieri potest, ut *Isaci* depravatam nomen Irenei (id. aug.) sit; vero propius duco episcopum Nicomedensem Patricium designari. Cf. p. 8.

Non. aug. Axiopoli Irenaeus, Heraclius, Dasius.

De Afra XIII kal. ian.

VIII id. aug. De Afra XIII kal. ian.

VII id. aug. Antiochiae Sophronius, Veneria et alii VII(?)

De quibus nihil inveni (cf. XIII kal. ian.). Commemoratio mihi suspecta. E *et aliorum VII* Donato episcopo adicit, quod certe falsum est²⁾: *aritio donati et al. VII ausenti* [*Carpefori* B]. *Ausenti* depravatam nomen *Hilarini*, socii Donati videtur, *Carpefori* VI id. aug. *Romae* legitur. De Afra XIII kal. ian.

VI id. aug. Philadelphiae Leonides. <Nicomediae Nazarius, Iuliana, Agape, . . . >

SC Aug. 8 nomine urbis omisso *Ἐλευθερίου καὶ Λεωνίδου ἄθλησον* memorat, ex quibus Leonides fortasse idem est qui Philadelphenus in MH memoratus. Praeterea legimus *Nicomediae Nazari, Iulianae, Agapiae virg., Eutychiani, Corvionis (Corinthionis B), Diomedis, Matronae virg.*; V id. aug. in magno numero martyrum quorum origo obsura . . . *Nomediani, Laudici, Iuliani . . . Agatopi . . . Nimidiaci, Ladici, Iuliani*. Articulum VI id. aug. memoratum certum non puto.

V id. aug. Sirmii Rusticus et Alexandriae Antoninus.

Videntur codices plus martyrum „graecorum” habere, quam supra refeimus. Inspicias, quaeso, partem laterculi allati: cruce ante nomen apposita martyr alio die in vocibus *Romae* vel *Nicomediae* iam memoratus, cruce post nomen apposita nomen iteratum indicatur; litteris diductis episcopi Romani significantur.

¹⁾ p. 173. Liquet autem Nicomedensem in antiquiore exemplari inter nomina *Hyacinthi* et *Bartholomaei* appositum esse.

²⁾ Acta apud Mombrinium, I, p. 416 sqq.

[<i>In Oriente</i> , BW]	<i>Zmaragdi</i> (VI id. aug.)
<i>in Sirmi (Firmi BW)</i>	<i>Cum aliis</i> X
<i>Rustici</i>	<i>In Alax.</i>
* <i>Pergamo (Permoni BW)</i> (VI, IV id. aug.)	<i>Antonini</i>
* <i>Crescentionis</i> (VI, IV id. aug.)	<i>Tonioni</i> *
* <i>Tiburti</i> . . . (IV id. aug.)	<i>Tiburti</i> *
* <i>Romani</i> (IV id. aug.)	<i>Valeriani</i> *
* <i>Largi</i> (VI et IV id. aug.)	Dionisi
<i>Tiberiani</i> *	Felicis
<i>Theodori</i>	Euticiani
<i>Nomediani</i> (VI id. aug.)	Gagi
<i>Laudici</i> (VI id. aug.)	Melei
<i>Iuliani</i> (VI id. aug.)	Adisi
<i>Pauli</i> (VI id. aug.)	Tebaci
<i>Carpi</i> (VI id. aug.)	Urbani
<i>Primi</i>	Luci
Xysti	Manuni
<i>Agatopi</i> (VIII id. aug.)	<i>Satiri</i> (BW)
<i>et aliorum</i> XI	<i>Nicomedia</i> BW*
<i>Sintini</i> E	<i>Ladici</i> BW*
<i>Nimidiaci</i> E*	<i>Iuliani</i> BW*
<i>Ladici</i> E*	<i>Manon</i> BW*
<i>Iuliani</i> E*	<i>it Polycarpi</i> BW*
<i>Felicissimi</i> (VIII id. aug.)	
<i>Carpofori</i> *	

Cui turbae Theodorus, Primus, Sintinus (?) attribuendi sint, ignoro. De articulo *in Oriente* (BW) cf. p. 16. Antonini memoria iis, quae in SC Aug. 9 leguntur, (*Ἀντωνίνου. Οὗτος ὁ ἄγιος Ἀλεξανδρεὺς ἦν τὸ γένος*) confirmatur.

III id. aug. De Afra XIII kal. ian.; de Cyriaco VI et V id. aug.

III id. aug. Nicopoli Paulus (?)

MS *Ἐν Νικοπόλει Παῦλος*. Qui articulus in MH legitur: *Nicopoli passio multorum martyrum [quorum nomina Deus scit] BW*. Vir Romanus pro verbo q. e. *Παῦλος πολλοί* legisse videtur¹⁾.

II id. aug. Adnotatio *Et in Syria [in vico Margaritato BW] nat. sancti Macarii, Iuliani, [ubi multa religio convenit monachorum BW] mea* opinione ex actis sumpta est. Quod in BW legitur postea adiunctum esse veri simile non est. Totus igitur articulus antiquo exemplari adiectus

¹⁾ An perperam in MS *Παῦλος* legitur?

est. Vicus de quo dicitur, mihi ignotus, de martyribus nihil¹⁾ inveni. In fine laterculi *In Istria* (= In Syria) *Iuliani*; VIII kal. sept. articulus iteratur.

Id. aug. Synnadis in Phrygia Antoninus.

MS eundem martyrem memorat. BW iniuria ei episcopi titulum attribuere videtur.

XVIII kal. sept. Martyris memoria, quem MS Aug. 14 habet (*Ἐν Ἀντιοχείᾳ Βαρολαῶς*) in MH fortasse XIII kal. dec. occurrit: argumenta pauca sunt. Chrysostomus²⁾ dicit eius festum aestate celebratum esse, id quod Severus confirmat³⁾. Iis, quae acta latina et Prudentius (cf. III kal. iun.) habent, quaestio non absoluitur.

In initio laterculi *In siria demetri aquileia felicitis fortunatae* (E) *Gen-dara Syriae nt. Furtunati. In Africa Demetri et alibi.* (BW) In fine *Et Vindera Seri Eusebi tituli conditoris.* De verbis q. s. *tituli conditoris* cf. VIII kal. ian. Colligimus igitur cum viro docto Delahaye de conditore ecclesiae Romanae sermonem esse. (Rich *Romae sancti Eusebii presb.*) Praeterea memoratur Demetrius, qui Gindari in urbe Antiochiae proxima celebratus videtur.

XVIII kal. sept. Nicomediae <ex antiquis> Straton, Philip-pus, Eutychanus.

MS duos tantum Nicomedenses habet (*Φίλιππος καὶ Ἀντιόχος*). Cum SC Aug. 17 *Στράτωνος, Φίλιππον καὶ Εὐτυχιανοῦ* martyrium memoret et Bollandiani acta trium martyrum referant⁴⁾, Stratonomem duobus illis adiungendum et nominis Antiochi loco *Eutychiani* nomen legendum esse, arbitramur. *Cum sociis eorum* in B perperam adiecta videntur: sex diebus paene continuis in fine laterculorum haec verba in B inveniuntur⁵⁾, ita ut multum iis tribuendum non sit. De Maria cf. p. 55.

XVII kal. sept. Alexandriae Orion episcopus.

Articuli in MS et MH non consentiunt. MS: *Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Εὐδοτίων ἐπίσκοπος*; MH *In Alexandria Orionis (Aaronis B) Emili.* Utrum martyrologium recte habeat, non facile diiudicatur. Episcopus Alexandrinus nomine Euodion vel Orion ignotus est. Fieri vero potest, ut episcopus alicuius pagi circa Alexandriam siti, cuius dies natalis fastis metropoli-

¹⁾ Passionem de monacho Macario, quem Bollandiani Aug. 18 celebratum esse dicunt, evolere non potui: A. Papadopoulos-Kerameus, *Μαυρογορδάτειος βιβλιοθήκη*, Const. 1864.

²⁾ ed. Montfaucon, t. II, p. 681.

³⁾ AB, XXII, p. 129 sqq.

⁴⁾ BHG 1672. J. Pinius (AS 17 Aug. III, p. 418 sq) dicit se acta quae Lambesius indicat, invenire non potuisse.

⁵⁾ II id. aug. usque ad XV kal. sept. excepto die XVIII kal. sept.

tanis insertus sit, memoretur. Mirum est primo (vel secundo, si Petrus primus dicitur) episcopo Antiocheno nomen Euodium fuisse (cf. p. 10). Nomen in MS relatum (hvdjvn) depravatum nomen *Orionis* esse potest. *Emili* fortasse perperam scriptum est pro *episcopi*. In *Alexandria orionis* XVI et XIII kal. sept. nullo martyre adiecto iteratur. De Tyrso XV kal. febr. XVII kal. sept. (cf. ad XVIII kal. sept.) additamentum in W *cum sociis eius* falsum non est.

XVI kal. sept. <Caesareae in Cappadocia Mamas>.

E *Cessar. cappod. mammae monac. chalcedo. scae eufemiae mar. item mammetis it. irionis it. emili et alibi disei disciae* mammetae. De Mamante permultae passiones cum graecae¹⁾ tum latinae²⁾ exstant, ex quibus apparet Florum³⁾ recte elogium, quod in B Euphemiae adiectum est, Mamanti attribuisse. Quod elogium ex actis fabulosis depromptum est, quibus in actis martyr Ganggris in pago Caesareae proximo, natus esse fertur. Adultus pastor sua comitate omnia animalia sibi conciliavisse et domuisse. Post mortem multis locis colebatur⁴⁾. Cum nulla in vita „monachus” appelletur, hoc verbum videtur depravatum nomen alterius martyris vel Mamantis ipsius esse. Unde articulus MH adscriptus sit, non liquet. Acta graeca eum Sept. 2 e vita decessisse vel potius in Oriente cultum esse⁵⁾ dicunt; in actis latinis scriptum legitur: „erat in Caesarea Cappadociae” et in fine „passus est beatissimus Mammes in civitate Caesarea Cappadociae die decimo sexto calendae septembres”. Adnotationem ex illis actis desumptam esse veri simile est⁶⁾.

De Euphemia cf. XV kal. oct. *Orionis* et *In Alexandria Orionis* a die XVI kal. sept. iterantur. *Disciae* mihi videtur depravatum (Cappa) *dociae*.

XV kal. sept. In Ponto Amasiae Philanthes, Helianthes, Tatiana, Marciana.

Commemoratio in MS *Ἐν Ἀμασειᾷ Φιλάνθης καὶ ἕτεροι γ'* ita in MH redit: *In Ponto* [amaciae civitate BW] *Pontemi, Philantiae, [Tatianae], et Marcianae virg. Heliante virg. (helianae et lantiae E) [Pilentiae B] <Massae, Candidae>, Disciae, Maciae, Potomi, Martyrii, Agapiti et Ziai (Eziae B, eziaci W)*. In MK Aug. 18 memoria Massae et Candidae

¹⁾ AS, 17 Aug. III, p. 427.

²⁾ Mombritius II, p. 126.

³⁾ Quentin, p. 338.

⁴⁾ Cf. Les orig. p. 204; AB XXVI (1907), H. Delahaye, Saint de Chypre, p. 272; Greg. Naz. Orat. 43 in novam Dominicam et in S. Mamantem, PG XXXVI, c. 608; Basilii Hom. 26, De martyre Mamante, PG, XXXI c. 598.

⁵⁾ Medio iam saeculo V Constantinopoli Sept. 2 dies festus ad Mamantis honorem institutus erat. Cf. Chronicon Paschale ad annum 465, PG., XCII, c. 821.

⁶⁾ Nisi vero acta latina haec ex MH hauserunt. *Adnotatio*, si recta sit, ex fastis Caesariensibus sumpta, *elogium* ex actis appositum videtur.

occurrit. *Disciae* XVI kal. sept. iam legimus. *Maciae* et *Ziai* iterant verbum q.e. *Amasiae*; *Potomi* et *Pontemi* depravatam in *Ponto*, Agapitus idem qui Praenestinus martyr, cuius memoria in initio laterculi occurrit.

XIII kal. sept. Gazae Timotheus. < . . . **Silo, Rufinus, Leontius** >.

In laterculo nonnulla incerta sunt.

*E in ponto silonis et rufini.
in alexandria orionis.
in fabrateria magna leonti teodoli
cyrilli zelasi timothei ganddae*

[BW *In Ponto in Amacia civit nat
sanctorum Silonis, Rufini, Leonti
[et translatio sci. Ferreoli martyris
et sci Magni B]*

*Theodoli, Cyrilli, Zelasi, Timothei,
Gatae.*

In Alexandria nat. sci Orionis.

Estne vox In Ponto in Amasia iterata ab laterculo XV kal. sept. memorato an Silo, cett. Amaseni martyres sunt? Nullum martyrologium eos martyres habet; nihil de iis repperi. Puto igitur nomen urbis ad eos non pertinere, praesertim cum non omnes martyres, quos codices in *Ponto* enumerant, iungendi sint; *Zelasi, Timothei, Gatae* ad Palaestinos martyres pertinent. Cf. p. 45.

Quod ad Leontium attinet, in SC Aug. 18 quidam martyr nomine *Λέων* memoratur, *ὃς ἤθλησεν παρὰ θάλασσαν πλησίον Μύρων τῆς Λυκίας*. MH XIII kal. sept. *In Lucania . . . Leonti*¹⁾. Quid? Estne Lucanus martyr idem ac Lycius? Estne in codd. Leontius in voce *In Ponto* memoratus idem qui Lucanus? An Lucanus adscriptus est, quia martyr eodem nomine XIII kal. sept. memoraretur? Quae quaestiones resolvi non possunt.

Denique pauca de Magno. Ex laterculis liquet huius memoriam interpolatam esse. In SC Aug. 19 elogium legitur Andreae *μεγαλομάγντος*²⁾ qui cum MMDXCIII sociis temporibus Maximiani *ἐν τῇ ἀνατολικῇ χόρῳ στρατηλάτης* martyrium passus sit. Acta graeca³⁾ indicant: *in Cilicia*. In actis latinis⁴⁾ Magnus legitur Caesareae in Capp. mortuus esse⁵⁾.

XIII kal. sept. Alexandriae Dioscorus < **presbyter** >.

De Dioscoro cf. XV kal. iun. De Synnadenisibus XII kal. sept.

1) Acta praeterea sunt, in quibus legimus Leontium quendam cum Carpophoro XIII kal. sept. Aquileiae „sub Diocletiano” passum esse. AS, 20 Aug. IV, p. 35.

2) A quo verbo nomen *Magni* ortum videtur.

3) BHG 118, 119.

4) BHL 5154, 5155.

5) MH *In Fabrateria!* iam G. Cuperus (AS, 17 Aug. III, c. 701) „proponuntur, inquit „intricatae difficultates circa distinctionem variorum sanctorum, qui hodie sub eodem nomine coluntur”.

XII kal. sept. Synnadis in Phrygia <ex antiquis> Artosius(?), Diomedes, Zoticus, Agathangelus. <?...Traianus... Saturninus>.

Codices habent XIII kal. sept. *In Finnada civ. (Sindofagie B) Pisti, (Ortosii B) Arci, Diomedis, Agathini, (Agatangeli B) Zeli, (Zotici B) Pampi*; XII kal. sept: *In Alexandria Pristi (Pisti W), Sevi, it Quadrati episc.; Sindofagi Artivi, (Artorii W), Diomedis, Zotici, Zatangeli.* Videntur nomina *Pisti, Pristi, Ortosii, Arci, Artivi, Artorii* unum eundemque martyrem indicare, nisi forte nonnulla ex illis depravatum nomen *Phrygiae* ducenda sunt. Articulum Alexandrinum¹⁾ falsum puto. Quadratus est Africanus episcopus (Cf. MK Aug. 20). *Sevi* est depravatum *Zeli* (Zoticus). Synnadenses in MS memorantur *ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Ζωτικὸς καὶ ἕτιοι ἕτεροι μάρτυρες.* De Saturnino et Traiano cf. II. kal. nov. De Marino XV kal. iun.

XI kal. sept. In Ponto Neo-Caesareae Nectarius, <Saevus> (q. e. Gregorius episc.?)

De Saevo XII kal. sept. iam diximus. Nectar vel Nectarius prorsus ignotus est. Fortasse praeclarus Gregorius episcopus sub hoc nomine latet. De Alexandrino cf. XV kal. iun. et IX kal. sept. De Marino XV kal. iun.

X kal. sept. Martyres Aegaeates, quos codices habent, Claudius, Asterius, Neo, Domnina mea opinione ex actis laterculis Hieronymianis adiuncti sunt. Quae acta ex eadem officina ac martyrium Victoris, Victorini, cett. (cf. V id. febr.) oriunda videntur; quocum martyrio utique cohaerent. Haec acta²⁾ narrant tres fratres Claudium, Asterium, Neonem, cum mulieribus duabus, Domnina et Theonilla, (ex quibus posterior in MH non invenitur) in persecutione Diocletiani martyrio coronatos esse. SC eos nominat (Ian. 27 et Oct. 30) *Κλαύδιον, Ἀστέριον, Νέωνα, Νεονίλλην.* MH igitur actis latinis quam SC similis est, quod alteri argumento est eorum memoriam non ex graecis fastis sumptam esse.

VIII kal. Sept. Antiochiae Marinus.

Cf. XV kal. iun. MH eum iam XI kal. sept.; VIII kal. sept. alios „Antiochenos”, quos falsos arbitror, memorat. Conferas quaeso illorum nomina cum nonnullis VIII kal. *aug.* relatis:

<i>In Antiochia</i>	<i>Athenozeni (Athenogeni B)</i>
<i>Zenovi (Genobi B)</i>	<i>Theoginis (Theuzoni B)</i>
<i>Capitolini</i>	<i>Capitonis, [Cartonis E]</i>
<i>Emeritae</i>	<i>[Emerita B]</i>
<i>Italicae</i>	<i>Staciani (B), Stercati.</i>

¹⁾ *In Alexandria* ab articulo XI kal. sept. memorato iteratum est.

²⁾ Ruinart, p. 266 sqq.

VIII kal. sept. De Bartholomaeo cf. p. 65. De Iuliano II id aug. MS Aug. 25 Paulum vel Paulinum et Aug. 26 Hesychium memorat, de quibus IIII kal. iun. egimus.

VII kal. sept. Codices *In Salona Anastasi*, [*martyris; hic fullo fuit BW*] [*quique fidei suae merito inter martyrum numerum meruit coronari W*]. Iis, quae Achelis¹⁾ de hoc martyre disseruit pauca addam. Acta, ex quibus adnotationem manavisse puto,²⁾ sunt falsa. Attalum vel Anastasium quendam, de quo sermo est in passione *Agapiti Praenestini*³⁾ eundem esse quem fullonem, nondum mihi persuasi. Anastasius fortasse errato pro Attalo in nonnullis recensionebus legitur.⁴⁾ Paulum utique ad verum de Anastasio Salonito investigandum prodest.⁵⁾

VI kal. sept. Antiochiae Sabas <presbyter> et Alexander.

MS eosdem martyres afferens omisso urbis nomine Sabatem presbyterum dicit, quod verbum (presbyter) in MH periit. BW vero Alexandrum immerito abbatem dicit (quod verbum depravatum *Sabas* est). De Sabbatio XIII kal. oct. Achelis copiosius de „Tomitanis“ egit⁶⁾: pro *in Thmui in Thomis* scriptum esse. Ex XVII martyribus ex pago Oxyrincho a^o 303—304 passis⁷⁾ MH memorat *Marcellini tribuni, Manis (Mammaea) uxoris cum filiis Iohanne [et Sarapione clericis BW], Petri [militis BW] et alibi X (XL BW) martyrum [qui de graeco in latinum translati sunt BW]* In actis Iohannes et Babyllas filii, Chiron, cett. clerici. Achelis articulum ex MNH manavisse opinanti non assentior. Alii Thmuitani ex MNH sumpti in MH non leguntur: ex actis articulus excerptus videtur. Praeterea verba *martyres, qui de graeco* sqq. non sunt negligenda. Quae Achelis inuria ad XL (BW XL) Sebastenos pertinere putat. „Wie aber das MH dazu kommt die Akten (in MH VI id. mart. memorata) hier am 6 kal. sept. noch einmal zu erwähnen, ist unklar“ (p. 177). Nonne legendum est *et aliorum XI (XII) martyrum* sqq.? Hoc modo verba ad Thmuitanos pertinent; neque ceteros martyres Thmuitanos, qui in actis enumerantur, inexplicabili ratione excidisse sumendum est; difficultas, quam Sebasteni afferunt, tollitur. Praeterea

¹⁾ Die Mart., p. 170 sqq.

²⁾ Quae opinio Hieronymianis ipsis confirmatur, cum VII id. sept. legamus: *Et passio sancti Anastasi* (BW).

³⁾ AS, Aug. IV. p. 407 sqq.

⁴⁾ Haec scripseram, cum vidi Delahaye (St. Anastase martyr de Salone, AB, XVI, p. 488 sqq) eandam opinionem defendisse.

⁵⁾ Quam mire Ado hos martyres tractaverit, docet Quentin (p. 488).

⁶⁾ Die Mart., p. 173—177.

⁷⁾ Cf. acta: AS, 27 Aug. VI, p. 14 sq.

latina acta, quae restant, sine dubio a presbytero Iuliano filio suo graece dictata sunt. — Leguntur hisce diebus alii articuli minus perspicui:

VI kal. sept. E Rom. . . . *Stefani*.

VII kal. sept. B (VI kal. sept. W) *Constantinopoli sanctorum Olti (olii W) et Stephani [diaconi W]*.

V kal. sept. EBW *Constantinopoli Alexandri ep. Viviani ep.*

VI kal. sept. E (VII kal. sept. B) *Romae Hermetis et Basillae (basillae B)*¹⁾.

V kal. sept. E Rom. *Hermetis*.

V kal. sept. EBW *Romae [via Salaria vetere in cymeterio BW] [Basillae, B Hermetis BW] Basilei, Heliae, Stephani diac.*

Urbain martyres Basileum, Helian, Stephanum (?) „der in Constantinopel zu Hause ist“ ex fastis Romanis in ignoto quodam martyrologio adscriptas, inde in MH receptos esse putat (p. 187) „Man kann sich“. inquit, „die litterarisch-kalendarische Wanderung der Heiligen oft nicht compliciert genug vorstellen bis zu ihrer Sammlung im MH“. Esto: Stephanum diaconum Constantinopoli vixisse nulla re demonstratur. Conemur alia ratione hunc nodum explicare. Ex depositione martyrum Chronographi anni 354 constat verum articulum esse „V kal. sept. Hermetis in cymeterio Basillae Salaria vetere“. *Heliae* (et *Olti, Olii*) est depravatam *Basillae*. Idem error VII kal. ian. occurrit, a quo die *Heliae et Stephani* ut iterata sint, fieri potest. Veri similis puto nomen *Stephani* repeti ab die III non. aug., ubi bis legitur; III non. aug. enim (ex actis?) episcopi Constantinopolitani Metrophanis memoria adscripta est, cuius acta arte cum Alexandri episcopi vita coniuncta esse cognovimus (cf. III non. aug. et p. 35) Ecce ille Alexander VI kal. sept. invenitur²⁾. Vivianus est Gallus episcopus. (Cf. quae in fine laterculi leguntur).

V kal. sept. <Alexandriae Sarapion>.

De Alexandrino episcopo VI kal. sept.; de Alexandrinis XIII kal. apr.

III kal. sept. Sirmii Basilia virg. Antiochiae Nice, Paulus.

MS *Ἐν Σιρμίῳ Βασίλειος*. MH *In Sirmio Basillae virginis*³⁾. De Antiochenis nihil. De Heliseo p. 69. De Johanne Baptista p. 56.

¹⁾ W articulum in breve contrahit: *Romae in cimeterio nat. sanc. basele [maximiliani] sqq*).

²⁾ Fieri sane potest, ut Alexander ep. in MNH memoratus fuerit, sed ne in SC quidem solus memoratur. (Aug. 31 *μνήμη... Ἀλεξάνδρου καὶ Ἰωάννου καὶ Παύλου*).

³⁾ MS: bsjls. Lietzmann: *Βασίλλης*. Duchesne: *Βασίλειος*.

III kal. sept. Ancyrae in Galatia Gaianus, <Rufinus, Silvanus, Italica, Anthimus, Maximus>.

MS *Ἐν Ἀγκύρᾳ Γίλος μάρτυρ καὶ ἕτεροι ζ*, quem articulum II id. sept. in MH invenimus. Sept. 4 in MS *Ἐν Ἀγκύρᾳ Μάρκελλος καὶ ἕτεροι η*. Iam conferamus, quos MH iis diebus memoret:

II kal. sept.	II non. sept.	II kal. sept.	II non. sept.
<i>Gaiani</i> *	<i>Marcelli</i>	<i>Florenti</i>	<i>Eusebi</i>
<i>Iuliani</i>	<i>Gaiani</i> *	<i>Iustae</i>	<i>Gaiani</i> *
<i>Rufini</i> *	Helpidi	<i>Iuliae</i>	<i>Italicae</i> *
<i>Vincenti</i>	<i>Antoni</i> *	<i>Anthimei</i> *	<i>Gausuti</i>
<i>Silvani</i> *	<i>Rufini</i> *	<i>Maximi</i> BW*	<i>Magni</i>
<i>Italicae</i> *	<i>Silvani</i> *	it <i>Italicae</i> *	<i>Casti</i>
<i>Emiliani</i>	<i>Eustochi</i>	<i>Eladi</i> ep	<i>Saturnini</i>
[<i>Antiquirae</i> BW]	<i>Maximi</i> *	<i>Sergi</i>	<i>Donati</i>
		<i>Florentini</i>	<i>Decisi</i>

Florus II non. sept. ex codice B vel exemplari huic simillimo ad arbitrium duos priores et Vitalicam elegisse videtur: „Apud Ancyram Galatiae nat. martyrum trium puerorum Rufini, Silvani, Vitalicae“. Quae Quentin ex MH sumpta arbitratur.¹⁾ Valde autem dubito, an non Florus verba *trium puerorum* in MH legerit. Ex martyribus Ancyranis supra relatis sex (cruce adnotati) et II kal. sept. et II non. sept. memorantur. Quorum nomina in MH non ab altero die iterari videntur: in MNH sic ea adscripta esse veri simile est. Articulos in antiquam formam restituere nequeo. Quae nomina post *Italicae* (II non. sept.) et *it Italicae* (II kal. sept.) leguntur, ad Ancyranos pertinere non videntur²⁾. Eladius est Gallus episcopus (cf. VIII id. mai. et kal. iun.)

II kal. sept. De Ancyrensis III kal. sept.

Kal. sept. < . . . Euodius (Euprepius?), Hermogenes, Callista >.

MS *Ἐὐπρέπιος μάρτυρ καὶ ἕτεροι β*, quorum memoria in MH non redire Duchesne putat. Quod fortasse rectum non est. In SC Sept. 1 scriptum legitur *μνήμη Ἀγαθοκλείας, Καλλίστης, Ἐρμογένους, Ἐὐόδου*. In codice M synaxarii eius fratres leguntur, gladio percussi. Ecce in MH *In [villa BW] Herdona(e) [In Apolia BW] Siracussae, Erodi, (Euodi B), Hermoginis, Caleste*. Sine dubio idem martyres sunt, qui in SC leguntur; veri simile est in MS non alios memorari. Quo loco celebrati sint, non liquet. De Petro Alexandrino episcopo VII kal. dec.

²⁾ p. 340.

³⁾ *Magni casti Saturnini*; II non. sept. denuo leguntur (*ad sanctam Felicitatem*, quae verba ad Bonifacium pertinent).

III non. sept. Nicomediae <ex antiquis> Gorgonius, Zeno, Cosconius, Melanippus, Theodota et eius filii.

MS eundem articulum habet. Primum nomen in hoc martyrologio ('fjtrqjn, quod legi non potest) in MH *Gorgoni* legitur. De Zenone cf. XIII kal. febr. Supra (VIII kal. dec.) admonuimus passionem Theodotae cum actis Anastasiae coniunctam esse. Breviora et fide digniora acta Comfabis¹⁾ edidit, in quibus legimus Theodotam Diocletiani temporibus Nicaeae, quod Christiana esset accusata, a praefecto Bithyniae interrogatam, cruciatibus affectam, denique una cum III filiis „igni traditam esse". In AS e graeco codice, qui periit, martyrium Theodotae cuiusdam, quae Nicaeae Alexandri temporibus martyrium passa sit editum est²⁾. Sine dubio eiusdem martyris martyrium legitur, licet non omnia congruant. Vetustissima memoria Theodotae in MS legitur: *Ἐν Νικομηδείᾳ...* In MH III non. *aug.* ex actis: *Et in Bitia (in Caesarea Mauritaniae BW) Theodotae cum III filis suis (et VII filiorum eius, quorum gesta habentur BW)*. Nimium contendit Achelis³⁾ dicens Theodotam Sept. 2 mortuam esse. Quod in MS non indicatur. Quo die martyr Nicaeensis Nicomediae celebraretur, eo die eam e vita decessisse non constat.

Codices praeterea *In Alexandria Theodori*; id. sept. *Theodori ep.* In SC Sept. 12 *ἄθλησις μάρτυρος Θεοδώρου*, Dec. 2, 3 *Θεοδώρου ἐπισκόπου*. Fieri potest, ut martyr perperam ad III non. sept. (Sept. 2) in MH legatur pro die *Dec. 2*. Sin accuratius articulos Hieronymianos adspicias, apparet martyres Apulos, qui III non. sept. leguntur, et Theodorum et Antiochenum Timotheum id. sept. rursus memorari. Qui dies verus est? Diiudicare difficile est, quamquam id. sept. alteri praepono: In SC Theodorus Sept. 12 legitur; veri similis est Timotheum ab id. sept. ad III non. sept. iterari, quam ab III non. sept. ad id. sept. (cf. VIII id. apr.) De Timotheo VIII id. mart.

III non. sept. Alexandriae Aristion episcopus.

Quod ad episcopum, cuius memoria Sept. 3 in MS et in SC occurrit, id tantum dicere possumus, Alexandrinum episcopum huius nominis ignotum esse.⁴⁾ Lequien eum Alexandriae ad Issum sitae praefuisse arbitratur; id quod Stillingius et Delahaye dubitant.⁵⁾ E praeterea *Et in Syria Antoni pueri*. BW *Et in Syria in regione Apameae [vico Apro-*

¹⁾ Illustrium Christi martyrum lecti triumphi, Parisiis 1666, p. 247, sqq.

²⁾ 23 Oct. X, p. 12, sqq.

³⁾ Die Mart., p. 167.

⁴⁾ Elogium in SC locis communibus compositum. W: *cuius gesta habentur, cum sociis eorum!*

⁵⁾ AS, 3 Sept. I, p. 614 et AS, Propylaeum mensis nov. c. 945.

cavictu sub Constantio imperatore nat. sanct. W] Antonini pueri annorum XX (XII in Flori martyrologio). Bollandiani¹⁾ et Achelis²⁾ fusius egerunt de puero Antonio vel Antonino, praecipue quo modo MEM articulum hieronymianum tractaverint, quaesiverunt. SC Nov. 7 puerum memorat XIII annos natum, Iuliani temporibus Ancyrae cum parentibus martyrium passum. Delahaye adnotat (col. 964): „forte Ἀντωνίνος de quo Nov. 9“. Nov. 9 Antoninus dicitur λιθοτόμος ἐκ τῆς δευτέρας τῶν Σύρων ἐκ κόμης Ἀριβαζοῦ. Qui cum in pagum Capruagnidum venisset, idola in templo huius vici truncavit. Vehementer verberatus Apameam profectus est, qua in urbe postquam templum sanctae Trinitatis exstruxit, nocte gladio percussus est. Quae elogia magnis partibus cum adnotatione in MH relata congruunt: ex uno et eodem fonte (sc. ex actis) excerpta sunt.³⁾

II non. sept. Ancyrae in Galatia Marcellus, <Helpidius, Gaianus, Anthimus, Rufinus, Silvanus, Italica, Maximus, Eustochius.>

De quibus II kal. sept.

Non. sept. Alexandriae <in Aegypto> Nymphius <presbyter.>

In Alex. <Eutici, Maximi> Nimpi, <Saturnini>.

In Alex. civi. Nimfidae <Saturninae> Ingenui ep.

In Aegypto <Taurino>, <Saturnini>, Nemosati. Aropollini Sic E; sic fere omisso primo articulo ceteri codices. MS Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Νύμφιος (Νούμφιος, Duchesne; nvpjvs MS) προεσβύτερος. Euty chius, Maximus, Saturninus ab turba Ancyrensi II non. sept. memorata iterantur. Taurinus martyr est in portu Romano sepultus (cf. in initio articuli). Ingenuinus est Gallus episcopus, cuius acta exsistunt⁴⁾. *Nemosati* et *Aropollini* depravata nomina *Nimpi, Saturnini presbyt.* sunt.

VIII id. sept. <Ariarathiae in Cappadocia Cuttidus.>

E Capp. civi teriaten nt. cuttidi. Articulo verboso in W relato non procedimus: *In Territorio Cappadociae civitate Reaten natale sancti Cottidi cum sociis eorum*⁵⁾ (De sociis cf. XVIII kal. sept.).

VII id. sept. Martyres, quos MS indicat, (Πανλῖνος καὶ ἕτεροι δ') in

1) AS, Iul. II, p. 7 sqq, AS, S Sept. I, p. 340 sqq.

2) Die Mart., p. 177 sqq.

3) ML (ex MH, Quentin, p. 215) „Apud Apameam civ. passionem s. Antonini mart. Cf. de verbo q. c. passio p. 19.

4) BHL 4273, 4274.

5) Rabanus, Notker, Usuard, Baronius, eum diaconum dicunt. Unde sumpserint, divinet qui potest.

MH non redeunt. Cum VIII id. sept. et diebus posteris Alexandrini memorentur, eos in ea urbe passos esse veri simile est. De Anastasia cf. VII kal. sept.

VI id. sept. Alexandriae Ammonius, Faustus, Dios, Theophilus et alii XX(?).

MS Sept. 7—14 multos martyres habet, quos Alexandrinos esse ex MH et Eusebii libro apparet.

Sept. 8 *Φαῦστος πρεσβύτερος καὶ Ἀμμώνιος καὶ ἕτεροι μάρτυρες κ'.*

Sept. 9 *Σιλβανός.*

Sept. 10 *Νεμέσιος* (Duchesne) (mnm'js MS) *καὶ ἕτεροι ιβ'.*

Sept. 14 (11?) *Ὡρος ἐπίσκοπος καὶ Σεραπίων πρεσβύτερος.*

	MH			Euseb. HE
<i>Ammoni (et al. XXX)</i>	VI id.	III id.		VIII, 13 presb.
<i>Fausti</i>	"			" presb.
<i>Serapionis</i>	"			
<i>Pii, et Pii</i>	"			" presb.
<i>Theofili</i>	"			VI, 41
<i>Neotheri (et al. XXII)</i>	"			
<i>Nemesi (et al. VIII)</i>	"	"		"
<i>Arioni</i>	"	"		"
<i>Ammoni</i>	"	"		"
<i>Petri(ni)</i>	"			VIII, 13 (ep?)
<i>Sevini</i>	"			
<i>Demetri et al. XL</i>	"			
<i>Dudini</i>	"	"		
<i>Mitoris</i>	"	"		VI, 41 (Metras?)
<i>Panemodi</i>	"	"	III id.	
<i>Achilae</i>	"	"		
<i>Isidori</i>	"	III id.		"
<i>Serapionis</i>	"	"		"
<i>Migitiae</i>	"	III id.	"	
<i>Orosei (et al. DCCCVI)</i>	"	"	"	
<i>Silvini</i>	"	"	"	
<i>Orobionis (et al. CXXII)</i>	"	"		
<i>Metri</i>	"	"		
<i>Severi (et al. XII)</i>	"			

Apparet neque MS neque MH ex ipso Eusebio hausisse. *Νεμέσιος* (?) in MH legitur *Neotheri, Demetri, Nemesi, Severi!* Roget quis, sintne Silvanus, Nemesius, Horos, Serapion, quorum nomina Sept. 9, 10, 14 in MS occurrunt et III, III id. sept. in MH leguntur idem, quos VI id. sept. in MH inveniamus. Nomina valde usitata sunt: attamen eos omnes

VI id. sept. in MH memorari puto. Si veri sunt numeri in MS dicti locis Eusebiani libri collatis XXIII martyres (qui Sept. 8 et 9¹⁾ in MS leguntur) in Diocletiani persecutione²⁾, XV (qui Sept. 10,³⁾ 14 in MS memorantur Decii temporibus coronatos esse⁴⁾ putandum est. Quo modo interpret Romanus eos in MH transtulit? Vidit omnes martyres, qui Sept. 8—14 in MNH legerentur, unam turbam efficere; cur eos cum ad dies suos, tum VI id. sept. alio ordine ac in MNH memorati esse videntur, omnes adscripserit, nescio. Ex XX aliis (Sept. 8) duo nominat, ex XIII (Sept. 10) ad duodecim. Quos titulos MS nonnullis attribuit, hi in MH omnes exciderunt. Neque Nemesius neque Sarapion apud Eusebium presbyteri dicuntur: episcopus Alexandrinus nomine Horos ignotus est⁵⁾.

Praeter Alexandrinos VI, V, III id. sept. Caesarienses multi memorantur, de quibus pauca dicenda sunt.

VI id. sept. *In eadem die Collectio Caesarea Capp. et totius territorii. In Damasco multorum martyrum corporum* (B).

V id. sept. *In Cess. Capp. Donati, Cleasi [Ammoni BW] Fortunati.*

III id. sept. *In Cessar Capp. Eufepiae (Euptiae BW), Alexandri (In Alexandria E) [aliorum DCCC] Cupsici, Hisici, Alaponi, Silvasi cum aliis V.*

Bollandiani ipsi cum in calce paginae adnotent „signis appositis monet antiquarius verba „*collectio-territuri* ponenda esse post *Damasco*“, apparet *in Caes. Capp.* iniuria VI id. sept. legi. Ceterum de hac „*collectione*“ nihil⁶⁾.

Eupsychius Caesariensis in SC Sept. 7 et Apr. 9 memoratur. Altera iam parte saeculi IIII magno in honore erat⁷⁾. In MH *Eufepiae, Cursici, Hysici* dicitur. Donatus, Decicus II non. sept. inter pseudo-Ancyrenses, Aloponus et Silvanus VI id. sept. inter Alexandrinos leguntur. De Timotheo VIII id. apr. De Adriano IIII non. mart.

¹⁾ HE VIII, 13 duo martyres quibus nomen Sarapion leguntur: alter episcopus „apud Gazam“ (Rufinus), alter „Emisenorum ecclesiae“.

²⁾ Eusebius praeter IIII quos rettulimus ex urbe Alexandria nullum memorat; ex Aegypto quidem *μυρίους* memorandos esse dicit. (Schwartz, p. 774).

³⁾ Sept. 10 MS *καὶ ἑτεροὶ β'* (Duchesne); Achelis (Die Mart., p. 46) *καὶ ἑτεροὶ β'*; Lietzmann (p. 14): und 17 andere!

⁴⁾ Eusebius multo complures nominatim memorat. SC XIII alios refert.

⁵⁾ De Fausto non omnia consentiunt, nisi plures presbyteri huius nominis fuerunt. Eusebius narrat (HE VII, 11, 3, VII. 11, 6) Valeriani in persecutione Faustum diaconum confessorem fuisse; HE VII, 11, 26, VIII, 13 presbyterum Diocletiani temporibus passum esse: SC Faustum presb. Deciana in persecutione coronatum esse refert.

⁶⁾ In SC Nov. 1 et 4 in Damasco *Δάσιος, Σάβας καὶ ἡ συνουσία αὐτῶν.*

⁷⁾ Les. orig. p. 205.

V id. sept. Alexandriae Silvanus.

III id. sept. Alexandriae Nemesius presb., Orion, Ammonius, Petrus, Sabinus, Demetrius?, Didymus, Mitisorus (Metras?), Panemotius, Achilles, Isidorus, Sarapion, Migitias (Nicetas?). Caesareae in Cappadocia Eupsychius.

III id. sept. Alexandriae Horos episcopus et Sarapion presbyter.

De quibus omnibus ad VI id. sept.

II id. sept. In initio laterculi *In Pamphilia nat. Siri (Syriae Rich)* est suspiciosus articulus. Florus: „Apud urbem Ticinum, quae et Papija dicitur, sanct. conf. Syri et Inventii sqq”, quod elogium epitome actorum est in quibus „episcopi Ticini” dicuntur, qui saec. II et III vixerunt. Quaeritur sitne articulus ex actis, an acta ex articulis orta. MK praetera Sept. 12 sancti *Ampeli*, cuius nomen in MH verbo q. e. *Pampil.* legitur.

Videntur porro codices servare vitiosum martyris „Nicomedensis” nomen, quem *Ammoni*, *Amenone*, *Amnone* dicunt. SC et acta habent martyrem, cui nomen Autonomon Diocletiani temporibus ex Italia expulsum in vico Soreis Nicomediae proximo comiter a Cornelio quodam acceptum esse; inde aliquoties in proximas regiones evangelium praedicavisse, denique a paganis lapidibus obrutum esse. (Sept. 12). Qui Autonomon autem non idem est, qui in MH legitur. Nov. 17 MS *ἐν Νικομηδείᾳ Ἀμμόνιος καὶ . . .* quae adnotatio in MH legitur *In Nicomedia Ammonis; et in Assia [filiae BW] Matronae et Teclae virg.* et paulo infra in E . . . *Ammoni Nicom sanct. Diophidis, Matronae, Teclae, Didae.* Ad II id. sept. in MH eadem inveniuntur *Nicom. Ammoni; In Asia Diofili, Matronae, Teclae virg. Heracli!* Adnotationem (*In Asia?*) *Theclae virg.* in margine adscriptam fuisse patet (cf. VIII kal. mart.) Altera est quaestio fuerintne ceteri martyres Nicomedenses, an hac in urbe alienigenae celebrati sint. De Autonomo iam egimus. Martyr nomine Matrona Nov. 9 Pergae in Pamphylia memoratur in SC et in actis¹⁾. Sitne eadem quae „Nicomedensis”, nescio. Denique invenitur *Et alibi Eusebi ep.* Cum complures episcopi huius nominis fuerint, difficile est dicere qui significetur. Idemne est qui Sept. 16 in MS legitur *Ἐν Ἀγκύρᾳ?* An Nicomedensis episcopus? (cf. p. 9). An qui Nov. 8 in MS (et MH) memoratur?

Id. sept. Alexandriae Theodorus episcopus.

Qui episcopus ignotus est. Vitam fabulosam referunt Synaxaria. MEM id. sept. elogium Philippi episcopi Alexandrini habent²⁾; Baronius agit

¹⁾ BHG 1221 – 1223.

²⁾ Quentin p. 515 sq. A. von Gutschmid, Kleine Schriften II, eum non refert.

de Eulogio episcopo (a° fere 625). In C ex fonte ignoto *In Constanti-nopoli dep. s. Iohannis episcopi.*

XVIII kal. oct. De Sarapione in MS VI id. sept. De exaltatione crucis p. 57.

XVII kal. oct. Alexandriae trium fratrum Leontius, Sara-pion, Kronis. Ancyrae in Galatia Seleucus, Valerianus. In Bithynia Straton. Tomis Macrobius, Gordianus epi-scopus, Valerianus. <Nicomediae Amphion ep.>

Codices confusiores laterculos habent:

E *Nat. serapionis, leonti*

et in ancira gallit. seleuci valeri cirionis

et in tomis stratonis, macrobi . . . nicom. artei

B. *In Alexandria n. s. trium fratrum id est Cyrini Serapionis et Leonti, Croci*

Et Ancira Galatiae Seleuci Valeri

Et in Thomis civ. Nat Stratonis

Valeri, Merobii et Gordiani ep.

Nicomedia Marcii et Archeon . . .

Codicibus Synaxarii Const. allatis nonnulla explicare possumus. Quo-rum plerique habent *μνήμην τῶν ἁγίων Κρονίδου, Λέοντος καὶ τῶν ὄντων αὐτοῖς*. Nonnulli habent Sept. 13: *Ἱερωνίδου (Κρονίδου), Λεοντίου, Σαραπίωνος, Σελεύκου, Οὐαλεριανοῦ καὶ Στρατόνως*, ex quibus tres qui primi dicuntur Alexandriae, Seleucus et Valerianus in Galatia, post-remus in Bithynia uno et eodem die martyrium passi sunt. Nonnulli ex laudatis codicibus et alii praeterea nonnulli Sept. 13 referunt Macrobius Cappadocem et Gordianum Paphlagonium Licini temporibus in Thraciam relegatos, Tomide Christianos quosdam offendisse, quibuscum necati sint; martyrem nomine Valerianum in eorum sepulcrum animam effla-visse. Quod martyrium mea opinione ex articulis in MH memoratis pendet. Quod ad priores pertinet MS *ἐν Γαλατία Σελένκος καὶ ἕτεροι ε'* habet. Quos martyres VI MH (ex MNH) eodem ordine, iisdemque nomi-nibus ac SC memorat. Utrumque martyrologium ex uno fonte hausit, nisi fallor e fastis, qui fasti MN fuisse videntur. Qui MN in syriacum transvertit pro sua neglegentia omnes Galatiae attribuit.

Sintne duo an unus martyr Nicomediae attribuendi dubitandum est. Dubitandum est sitne *In Nicomedia* rectum. Codd. Rich, E¹, R³, L, M, V (*Romae*) *Nicomedis martyr*. Constat presbyterum et martyrem nomine Nicomedem in via Nomentana sepultum esse¹⁾. Urbain suspicatur²⁾ verba *in via Nomentana*, quae XVI kal. oct. bis leguntur, cum illo nomine coniungenda esse. Nonne *artei, archeon, martii* depravatam

¹⁾ Cf. H. Achelis, T. u. U. XI, 2, Leipzig 1893, pp. 16 et 42 sq.

²⁾ p. 194.

martyris vel *presb.* esse possunt? An sub his nominibus episcopus Amphion latet (cf. p. 9). De Paulo (Paulino) XV kal. oct.

XVI kal. oct. <Ancyrae Eusebius episcopus.>

De Euphemia id. apr. MS Sept. 16 Ἐν Ἀγκύρᾳ Εὐσέβιος, quem fortasse in MH II id. sept. redire diximus (II id. sept.). Eum episcopum fuisse MS non indicat.

XV kal. oct. In Abrettena Socrates, <Stephanus>. Chalcedone Seleucus Aegyptius [aut? et] Euphemia. <Novioduni Valerianus, Macrobius, Gordianus, Hesychius.>

Martyres, qui XVII kal. oct. Tomis memorantur, XV kal. oct. in voce In Novioduno leguntur. Verbum q. e. *Neveduno* depravatum *Tomis* esse difficile probatur. Cum vero praeter martyres Tomitas verba *In Nuceria Constantiae* et *Paulini ep.* ab XVII kal. oct. iterentur, videtur Tomitanorum articulus XV kal. oct. rursus legi. Articulus autem XV kal. oct. iteratur: *Macrobi, Gordiani, Hesychii!* Legimus praeterea post *Euphemiae* nomen *Saleosi Stoporei* (E); *Seu Posto* (B); *Saleosi sui portio* (W). Latetne sub hisce verbis nomen martyris *Seleuci Aegyptii* Sept. 17 in MS memorati? Estne nomen *Euphemiae* MNH adiectum an in MS omissum? Articuli Sept. 15, 16, 17 in MS memorati satis vitiosi sunt: Seleucus cum V aliis non omnes Galatae sunt, Ancyra fortasse ad Galatiam pertinet, Seleucus fortasse cum Seleuco Galata cohaeret. In initio laterculi E *Brittan. Socratis, Stefani*. Vir doctus Serruys¹⁾ iam adnotat Socratem Mysianum martyrem et Abrettenam partem Mysiae esse. Nomen huius Socratis in actis Theodoraeg Pergensis et Theodotae²⁾ legitur. Quamquam hae martyres in MH non inveniuntur, videtur Socratis memoria cum Theodotae memoria coniuncta esse: Theodota et Socrates Oct. 23 Constantinopoli celebrabantur (SC); quo die MH Socratem memorat, recentiores codices SC Theodotam referunt!

XVIII kal. oct. Nicomediae Oceanus.

Ad diem XVIII kal. oct. sqq codex E ab exemplari Y multum differt. Videamus primum quae de Trophimo referantur.

XVIII kal. oct. E Chalcedo. Trophimi . . . et Sinnada Frig. Aletropi. BW In Alexandria Trofimi.

XIII kal. oct. BW In Sinida frigie nat. Trophi.

XII kal. oct. E In Syria frig. nt. Doromae Dionisii, BW Sinnada sc. Dorome Dionisi et Dorothei.

MS Sept. 20 Ἐν Συννάδοις ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Δορυμέδων.

¹⁾ La patrie de Socrate, AB, XXX, p. 442 sq.

²⁾ AS, Oct. X, p. 12 sqq; SC Oct. 23, Sept. 17.

³⁾ Delahaye exponit (Les orig., p. 178) Socratem in Abrettena saec. V celebratum esse.

SC Sept. 19 *Τροφίμων, Σαββάτιου καὶ Δορυμέδοντος*. In elogio omnes Probo Imperatore vixisse narrantur: Sabbatius Antiochiae in Pisidia pro fide Christiana a Vicario usque ad mortem cruciatus, Trophimus et Dorymedon Synnadis a Perinio Dionysio securi percussi esse. Quae actis a Metaphrasto editis¹⁾ confirmantur: Trophimum et Dorymedontem quodam die Antiochiam Pisidiae venisse; ad vicarium ductos, Sabbatium multis cruciatibus animam efflare, Trophimum ad crudelem „praesidem” Phrygiae nomine Dionysium mitti: a quo in carcerem coniectum martyri Dorymedonti viro nobilissimo deservire. Duos martyres, cum aliquanto post feris obiecti „illaesi evasissent”, ab Dionysio irato securi percussos esse. Quamquam in illis incredibilia pauca inveniuntur, martyrologiis allatis res certas actis subesse puto. Neque facile diiudicatur sitne Trophimi memoria ex MNH an ex alio fonte deprompta. Dorymedontem eodem die ac in MS in MNH inventum esse liquet. Sabbatium Aug. 27 in MS memorari satis constat. Qua forma adnotatio Trophimi XIII et XIII kal. oct. legatur, si animadvertimus, videtur ex fastis sumpta esse. Nomen *Dionysi* librarium, qui illos martyres adscripsit, actis fortasse usum esse, admonet. *Dionysi* depravatum *Dorymedontis* esse credo, id quod iis quae W habet confirmatur. Arbitramur igitur utrumque martyrem Sept 20 (19 vel 18) in MNH repertum fuisse²⁾. —

XIII kal. oct. Alexandriae Demetrius, Castor
 <Phaenone?> **Peleus, Nilus, Patermuthius, Elias.**

E XIII kal. oct. In *Alexandria Demetri* <Pallae, Nibi, Parimadi, Heli,> *Castoris*, <Saturi,> <Niceti epis>. (BW eadem fere XIII kal. oct.). XIII kal. oct. in *Alexandria Demetri, Castoris* <et Aniceti>. *Palla* cum suis sunt Palaestini martyres, de quibus p. 46. *Saturus* et *Nicetas* nescio qui sint³⁾. XIII kal. iam legitur <in *Nicom.*> *Syxti, Medethei, Saturi* . . . Alexandrinos eos non esse mihi persuasi. Articulus quadam ex parte cum iis, quae MS et SC habent, congruit. MS *Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Κάστωρ καὶ ἔτεροι μάρτυρες ια'*. SC Sept. 18 *ἄθλησις Κάστωρος καὶ Θεοδώρας*. MS si recte undecim socios Castori addit, interpret Romanus eos in MNH reperisse non videtur. De Trophimo cf. XIII kal. oct.

XII kal. oct. Synnadis <in Phrygia ex antiquis> Dorymedon et Trophimus.

De Dorymedonte XIII kal. oct. De Matthaeo p. 65.

XI kal. oct. De Matthaeo et Luca p. 65, 66.

¹⁾ PG, CXV, c. 733 sqq.

²⁾ Cur Dorymedon in MS solus legatur incertum est. Trophimum Synnadis celebratum esse ostendit Ramsay, A martyr of the third Century, The Expositor, June 1910, p. 481 sqq.

³⁾ XIII kal. febr. ep. Lugdunensis huius nominis memoratur.

X kal. oct. Rich. medio in Gallorum articulo *cum aliis sex milibus sescentis sexaginta sex martyribus sociis eorum*. O autem *sex milia quingentos quinque mart. de thebaidis*. Qui sunt?

VIII kal. oct. <Alexandriae Marcus evangelista. Ancyrae infantes, qui mammis matrum erepti passi sunt.>

De Marco p. 66; de innocentibus in MS memoratis p. 63; de Thecla vid. VIII kal. mart.

VIII kal. oct. De Iohanne Baptista p. 56.

VII kal. oct. <In Asia Bardonianus, Eucarpus et alii XXVI.>

E martyres memorat, quos BW Asiae adiungit. SC Oct. 7 (agimus de die VII *kal.* oct.) elogium habet Polychronii, cuius patri nomen Bardonius. Quem catholicam fidem secutum post mortem Constantini Imperatoris „κακόδοξοι τοῖς ξίφεσιν κατέκοψαν". Ian. 27 codex P memoriam Πολυχρονίου, Βαρδανίου καὶ Ἐρμολογέουσις habet. Cum nomina in MH et SC non prorsus congruant, neque in fastis graecis Polychronio tantus sociorum numerus adiungatur quantus in MH, eos eosdum existimare non audeo. An ab XVII kal. oct. Gordiani articulus repetitur et *Eucarpi* in voce *et alibi* legendum est (B)?

V kal. oct. Caesareae in Cappadocia Eleutherius.

Multi articuli V kal. oct. memorati ad hanc disputationem pertinent. Iam primo adnotationem Cosmae et Damiani propius adspiciamus. E eos *in Byzantio* memorat. Uterque praeclarus martyr Constantinopoli magno in honore erat¹⁾. Nullo autem in libro vel martyrologio martyres Byzantii vixisse memorantur, licet passiones multum varient. In SC legimus Oct. 17 Ἰστέον ὅτι τρεῖς εἰσιν συζυγία ἀγίων ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανῶν; duos martyres quibus haec nomina in Asia vixisse, (Nov. 1, Dec. 3, 9) duos Romae, (Iuli 1, Oct. 29) duos ex Arabia in Asiam profectos Aegaeis in mare iniectos ab angelo servatos esse: denique cum tribus fratribus securi percussos esse²⁾. (Occurrit memoria quinque Oct. 17, Nov. 26).

¹⁾ Les Orig., p. 274.

²⁾ Multi martyres quibus haec nomina unquam exstitisse negant. (L. Deubner, Kosmas und Damian, Leipzig 1907, p. 58; quae Deubner postea autem retractavit, Berl. Phil. Wochenschrift XXX, 1910, col. 1286)

In MH eorum ¹⁾ memoria V kal. oct. E *In Bizantio Cosmae et Damiani*. Rich *Et in Bizantio quinque fratrum Cosmae et Damiani, Antimi, Leontii, Eutropii*. Hanc memoriam, quippe quam in MH alio die ac in SC datur legamus, ex fastis graecis (MNH) sumptam esse non puto. Quae in MH leguntur ad Romam et ad „Arabes”, qui Aegaeis passi sunt, spectant. Codex R: *Romae nat s. Cosmae, Damiani*, nec qui exemplar Y exscripsit Arabum passionem ignorat: *Aducie* (ad Asiam) *civ. Egia nat. sanct. Cosme, Legonti et Damiani mart.* In E quoque vestigia huius articuli: *egas romani mart.* Beda, qui exemplari codici E simillimo usus est *In Byzantio* non legisse videtur ²⁾. In antiquissimo martyrologii exemplari non legebatur. De Timotheo cf. p. 68. De Taracho, cett. non. apr. De Eleutherio VI non. oct.

III kal. oct. In MS Ἀστερίος memoratur, qui in MH non redit.

III kal. oct. Heracleae <in Thracia> Euty chius <episcopus Genesisius, Sabinus, Euty chius.>

Ἐν Περίων Ἐδτυχῆς (Ἐδτύχιος? MS 'Utjks) ἐπίσκοπος καὶ Γενέσιος καὶ Σαβῖνος καὶ Ἐδτυχῆς μάρτυρες. Ita MS. In MH articulus legitur [*In Tracia civit. BW*] *Eracla Eutici, Plauti, . . . Eracla civit. (Eracliae, Traciae BW), Placidi, Ambodi (Anbuti BW) . . . [et alibi WB] Possesi, (Sosi BW), Ianuari, Ampli, (Ampuni BW) Celedoni*. Inter Heracleenses nomina nonnullorum Campanorum martyrum leguntur Puteolis Diocletiani in persecutione martyrio affectorum. Qui sunt Ianuarius ep., Socius, Festus, Proculus, Desiderius, Eutyche, Acutius. Plerique ex iis in articulo leguntur ³⁾. Suntne Heracleenses a Campanis expulsi an in MNH non legebantur?

II kal. oct. MH: [*dep. BW*] *Hieronimi presb. [in territorio Hierusolimitanae BW] civ. castello Bethlem;* de quo Prosper Tiro ⁴⁾: „Hieronimus presb. moritur anno aetatis suae XCI pridie kal. oct.” SC (cod Mc) eum Iun. 15 memorat. Articulus in Occidente MH adiunctus est.

¹⁾ Acta graeca tres narrationes habent; acta latina tertiam modo. Deubner l.l. p. 80: „das Arabische Martyrium ist in Rom erfunden”. Idem arbitratur (p. 81) „dasz die Asiaten das älteste Heiligenpaar vorstellen”. Stillingius (AS 27 Sept. VII, p. 438) Baronius (Mart., Sept. 27), Lucius (Die Anfänge, p. 256) Arabes martyres antiquitus passim cultos esse putant. Unde eorum cultus per totam fere orbem terrarum dispersus sit, inter viros doctos non convenit. Deubner Constantinopoli initium celebrationis putat (p. 51), Lucius Aegaeis, (p. 258), Delahaye (Les orig, p. 223) Cyri.

²⁾ Quentin, p. 70: „Natale sanct. Cosmae et Damiana . . . in civitate Aegea . . .”

³⁾ Qui Campanos sive omnes, sive nonnullos ex iis cum die suo (XIII kal. oct.), tum VI id. sept. IX, III kal. oct., id. oct., XVII, XV, XIII, XII kal. nov. in MH invenio!

⁴⁾ Mommsen, MGH, Chronica Minora, I, 2, p. 51.

Kal. oct. Tomide Priscus, Euagrus.

In Thomis nt. Prisci et Evagri . . . Criscenti Denegotiae (Faustini, Marcialis, Ianuari), *Alexandri, Eutropi, Pigrae*, (Dignae BW) *Cotiae, Saturnini, Spei, Casti, Primi, Donati, it Dignae* [Cotiae, it *Cotie, passi Coppi* BW] *Thomis [civi]. Charisti (Cristi* BW). De Dinogetia cf. II id. mai. et id. mai. Martyres Faustinus, Martialis, Ianuarius mense octobri non minus quam decies inveniuntur: II non. oct. (*in Africa*), VIII id. oct. (*et alibi*), V id. oct. (*In Anazobon*), III id. (*In Spanis*) (*et alibi*), XV kal. nov. (*In Africa*), III kal. nov. (*In Nicomedia*) (*in Antiochia*), V id. nov. (*In Spanis*)¹). Pridie non. oct. nomina *Saturnini, Emili, Casti* in vocibus *In Apulia* et in *Capua* redeunt. Primus, Donatus nomina Africana sunt. *Charisti, Cristi, Criscenti*, depravatam nomen *Prisci* videntur, Eutropius idem esse qui Euagrus.

VI non. oct. Nicomediae Eleutherius.

In MH Eleutherius Nicomedensis ex MNH translatus est. BW addit *cuius gesta habentur*. Ado²) passionem refert, in qua martyr dicitur primus fuisse ex iis Christianis, qui propter incensum Palatium interfecti sunt. Quod falsum est: persecutio ea VII kal. mart. initium fecit, mense fere maio finem cepit³). Ado quae scripsit, ipse commentus est. Quod indignum videtur. Sin autem quam mire Ado fontibus suis usus sit, martyrologiumque suum composuerit, cognoscimus⁴), non iam resistimus⁵).

Graeci Aug. 4 martyrem nomine Eleutherium cubicularium Maximiani Imperatoris, quem Byzantio discedentem ad Sigarum flumen casam construxisse et ab Imperatore Christianum compertum gladio percussam esse narrant. In actis graecis Eleutherius quidam „Tarsiae in Bithynia” vixisse dicitur, qui fortasse idem est, qui in MS memoratur. Idemne et Caesareae celebrabatur V kal. oct.?

SC Oct. 2 Antiochenos *Κυπριανὸν καὶ Ἰουστίνην* refert: Iustinam una cum Cypriano in persecutione Diocletiani Nicomediae securi percussam esse. Acta graeca⁶) eadem fere continent. Acta latina narrant⁷) Theognitum quendam, qui Cyprianum oscularetur, truncatum esse. Oct. 4 in SC et MS *Θεοτέκνον* memoria occurrit. MH V non. oct. *In Antiochia Theoctisti*. Veri simillimum igitur est VI non. oct. in MH sub nominibus *Primi*,

1) Ad Cordubam pertinent: AS, 13 Oct. VI, p. 193.

2) Quentin, p. 615.

3) Lactantius, De mortibus persec. § 12, ed. Brandt-Laubmann, p. 186.

4) Quentin, p. 485—649, Les sources d'Adon et sa methode.

5) Primus martyr Euethius fuit (Cf. Febr. 24 in MS).

6) BHG 452—461.

7) Sept. 26 = VI kal. oct.; Oct. 2 = VI non. oct.

Quirini, Epetini martyrem Zachaeum in MS Oct. 3 memoratum latere. Qui martyr mea opinione idem est qui Cyprianus in SC relatus. Nomen in MS in antiquissimo fonte rectum putare non audeo: saepius in MS nomina vitiosa leguntur!

V non. oct. Antiochiae Primus, Quirinus, Epetinus?

De quibus VI non. oct. In E *In Aegypto* Marcus et Marcellinus memorantur, quos ceteri codices III non. oct. habent. Florus¹⁾ articulum ex MHB exscribens addidit (ex MH?) „fratres”. Ado adiungit „et cum eis innumerabilium aliorum non inferioris gloriae utriusque sexus atque aetatis” sqq, quae leguntur apud Eusebium—Rufinum (HE, VIII, 8). Sine causa Ado duos illos in numero horum innumerabilium, quorum Eusebius neminem nominatim indicet, fuisse statuit. Satis constat martyres XIII kal. iul. in MH memoratos hic denuo legi²⁾. Praeterea in MH III non. oct. Marcellinus vel Marcellus ep. legitur et non. oct. Marcus ep; qui uterque in cymeterio Balbinae depositi esse dicuntur. Multa igitur habemus, cur de fide articuli *in Aegypto* sqq. dubitemus. De Theoteco cf. VI non. oct.

III non. oct. Antiochiae Theotecnus.

De quo VI non. oct. De Dasio XII kal. dec. In SC memoria Adaucti et filiae eius Kallisthenae legitur, ex quibus pater, quia filiam „regi in matrimonium dare” nolebat, Ephesi martyrium passus est. In MHE *In Aff. Adauti*. In BW *In Africa civ. Carthaginis Adaucti, Carusi, Restituti*. Si in *Aff.* perperam scriptum est pro *in Eff. B falso civit. Carthaginis* addit. Ad tempus adnotatio Hieronymiana recta putanda est.

Non. oct. In E nonnulla capita ab VIII id. ad non. oct., ab VII ad VIII, ab VI ad VII id. oct. promoti sunt. Diebus VIII, VII, VI eadem capita iterum leguntur, interdum rectius quam proximo die.

Caesarius Nicomedensis, cuius memoria Oct. 7 in MS occurrit, in MH non legitur.

E et alibi *tulliae sigibarci*. ML³⁾ „Passio sanct. mart. Sergi et Bacchi, quorum gesta habentur”. Quae „gesta” supersunt⁴⁾. Florus et Ado iniuria iis Iuliam adiungunt⁵⁾. In SC idem duo martyres Oct. 7, Nov. 22, Mai. 26, 27, 28. Quo in martyrologio (et in actis⁶⁾ Augustopoli vel Tetrapyrgiae in

1) Quentin, p. 341.

2) Acta AS, 18 Iun. IV, p. 468. „Via Ardeatini” sepulti sunt.

3) Quentin, p. 205.

4) AS, 7 Oct. III, p. 863. BHL 7599–7607.

5) Quentin, pp. 342, 571.

6) PG CXV, c. 1005 sqq: AS, 7 Oct. III, p. 871 sqq.

urbibus satis ignotis vixisse dicuntur. In MH: (in codd. S et B) *In Syria*. Satis constat Sergium et Bacchum Maximiani temporibus in Syria coronatos esse. De Marco et Matthaëo evangelistis cf. p. 65, 66.

VIII id. oct. Antiochia Pelagia.

Eadem notatio in E. BW *In Antiochia Dionisi ep. Ianuarii, Faustini, Marcialis, Privati, Eracli, Iuliani, Pelagiae* [et *alibi, Faustini, Marcialis, Privati, Iuliani* E non. oct.]. De Faustino, Marciali, Ianuario kal. oct. Dionysius ep. et Heraclius VII id. oct. bis terve inveniuntur: Pelagiam solam Antiochia attribuentem esse MS et SC confirmant. In SC legimus eam virginem fuisse, quae Christiana deprehensa, ne sibi a militibus vis afferretur, de muro praecipitaverit. Ioh. Chrysostomus ad eius honorem praeclaram orationem habuit¹⁾. (cf. XIII kal. nov.)

VII id. oct. Laodiceae in Phrygia? Heracleon et Diodorus presbyter.

Laodicenses, quos MS indicat, in MH non aperte leguntur.

VIII id. oct. Rom. (in *Antiochia* BW) . . . *Eracli* . . . *Dionisi* [ep. BW] . . . *Laodaci frig. nt. Diodori*.

VII id. oct. *Frigia Diodori et Dionisi* (In *Laudicie frigiae* BW) *Aff* . . . *Eradi, Dionisi, . . . Eracli*.

V id. oct. *Antiochia Eracli* (?)

SC (Oct. 9, quidam codd. Sept. 11) habet Laodiceae in Syria Diodorum et Didymum martyrium passos esse. Nomina *Dionisi, Didymi, Diomedis* (codex Mv Synaxarii) depravatam *Diodori* videntur. Laodiceam in Syria in MN et MNH significatam esse (Die Mart, p. 42, 45) non puto (cf. X kal. aug.): in MH bis legitur *In Laodicea Phrygiae*. Titulus neque in MH neque in SC invenitur. De Taracho sqq. non. apr. De Afra XIII kal. ian.

V id. oct. Articulus q. e. *Antiochia Eracli* VII id. oct. iam laudatus est. Ex quibus sequuntur patet articulum falsum esse.

III kal. oct.	<i>Eraclea civ.</i>	V id. oct.
	<i>Placidi</i>	<i>Placidi</i>
	<i>Ambodi</i>	<i>Ampodi</i>
VIII id. oct. in <i>Antiochia</i>		<i>Antiochia</i>
	<i>Ianuari</i>	<i>Heracli</i>
	<i>Faustini</i>	<i>Ianuari</i>
	<i>Marcialis</i>	<i>Fausti</i>
	<i>Eracli</i>	<i>Marcialis.</i>

De Taracho non. apr.

⁵⁾ PG L c. 579 sqq.

III id. oct. In Syria (?) Eustathius presbyter.

Codices parum congruunt:

E Rom. nt. Hedisti.

In Syria Eustati presb. et Eucaristi, Burri, Donati.

In Campania Patra civ. Fortunatae, Evagri et Proseriae, Fortunati, Prisciani.

In Ravenna via Laurentina sc. Edisti.

In Campania civ. nat. sanct Eucharisti, Fortunati, Prisciani.

In Prov. Syria Euagri et Proseriae. In Aegypto Eustasi presb.

Supervacaneum est omnes, qui in MEM leguntur articulos, plerumque confusos et vitiosos, laudare, quippe quibus alius fons non fuerit, nisi MH. Acta existunt Fortunatae Caesariensis, cuius corpus Puteolos, inde Neapolim translatum est. Quibus in actis socii Fortunatae dicuntur Carponius, Euaristus, Priscianus. In BW articulus eorum satis accuratus legitur. Hedistus Ravennas martyr videtur. *Euagri, Eustasi* depravatum *Eustathi, Proseriae in Syria*. Unde V non. oct. et III id. oct. *in Aegypto* sumptum sit, nescio.

III id. oct. Chalcedone Adrias episcopus (?) et Alexandriae Athanasius episcopus.

In MS Adrias episcopus dicitur. Non habemus quod negemus Athanasium in martyrologio „ariano” commemoratum esse. (Cf. quae de Syriaco „ariano” diximus p. 5). Quaeritur tamen cum praesertim „dies festus” cum die in SC data (Mai 2, quo die mortuus esse dicitur) non consentiat, articulusne ex fastis Alexandrinis MNH (inde MH) an ex alio fonte MH insertus sit.

II id. oct. *Et alibi, in Cappadocia Campania (!) (In Cappad. W)* codices VIII martyres memorant, ex quibus duos (*Ampodi, Placidii*) V id. oct. iam tractavimus. Ceteri plane ignoti sunt; eorum nomina minime graeca; *in cappad. mea* opinione iteratum *in cym. Calepodii*.

XVII kal. nov. In Asia Decius et alii CCLXX.

MS *Ἐν Ἀσίᾳ Δέκιος καὶ ἕτεροι μάρτυρες*. MNH videtur numerum accurate indicavisse.

XVI kal. nov. <Ignatius episcopus Antiochenus ex antiquis.>

In Alax. nat. Nicodimis; Nicom. Alexandri. Ita codex E. BW posteriorem modo articulum habet. XVII kal. oct. legimus [*in Alexandria BW*] . . . *Nicomedia Artei (Romae Rich)* et in codice C . . . *et Nicomedis mart. in Nicomedia* . . . Ab illo die nomina iterantur.

Re vera XVI kal. nov. antiquitus Antiochiae Ignatii episcopi diem festum celebratum esse confirmat sermo Chrysostomi in sc. Ignatium¹⁾.

¹⁾ „*προφῆν γούν ἡμᾶς κόρη κοιμηθῆ νέα καὶ ἀπειρογάμος ἡ μακαρία μάρτυρ Πελαγία . . . εἰστίασε σήμερον*” κ. τ. λ.

Ex medio fere saeculo V acta existunt, in quibus Dec. 20 passus esse narratur. Qua re Dec. 20 et in fastis graecis et in latinis¹⁾ memoria Ignatii occurrit²⁾. „This later change in the Greek calender" (Lightfoot II, 2, p. 419) in MNH iam facta esse videtur. Sin Ignatii articulus Oct. 17 in MNH legebatur, interpres Romanus eum non transtulit, cum Romae XIII kal. ian. Ignatius coleretur. Contra dici potest articulum *et Ignati martyris et Athanasi episcopi* (XIII kal. ian.) postea³⁾ codici E adiectum videri. Res non liquet. De Luca cf. p. 66.

XV kal. nov. Articuli ad hanc disputationem pertinentes:

E *In axiopoli nt lucae evang. filipi mar. et hermetis. in nicom. agnae. in ostea civi. nt. luci et victoris taxi.*

BW *In Oriente translatio corporis sci Lucae evangelist.*

In Nicomediae Lucae, Victorini.

In Axiopoli Hermetis et Taxii.

Iuxta Porto romano pass.

sc. Agnetis virg.

MK „Leuci et Victurici". Agnes Osteae adiungenda est. Nihil habemus, quod cum Lipsio scribamus⁴⁾: „Ob etwa Anxiopoli aus Constantinopoli corrumpiert is, wage ich nicht zu entscheiden". Scimus Hermem et Philippum Hadrianopoli celebratos esse (Cf. XI kal. nov.). *In Axiopoli* fortasse depravatum *in Adrianopoli* est. An Dasius, qui Axiopoli passus est, XV kal. nov. cum Hadrianopolitanis Axiopoli celebrabatur? De memoria Lucae pp. 18 et 66. *In Nicom.* ab articulo XVI kal. memorato iteratum videtur.

XIII kal. nov. XII kal. mai. de „Prosdoca" nonnulla diximus; VIII id. oct. ex tribus Pelagiis, quas recentiores hagiographi discernunt, antiquitus unius modo Antiochiae memoriam celebratam esse, exposuimus; XIII kal. nov. legimus *Prosdociae et Nicae matris eius et Tassiae virg. . . Astibusti. In Antiochia [Syriae nat. s. BW] Pelagi, Beronici, it Pelagiae et aliorum VIII*. Apparet duos articulos confusos esse. Ambrosius quatuor has mulieres (Prosdocam, Veronicam, Domnam, Pelagiam) memorat

1) Cf. Lightfoot, *The Apostolic Fathers*, London 1889, II, 2 pp. 418, 383, 493.

2) Beda (Quentin, p. 100) XVI kal. ian. articulum Ignatii habet. „It may," inquit Lightfoot II, 2, 429, „be explained as a confusion of Oct. 17 and Dec. 20". An XVI kal. per errorem pro XIII a Beda scriptum est? Quo errore Ado inductus est, ut kal. febr. „natale" et XVI kal. ian. translationem memoraret. (Quentin, p. 574) Th. Zahn, *Ignatius von Antiochien*, Gotha 1873 scribit haec (p. 68): „der erst vom 5 Jahrhundert an aufgekommene 20 December". Zahn, cui MH ignotum erat, Chrysostomi temporibus Ignatii memoriam mense iulio celebratam esse ratus, temere eius diem festum Iun. 9 vel 10 (die Pelagiae festo) putavit.

3) Quod Quentin anno fere 800 accidisse putat.

4) *Die Apocryphen*, II, 2, p. 365.

in carmine „de Virginibus“ (cf. VIII id. oct.). Adnotatio fortasse ex illo libello sumpta est. —

XIII kal. nov. Nicomediae Euty chius, Promachus, Lucius, Marcellinus.

Kαὶ ἕτεροι μάρτυρες praeter Euty chium in MS memorati in MH nominatim leguntur.

XII kal. nov. Nicomediae Dasius, Gaius, Zoticus <et XII milites>. Nicaeae in Bithynia Macarius

Idem Nicomedenses in MS memorati sunt, quibus in fastis nomen urbis omis sum est, quia proximo die legebatur. Dasius in MS *Δέσιος*, in BE *Dasciometis* dicitur. Et in SC, et in actis ¹⁾ graecis, et in Flori martyrologio ²⁾ Dasius legitur. Omnes passiones de XII militibus (vel milibus W) quos (quae) MH addit, tacent. (Numerus XII fortasse ex die XII kal. nov. ductus est). Notandum est martyribus supra memoratis in Moesia praecipuum cultum tributum esse. Cf. p. 36. *In Nicaea* saepius (VI id. mart., V id. mart., IIII non. mai) vitiose pro *in Nicom.* legitur. Nisi clare nomen provinciae adiunctum esset, XII kal. nov. idem accidisse putares ³⁾. Nomen *Afrigis* perperam scriptum videtur pro *in Africa* vel *in provinc.*

XI kal. nov. Hadrianopoli in Thracia Philippus episcopus et Hermes.

MS *Ἐν Ἀδριανοπόλει τῆς Θράκης Φίλιππος ἐπίσκοπος μάρτυρ καὶ Ἑρμῆς τῆς αὐτῆς πόλεως*. Oct. 23 *Σεουῆρος πρεσβύτερος καὶ Δωρόθεος*.

MH XV kal. nov. *In Axiopoli . . . [Filipi mart] et Hermetis . . . Taxi . . . In Africa . . . Dasi [lae]*.

XI kal. nov. [*In Atrianopoli* BW] *Thraciae nat. Philippi ep. Severi et Hermae discipuli eius Severi Eusebi [in Tracia B] it. Severi*.

X kal. nov. *In Adrianopoli Severi et Dorothei . . . Severi*.

In Axiopoli . . . Taxii (XV kal. nov.) depravata *Adrianopoli Thraciae* esse satis constat, etsi fieri possit, ut librario recentiori haec scribenti Dasii Axiopolitani martyris in mentem venerit. Acta Philippi exstant ⁴⁾, quae cum satis exornata sint, quod ad res attinet credibilia videntur. Philippus episcopus Heracleensis, cum duobus sociis, Severo presb. et Herma diacono, comprehensus, Hadrianopolim ductus, igne combustus est. In actis clare et distincte non legimus, utrum Severus una cum ceteris an brevi post solus passus sit. Videtur alio die atque episcopus

¹⁾ AB, XX, p. 246 sqq.

²⁾ Quentin, p. 342.

³⁾ Undecies *in Nicaea* legitur; XII kal. nov. et XIII kal. ian. (suspicioso in articulo!) *Bithyniae* additur.

⁴⁾ Ruinart, p. 409 sqq.

et diaconus martyrio affectus esse, id quod cum iis, quae in MS leguntur, consentit. De actis alteris ¹⁾ Delahaye merito ²⁾: „sans valeur historique”. Inter XXXIX socios in actis nominatim enumeratos nullus martyr nomine Dorotheus est! Quod ad Eusebium attinet, „unde” inquit Sollerius ³⁾, „huc intrusus sit nec divinando assequi possum”. Cf. autem VIII id. nov. Difficile est diiudicare sitne articulus XI kal. nov. in MH relatus ex actis suppletus an *Severi* a die posteriore iteratum ⁴⁾.

X kal. nov. Hadrianopoli Severus <presbyter> et Dorotheus. <Caesareae in Cappadocia Longinus>.

De Hadrianopolitanis XI kal. nov. De Longino cf. p. 57.

VIII kal. nov. In Nicomedia codices Severum, Vitalem, Felicem, Rogatum, Papirium, Victoriam, [Flavianum, Victorem BW] memorant. MK hoc ipso die martyrem nomine Victoriam habet, cuius nomen in MH bis terve legitur. Severus proximis diebus totiens memoratur, ut nomen eius VIII kal. nov. iterari non mirum sit. Ceteris nomina Africana sunt; VIII kal. nov. Flavianus redit *in Africa*, ceteri inter Gallos leguntur; socii martyrum Crispini et Crispiani (VIII kal. nov.) quorum acta etiam nunc exstant ⁵⁾ non fuerunt: non dubito, quin ex fastis Afris MH adscripti sint ⁶⁾. *In Nicomedia* ab XIII vel XII vel VII kal. nov. repetitur. De Hieropolitanis VIII kal. nov.

VIII kal. nov. Hierapoli in Phrygia <ex antiquis> Claudianus et Eucarius.

MS: *Κυριακός καὶ Κλαυδιανός*. In codd. MH VIII kal. nov. alterius nomen *Eugari, Eucariae, Eutheri, Theocharii* legitur. Quis diiudicabit fueritne in MN *Εὐκαριός* an *Κυριακός* adscriptum? In MNH interpres Romanus nomen prius legisse videtur.

VII kal. nov. Antiochiae <ex antiquis> Lucianus, Marcianus, Heraclides.

MS et MH minime consentiunt. Syriacum habet *Ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Σιλβανός καὶ Μαρκιανός*. MH.

VII kal. In Nicomedia s. Luciani, Marciani, Flori, Heraclidae, Titi, it Flori.

VI kal. Romae Marciani, Luci, Vieti . . . Ianuari.

1) AB, XXXI, p. 192 sqq. Ex quibus excerpta in SC.

2) Les orig., p. 279.

3) „Observationes” in diem XI kal. oct. Usuardini mart. p. 618.

4) Hermem eundem esse ac Hermam exorcistam Bononiensem (Achelis, *Die Mart.*, p. 77) non puto.

5) Mombritius I, p. 353.

6) III kal. nov. *In Africa . . . Felicis, Victoris, Vitalis.*

V kal. In Antiochia Zmaragdi, (Marandi W) . . . Marianae Archeladi . . . Amaranti, Quinti, Luci.

III kal. . . . Quinti . . . Luci.

III kal. In Nicomedia Ianuari . . . Marciani . . . Marci . . . Quinti, Luciae, Luciani, . . . Mari, Ianuari . . . Ianuari . . . Marciani.

Silvanus in MH non redit: Lucianus modo legitur. Sed acta Luciani et Marciani exstant¹⁾, qui martyres Decii Imperatoris temporibus passi sunt. Quo loco passi sint, non dicitur, ut dissensionem quae est inter MH et MS dissolvere non possumus. *In Nicomed.* vero ad Titum et Florum pertinet, quae Ian. 25 in MS memorantur. Heraclides in MH excepto die VI kal. nov. non invenitur; quod argumento esse non potest, martyrem VIII kal. nov. non legi, sed mihi prorsus ignotus est. —

VI kal. nov. Eumeniae in Phrygia, Thraseas, Diodorus, Metrobius, Polycarpus, Gaius, Konon(?) Longus

Articulus in MS relatus *Ἐν Εὐμενείᾳ πόλει τῶν Φρύγων Θρασεάς καὶ Πολύκαρπος καὶ Γάιος καὶ ἕτεροι ἢ* efficit, ut confusa Hieronymiana expedire possimus. In MH VI vel VII martyres Eumenetici leguntur. Qui MN in syriacum vertit, numerum falsum affert, aut non omnes martyres MH adscripti sunt. Cum in MH Alexander (de quo infra agam) non inveniatur, puto in MNH plures scriptos fuisse. Ex his martyribus Eusebius (HE V, 16, 22) Gaium et Alexandrum²⁾, V, 18, 14 Thraseam martyrem, V, 24, 4 Polycarpum et Thraseam episcopum Eumeneticum Smyrnae passos esse memorat. Martyres qui alii alio loco, alio tempore coronati sint, in MS et MH eodem die memorantur. Fieri sane potest, ut martyres Eumenetici hac in urbe una celebrati sint. An articulus ex libro arte cum Eusebiano libro coniuncto, sumptus est?³⁾

V kal. nov. De Antiochenis VII kal. nov.; de apostolis p. 66.

III kal. nov. Nicomediae Kalandion.

Eadem MS. MH complures martyres *in Nicomedia* habet: *Ianuari, Calendini, Marciani (Maximi BW) Germani, Marci, Theofili . . . Eusebi.*

1) Ruinart, p. 165 sqq. Socii non leguntur.

2) De quibus VI id. mart.

3) Delahaye articulum ex Hist. Eccl. sumptum putanti non assentior. Eusebius enim nonnullos martyres Apameae passos esse, neque eos Eumeniae celebratos esse, nec quo die celebrati sint, narrat. Polycarpum praeclarum episcopum errore inter Eumeneticos devenisse non puto. Si Polycarpus Smyrnaeus indicatur, memoratur fortasse quia Thraseas Smyrnae depositus est. Sed Polycarpus satis vulgare nomen est, ut ignotus Eumeneticus huius nominis denotari possit.

4) In fine laterculi *In Nicomedia Philippi et Kalandionis.* Kalandion ab articulo proximo die relato iteratur. Philippus Nicomedensis videtur. In MS (et MH) Aug. 15 Nicomedenses Philippus et Antiochus memorantur, Aug. 1 in MS Philippus cum aliis IIII. Legiturne is martyr II kal. nov. in MH?

De Ianuario, Marciano VII kal. nov. Germanus et Theophilus Nov. 3 in MS memorantur. De Antiochenis VII kal. nov.

II kal. nov. <Nicomediae Philippus>

In E VIII, in B XI martyres occurrunt, quorum nomina omnia kal. nov. iterum leguntur:

In Macid.

Vitalis

Petri

Criscentis

Alterni

Victorini

it Petri (BW)

Macracoti

Mammari

Saturnini

Vigelanti

Nundini

[In Assia nat. *Macedonis*, Iuliani, Victoris, Felicis, et in Melitia *Cristatis*, *Petri*, *Mammari*, *Saturnini*. In *Macido*, *Vigelanti*, *Nundini*]. [In *Machedon*, dedicatio basilicae Iacobi et Iohannis apost, BW]. In Terraci Meldacasi, Iuliani, Victoris, Felicis, *Criscentis*, Octaviae, Cessiae . . . *Saturnini* . . . In Cessa Capp. nat. sci. *Macedoni* et alibi sc. Ianuari, *Vitalis*, *Petri*, *Criscentis*, *Victorini*, *Marcoti*.

In Macedonia rectum esse videtur. Victricius Saturninum et Traianum „in Macedonia curare” dicit¹⁾. Delahaye martyrem nomine Traianum hac in regione vixisse demonstrat²⁾. Multi codices SC Aug. 20, 23 plus quam XXX Thracas memorant, inter quos Saturninum quendam ex urbe Philippopoli ortum. Iam vero XIII, XII, XI kal. sept. nullo loco addito Traianum et Saturninum legimus. Saturnini nomen in MH passim legitur, (fere centies!) ut non constet Macedonicum martyrem significari. Si articulus rectus est, ex fastis non sumptus est.³⁾

Kal. nov. II kal. nov. iam magnam partem laterculi kal. nov. relati exscripsi. In *Machedon* falsum videtur. Memoria basilicae cuiusdam ad apostolorum honorem constructae in codice Y iniuria Machedoni vel Macedoniae adiuncta est, nisi forte verba q. s. *dedicatio basilicae* Iohanni episcopo et Iacobo presbytero martyribus Persis, quorum memoria hoc ipso die in SC occurrit, assignanda sunt. Laterculi initium mea opinione nihil est, nisi repetita adnotatio In *Terricina Meldacasi*. Quae adnotatio nihilo magis recta videtur. Exstant acta⁴⁾ Caesarii et Iuliani martyrem Terracinensium, quorum nomina kal. nov. in MH leguntur. Inter Terracinenses Octavia (q. e. Octavius) invenitur, qui est martyr Carthaginiensis.

¹⁾ De laude sanctorum c. XI, PL XX, p. 354.

²⁾ Saints de Thrace et de Mésie, AB XXXI, p. 240.

³⁾ In *Macedonia* III non. apr. et XIII id. apr. legitur; utroque die verba depravata nomen martyris esse arbitror.

⁴⁾ Mombritius, I, p. 346 sqq.

(Cf. MK, Nov. 1). De Saturnino II kal. nov. Victorem ceterosque martyres Afros esse veri simile est: multorum nomina proximus diebus *in Africa* invenio. Librarius aliquis martyris nomen urbis Caesareae nomen putans, (articulone III non. nov. relato ductus?) Capp. adiunxit.

III non. nov. Caesareae in Cappadocia Germanus, Theophilus, Cyrillus.

Codices non plane cum MS, quod tres hos Caesarienses habet, congruunt: *Germani, Theofili*, [*Vitalis, Iusti, Hermetis, Gobhani, Germani, Theophilī*], *Cessari, Egrili, Vitalis*. Qui martyres in E tantum leguntur et Vitalis ex articulis IIII, III kal. nov. et III non. nov. relatis iterantur. Estne *Caesari* depravatū nomen urbis an ab kal. nov. repetitum? Martyres Caesarienses ignoti sunt. Quod elogium Ado. iis addit „qui in persecutione Deciana optime duxerunt martyrium” ipse commentus est¹⁾. De Cyrillo p. 46.

II non. nov. In Nicea perperam scriptum pro *In Caesarea*. cf. p. 46.

Non. nov. Caesareae Dominus.

De Dominino et Antonino p. 46.

VIII id. nov. MS *Εὐσέβιος*. MH

VIII id. nov. Nicomediae [*Adriani* BW] *Eusebi, Iuliae*²⁾. [*In Adriopoli Eustasi et Eusebi.*]

*VII id. nov. Nicomediae Eusebi, Pobisi, Eustasi . . . Iuliae . . . Andriani. VI id. nov. In Nicomedia, Eusebi, Celesini*³⁾, *Eustasi*. Qui Eustasius fuerit non patet. Neque martyr Nicomedensis neque Adrianopolitanus mihi videtur. Praeter Dominum (non. nov.) proximis diebus complures Palaestini martyres leguntur: Antoninus (non. nov.), Adrianus (VIII et VII id. nov.), Paulus (VIII id. nov.), Abschelamus (? *Balsami* VIII, VII id. nov.). Sub nomine q. e. Eustasius Eubulus fortasse latet. *In Adrianopoli* errato scriptum puto pro *Adriani*. Quod ad Eusebium pertinet, cf. p. 9. *In Phrygia* nonnulli martyres numerantur, quorum nomina Africana sunt: *In frigia* depravatū *in Africa* est.

VII id. nov. De Nicomedensibus VIII id. nov.

VI id. nov. Nicomediae Eusebius (ep.?)

Cf. p. 9.

V id. nov. Nicomediae Damianus.

IIII id. nov. Antiochiae Demetrius episcopus. < >

Eustochius cum sociis eius.

Demetrius vel Demetrianus in MH aperte non legitur. E *Demetri Amesi*, BW *Demetri epis*, *Aniensi (Amesi) diac*. Cum is episcopus mar-

¹⁾ Quentin, p. 583.

²⁾ Martyr Afra videtur.

³⁾ Clemens martyr Romanus indicatur. Cf. Urbain, p. 200.

tyrium non passus sit, Eustochium, cett. qui in omnibus codd. adiciuntur, Antiochenos non puto, praesertim cum legatur: et sociorum eius. Qui significantur non patet: in SC Iun. 23 Eustochius quidam καὶ τῶν σὺν αὐτῷ memorantur.

III id. nov. Alexandriae Menas.

Menas, cuius ad honorem in Libya ab saeculo V multae magnificentissimae basilicae exstructae sunt¹⁾, in MS non memoratur. Vita miraculae eius viri „sanctissimi” permultis libellis actisque servantur, qui libelli omnes consentiunt eum militem Aegyptium passum esse. Ceterum in multis differunt, ita ut ex uno martyre plurimi facti sunt. In plerisque actis²⁾ legimus Menam centurionem cum ob persecutionem Diocletiani temporibus in Christianos exortam e militia exiisset, ad Phrygium pagum cui nomen Cotyaeum se contulisse; quo in vico aliquanto post martyrio eum affectum esse. Delahaye³⁾ haec falsa esse ostendit: Menam in Aegypto mansisse. Recentiores hagiographi eum Cotyaeo attribuerunt, quod eo loco basilicam celebriorem ad eius honorem constructa est⁴⁾. Krumbacher praeter carmen de vita Menae, passionem eius edidit, quam antiquissimam ducit: Docet Menae acta saepius coniuncta esse cum vitis Victoris et Stephanae, Vincenti, Theodori Studitae, Martini,⁵⁾ quo factum esse ut Menas recentioribus in passionibus⁶⁾ et in SC socios Victorem et Vincentium habeat. Cum in MH nec de Cotyaeo, nec de Mareotis solitudine agitur, putandum est articulum ex fastis Alexandrinis sumptum esse.

II id. nov. De Caesariensibus II non. nov. De Antonino id. nov.

Id. nov. Heracleae in Thracia . . . Hedistus <presbyter> < . . . > Hermogenes, Felix, Eutygianus. Caesareae Antoninus, Zebina, Germanus, Mannatho.

MS Ἐν Περὶνθῶ . . . καὶ Ἡδιστος πρεσβύτερος. In MH [*In Aff. eutici et*] in *Tracia Edisti (Edicti BW), Tecis (Euthicis BW), Felicis,*

1) K. M. Kaufmann cum consobrinio E. Falls Dec. 1905–Iun. 1907 haec aedificia effoderunt: Die Mennasstadt und das National-heiligtum der Altchristl. Aegypten in der westalexandrinischen Wüste, Leipzig 1910. E. Falls breviter totum iter ad ea investiganda susceptum narravit. (Drei Jahre in der libyschen Wüste, Freiburg 1911).

2) Abhandl. der K. Bayer. Akad. der Wiss., 1e klasse, XXIV Bd. III Abt, p. 31 sqq. Krumbacher enumerat 29 codices graecos de quibus: quot codices, inquit, tot recensiones. Acta latina BHL 5921–5924.

3) AB XXVI, p. 464 et AB XXIX, p. 5.

4) Quentin contra opinatur (p. 271 adn. 1) duos martyres fuisse, alterum Aegyptium, qui in Phrygia martyrio coronatus sit, alterum, qui in Libya mortuus sit. In Dalmatia „tertius” Menas celebrabatur, quem Aegyptium fuisse veri simile est. (Delahaye Les orig., p. 292 sq).

5) III id. nov. in MH memoratus!

6) Apud Metaphrasten PG, CXV, c. 257.

Euticis, it Felicis, Hermoginis, Egisti; V id. dec. iterum [et alibi] *Hermoginis, Felicis, Euticiani*. Qui tres martyres Heracleensibus adnumerandi non videntur. Quod nomen in MS omissum sit, non liquet. De Caesariensibus p. 46.

XVIII kal. dec. Heracleae in Thracia Theodotus et Demetrius <presbyter>.

Neque ad XVIII kal. dec. MS et MH consentiunt. MS Heracleae Theodotum et Demetrium presbyterum adnotat. In MH legitur *In Heraclea [civit. Traciae BW] nat. sci. Clementini et Theodoti, Filomeri [et aliorum multorum quorum nomina deus scit et Eracli in ipso die BW]*. Omnis fere adnotatio falsa videtur; XVII kal. dec. inter multos Afros nomina quae MS Nov. 14 et 15 habet, latent: *Secundi, Theodoti, Demetri, Parentis*.

XVII kal. dec. Antiochiae Secundus et Orontius <ex antiquis>.

Qui martyres in MH in Antiochia leguntur, sine dubio Afri sunt. Cf. V id. nov., XVI et XVIII kal. dec. De Edessenis in MS memoratis p. 32.

XVI kal. dec. MH In Africa . . . Pauli . . . Antigonae . . . Marinae . . . Frontoni . . . In Antiochia. Videtur Marinus Antiochenus (MS Aug. 24) rursus legi. Marinus, Paulus, Fronto memorantur in oratione falso Eusebio attributa.¹⁾ Cum in ea praeter illos multi alii nominentur in MH non memorati, dubium est, sintne ex ea oratione MH adscripti. —

XV kal. dec. Nicomediae Ammonius, Diophilus, Matriona. Caesareae Alphaeus Zachaeus, Romanus.

De martyribus in Nicomedia et in Asia memoratis cf. II id. sept. De Caesariensibus p. 47.

XV kal. dec. In Heraclea Gregoriae, Victoris.

XVIII kal. dec. In Heraclea it Cartheri et aliorum XL.

XIII kal. dec. In Heraclea sanct. mulierum cum viduis XL.

XII kal. dec. In Heraclea . . .

Victor hisce diebus saepissime occurrit.²⁾ In fastis graecis Nov. 17 memoriam Gregorii thaumaturgi Neo-Caesariensis legitur, qui Aureliani temporibus vixit. Beda³⁾ XV kal. dec. „Et sancti patris nostri Gregorii miraculorum factoris“. Quo ex fonte Beda hunc articulum sumpserit, non constat. Adnotatio in MH relata incerta est.

¹⁾ BHO, 700.

²⁾ XIX kal. dec. *In Caesarea*; XVI kal. *In Africa*; XV kal. *in Hierapoli et in Heraclea*; XII kal. *in Spanis*.

³⁾ Quentin, p. 55.

Kartherius (XIII kal.) Caesariensis martyr est. De XL mulieribus legimus in SC (Sept. 1) *τεσσαράκοντα γυναικῶν, παρθένων ἀσκητριῶν καὶ μαρτύρων . . . καὶ . . . Ἀειθαλᾶ.*¹⁾ Elogium parum fide dignum adiunctum est: Mulieres, postquam Hadrianopoli Beream, inde Heracleam ductae essent, martyrio affectas esse. In fastis gothicis Nov. 17 in voce *Bereae* easdem memorari Delahaye adnotat.²⁾ Utrum articulus ex actis an ex fastis fluxerit, difficile dictu est. De Basso cf. XII kal. dec.

XIII kal. dec. Antiochiae Romanus.

Cf. III kal. iun.; de martyribus Caesariensibus XIII kal. dec. Heracleenses XV kal. dec. iam tractavimus.

XIII kal. dec. Caesareae in Cappadocia Maximus, <chorepiscopus> Lucianus <presbyter>, Carterius. Heracleae mulieres cum viduis numero XL.

In MS Caesarienses nomine urbis omisso *Μάξιμος χωρεπίσκοπος καὶ Λουκιανὸς προεβύτερος καὶ Καρτέριος* inveniuntur. MH XIII kal. dec. *In Cess. Benoli, Victoris, Maximi, Luciani, Cartheri, Marciani.* XIII kal. *In Cess. Capp. Maximi, Muciani, Neofiti, Tobis, Ianuari, Vitalis, Ianuari,* [Cartheri B], [Marciani BW], *Dicenti, Zephoris.* Benolus et Victor urbi Cordubae attribuendi videntur. In ML³⁾ legimus „Cordubae in Hispaniis s. m. Aciscli et Victoriae”; Aurelius Prudentius canit⁴⁾: „Corduba Acisclum dabit et Zoellum” (= Benolus?). Neophitus ceterique mihi ignoti sunt. Utrum *Marciani* depravatum *Luciani (Muciani)* sit, an martyr ignotus ex alio numero, an Caesariensis martyr in MS non relatus, diiudicare nequeo. De Carterio acta existunt.⁵⁾ In SC Ian. 8 legimus eum in persecutione Diocletiani Caesareae multis cruciatibus afflictum de vita decessisse. Lucianum presbyterum Antiochenum (Ian. 7) XIII kal. dec. Caesareae celebratum esse⁶⁾ probabile non puto. De Heracleensibus XV kal. dec.

XII kal. dec. <Heracleae Dasius>. Caesareae Agapius. Antiochiae <ex antiquis> Basilius, <Dionysius>.

Ἐκ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων Βασίλιος μάρτυρ. (MS) MH: *In Antiochia Basili et Dionisi*; XI kal. dec. *In Antiochia nt. Basili, Zepheri, . . . Basiliscae.* Antiochenus martyr igitur Basilius fuit. Qui MN syriace

1) Delahaye (AB XXXI, p. 161 sqq) unde martyr huc devenerit, se non intellegere ait. Cf. Nilles I, 264 et 269, Cassiodori, Hist. Trip, III, 2.

2) SC col. 944.

3) Quentin, p. 215.

4) *Περὶ στεφανόν*, Hymn. IV.

5) BHG 296, 297.

6) Achelis, Die Mart., p. 54.

vertit, fortasse cum nomen urbis, tum alterius martyris omisit. XVII kal. aug. in MH duobus martyribus Antiochenis, quos MS Iul. 19 refert, martyr nomine Dionysius additur.¹⁾ — Praeterea legimus *In Heraclea Bassi, Dionisi, Orionis et Dassi*.

Nomina *Bassi (li)* et *Dionysi (Orionis)* ex articulo Antiocheno iterata videntur; *in Heraclea* a proximus diebus repetita esse potest. Bassum tamen vel potius Dasium Heracleae celebratum esse veri simillimum puto. In actis²⁾ legimus Dasium militem, cum rex Saturnaliorum³⁾ creatus, ne hoc munere perfungeretur, recusavisset a Basso praefecto XII kal. dec. anni 303 Durostori⁴⁾ securi percussus esse. Fasti graeci hoc ipso die Dasium memorant. Supra iam diximus Dasium fortasse Nicomediae celebratum esse (XII kal. non.); aliis diebus in MS non legitur; nemo martyr Durostorensis in MS memoratur. In MH eius memoria bis terve occurrit in voce „*In Axiopoli*”. (non. aug., III non. oct., XV kal. nov.?) Cum III non. oct. Dasius solus, non. aug. una cum Irenaeo et Heraclio, XV kal. nov. cum Herma memoretur, alter articulus non ex altero, sed omnes ex fastis sumpti sunt. *In Durostoro* (XV kal. aug.) leguntur: *nt. Emiliani, Secundae, Donati, Bessi, Maximi, Pauli*. Sed XVI kal. aug. inter Scilitanos uno tenore: *Secundae, Donatae, Bessiae, Maximi, Pauli*, ex quibus Secunda et Donatus Scilitani, ceteri ignoti sunt: posterior igitur pars articuli Durostorensis incerta est. Rectene Delahaye scribit⁵⁾ Dasium XII kal. dec. „sans rubrique topographique” in MH legi? An articulus *In Heraclea Dasi* XII kal. ian. iteratus verus est?⁶⁾ De Agapio cf. p. 47.

XI kal. dec. De Basilio XII kal. dec. Ex ceteris martyribus *in Antiochia* relatis *Zepheri, Saturnini, Basiliscae, Kalandionis* XIII et XII kal. dec. in Africa leguntur. *Heracli, Eutycki* ab id. nov. iterantur et *Matronae, Auxilii*⁷⁾ Antiochenos non puto. Plotinus et II alii, quorum memoria

1) Sed XI kal. dec. Basilius solus legitur!

2) R. Knopf, *Ausgewählte Märtyrerakten*², Tübingen, 1913, p. 82 sqq. Quae acta non omnibus in rebus ad fidem historiae scripta in summa tamen certa videntur.

3) Cf. de hoc titulo C. Parmentier, *Le roi des Saturnales*, *Revue de Phil.* XXI, (1897) p. 143 sqq. P. Wendland, *Jesus als Saturnaliënkönig*, *Hermes* XXXIII, (1898) p. 176 sqq. T. Birt, *Griechisch-römischer Mummenschanz und die Verhöhnung Christi*, *Aus dem Leben der Antike*, Leipzig, 1919.

4) Inscriptio sarcophagi Anconae servati: *ἐνταῦθα κατάκειται ὁ ἅγιος μάρτυρ Δάσιος ἐνεχθῆεις ἀπὸ Δωροστόλου*.

5) *Les orig.*, p. 285.

6) *Suspecti tamen mihi dies*: XII kal. nov., XII kal. dec., XII kal. ian.

7) *Matrona* XVII, XVI, XV, XI kal. dec. legitur!

Nov. 21 in MS legitur, in MH non redeunt. SC ex iis XXXIII nominatim refert; eorum acta existunt 1).

X kal. dec. Codici B ultimus quaternio deest, unde fit, ut laterculi desinant in XI kal. dec.

E Rom. Caeciliae.

et in Alax. Felicis, Zeti.

et in Ostea Demetri et Honorati,
Valeriani, Tiburti, Maximi, Alexan-
dri, Grisozo, Cleti, Verociani, it.
Demetri, it. Zeti.

W Rom. Caeciliae virg. Valeriani,
Tyburti, Maximi, Alexand., Felicis,
Demetri, Zeti.

Et in Africa Crisogoni, Cleti, Vero-
ciani . . .

Quo die dies natalis sanctae Caeciliae celebrabatur, in fastis additi sunt III martyres, quorum passio cum Caeciliae passione coniuncta est 2): Tiburtius, Valerianus, Maximus. In SC quoque Nov. 22 quattuor horum memoria legitur. In W recte (ex MK) *In Africa Chrysogoni*. Ostienses in E melius leguntur, quam in W. Cf. XI kal. ian. *In Alax.* perperam scriptum est pro nomine martyris alicuius.

VIII kal. dec. De Chrysogono cett. VIII kal. dec.

VIII kal. dec. Caesareae in Cappadocia Veronicianus. Alexandriae Petrus episcopus < . . . >.

MS Nov. 24. Ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας Βερονιάνου. Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ [τῆ πόλει] Πέτρος [ἐπίσ] κοπος μάρτυρ . . . Codices MH VIII kal. dec. duos Caesarienses adnotare videntur. Sin articulos X et VIII kal. dec. relatos propius adspicimus, habemus quod Veroniciano nullum socium attribuamus: X kal.: <In Capp.> . . . Eutici, Nini, Leonti, Fausti; IX kal. In Capp. Niceani in Cessa. Capp. Verociani, Euticis. Eutychianus (Eutychius), Leontius, Faustus 3) aliunde huc translati sunt. Petrus Alexandrinus „anno episcopatus sui XII martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit". 4) (cf. p. 3). De Chrysogono VIII kal. ian.

VII kal. dec. Rich verba „manu secunda addita" habet: *in Alexandria s. Katherinae*, qui articulus sine dubio ex actis sumptus est 5).

VI kal. dec. Petrus Alexandrinus rursus legitur. Vide VIII kal. dec.

V kal. dec. Articulus Nicomedensis, quem invenimus, ex aliis adnotationibus compositus est:

1) AS, 7 Nov. III, p. 329 sqq. PG, CXVI, c. 109 sqq.

2) Mombritius I, p. 332 sqq. In MH, XVIII, XI kal. mai, III id. aug.

3) Martyres Vid. iul. in voce *Romae* leguntur.

4) Eusebius-Rufinus, HE VII, 31, 32 et VIII, 13, 7.

5) BHL 1657-1700.

V kal. dec. In Nicomedia

Marcelli

Petri

Numeri (Nomeri W)

Herenae (Sereni W)

Melosiae (Melisi W)

[et alibi] Victorini

VI kal. dec. In Africa

Marcellini

In Alex. Petri

In Africa Nonnae

Berenae

Melesi

Victorinae

Unde nomen urbis sumptum sit, non patet; apparet articulum nullius momenti esse.

III kal. dec. < . . . Trophimus, Theodorus, Pegasus, Eucherius >.

Rursus articulum satis incertum invenimus. E martyres supra memoratos in Oriente, W in Syria habet. In antiquissimo exemplari indicatum esse non videtur qua in urbe aut regione martyres passi essent In SC de illis mentio non fit. Qui fasti tamen Iul. 21 Trophimum quendam et Theophilum cum aliis, Iul. 23 Throphimum cum XIII aliis Diocletiani temporibus securi percussos esse, memorant.

II kal. dec. < Nicomediae Marathonius ep. >

Nicom. Carionis, Tirionis. Menaea (Codices M et Mv Synaxarii Constantinopolitani) Nov. 24 Carionem quendam memorant sua morte defunctum. Qui Tirio est? Idemne nomen depravatum? Mea opinione sub his nominibus episcopus Nicomedensis nomine Marathonius latet. Cf. p. 8. Legimus porro In Antiochia Domni (Domnini W), Merolae (Merocli W). Duchesne episcopus (VIII non. ian.) hic notatur an Domininae et Veronicae memoria ab XVII kal. mai. vel VI id. iul. iteratur? Certus mihi articulus non videtur. De Andrea cf. p. 64.

III non. dec. < Laodiceae (?) Merope > (?); < Nicomediae Onesimus ep. >?

III non. dec. In Oriente Merobi, Lauaici (Claudici W), Felicis. Nicom. Umbici, [it Felicis], Victori et Iuli.

Prid. non. dec. [In Oriente Merobi Laodoci et Felicis, Nicom], Eracli, Cristiani, Potenti, Miggini, Victuri. In Laodic. metropoli Felicis, Metropi (Merubi W) [et alibi] Filadi, Umboni.

Non. dec. [civi. Togora nt. Iuli, Potamiae, Crispinae . . . In Africa Humili, Felicis, Eracli, . . . Victoris.

III id. dec. . . . Eracli, Erumentis, Prudenti, Miggini, Victoriani . . . Crispinae, Polentiae.

MK Dec. 5 sanctorum martyrum „Bili, Felicis, Potamiae, Crispinae et comitum" memoriam exhibet. Putandum ergo est Umbicum, Felicem, Victorem, Heraclium, Migginum ceterosque Afros fuisse. Quod si rectum est, in Nicom. falso additum est. Restant in Oriente Merobi, Laudici,

quae II non. dec. leguntur: *In Laodic. Metropoli* <*Felicis*> *Metropi*. Estne martyrologium ad Menaea, quae martyrem nomine Meropen vel Moroben „in urbe Epheso” memorat referendum? *In Laodicea* estne rectum an depravatum *Laudici*? Res mihi non liquet. De *in Oriente* p. 16.

VIII id. dec. E *Antiochiae* nonnullos martyres attribuit, quos W iure *in Africa* refert. *In Antiochia* a die VII id. dec. iteratur¹⁾.

VII id. dec. <Antiochiae Polycarpus et Theodorus>.

Adnotatio suspiciosa est. R³ habet *In Antiochia Polycarpi et aliorum sanctorum quorum nomina*. W Sapidicum addit qui in E in voce *et alibi* legitur. SC Nov. 24 (h. e. VIII kal. dec. Theodorum Antiochenum passum esse memorat, Polycarpum vero non habet.

V id. dec. Articulus Antiochenus falsus videtur: *in Antiochia* in mediis Africanis nominibus legitur!

III id. dec. <Alexandriae Ammonius>.

In Antiochia quattuor martyres leguntur, qui XVIII kal. ian. iterari, XIII, XII, XI kal. ian. recte *Nicaea Bithyniae* memorari videntur.

Legitur porro *in Alexandria Sammonis*. Nullus martyr cui hoc nomen in MH invenitur. Ammonius Alexandrinus saepius invenitur, idem Ammonius saepius iteratur (II kal. febr., V id. febr., II id. febr., id. febr., XVI kal. mart.) Fieri potest, ut Ammonius II kal. febr. memoratus III id. dec. rursus legatur.

Id. dec. De Luceia kal. iun.

**XVIII kal. ian. <Antiochiae Drosis et sociae eius . . . >
Ascalone Ares, Primus, Elias.**

In articulo qui est de Drusina (III id. dec.) socii nominatim leguntur Zosimus, Theodorus, Aspida. Zosimus autem ad aliam turbam pertinere videtur (ad XIII kal. ian). Socios igitur Drosidi eos addere non audeo: SC Drosidem una cum V mulieribus igne crematam esse refert. Ex Chrysostomi laudatione in eam habita²⁾ apparet Drosidem Antiochiae re vera celebratam esse. De Palaestinis martyribus p. 48.

XVIII kal. ian. De Ascaloniis p. 48.

XV kal. ian. <Laodiceae Theotecnus et Basilianus>.

De Dioscoro XV kal. iun.

XIII kal. ian. <Nicaeae in Bithynia, Secundus, Zosimus, Paulus, Cyriacus>.

De quibus ad III id. dec. nonnulla. De Theoteco XV kal. ian., de Luceia kal. iun. E *et alibi passio Aerae*. Quaestiones de vita, passione,

¹⁾ Rich *Et sci Nicholai ep.* Episcopus Myris fuit, qui initio saeculi III exacta aetate mortuus est.

²⁾ PG L, c. 638 sqq.

cultu Aerae tractare ad hanc disputationem non pertinet. Disputantes, quo modo et quo loco MH compositum sit, viri docti L. Duchesne et B. Krusch de rebus ad Afram pertinentibus multum disceptaverunt. Krusch¹⁾ et „Conversionem” et „Passionem” res commenticias esse ex articulis MH pendentes contendit; Duchesne²⁾ passionem iam saeculo III vel V ad fidem historiae scriptam esse perseverat. Clare Riedner rem totam denuo exposuit³⁾; non negat martyrem huius nominis fuisse; de passione dicit „dass sie keine geschichtliche Glaubwürdigkeit besitzt” et „dass der einzige individuelle und charakteristische Zug der Legende, nämlich die Erzählung vom Dirnengewerbe Afras auf dem MH beruht”⁴⁾. Ad eadem fere alia ratione perveni. MH VII id. aug.: *Romae passio XXV martyrum (in provincia Rhetia B) in civ. Augusta Aerae, Veneriae*⁵⁾; VII id., VIII id. aug., non. aug. legimus *passio s. Aerae* ex quo collegimus (cf. p. 19) articulos ex actis ipsis sumptos esse. Fieri vero potest, ut adnotationes VIII et VII id. oct. relatae, in quibus de passione non fiat mentio, antiquiores putandae sint. Perspicua res non est. Utrumque res se habet, Aerae memoriam in MNH occurrere non puto.

XIII kal. ian. In Thracia [civ. Gildoba W] Iuli.

Idem Iulius II non. iun. legitur: *in Nobioduno . . . Iuliae . . . Galduni*. Ad cognoscendum, quis ille martyr fuerit, quo loco celebratus sit, articuli aut nihil aut parum valent. Baronius⁶⁾ Geldubam „castellum Rheno impositum” putat; „aliam, inquit, Geldubam non invenimus”. Quod Sollerius refutat⁷⁾: „tam absonum illic Iulium martyrem collocare, quam imperitum sit Rhenum in Thraciam devehere aut Thraciam ad Rhenum transplantare”. De Zosimo cum suis III id. dec. De Thecla VIII kal. mart.

1) Neues Archiv der Gesells. für ältere deutsche Geschichtsk. B XXIV (1899) p. 287, Zur Aeralegende und zum MH.

2) AB XVII, (1898) p. 421.

3) Der Geschichtliche Wert der Aeralegende, Kempten, 1913.

4) O. l., p. 86 et 80.

5) Quod verbum Bigelmair (Die Aeralegende, Archiv für die Gesch. des Hochstifts Augsburg I, 1910, p. 149) et Duchesne „sacerdotem aut ministram Veneris” interpretantur. Sed VII id. aug. legitur *in Antiochia Suffroni, Veneriae*. Martyr cui hoc nomen novies in MH: tot Veneris sacerdotes inter virgines Christianas exstitisse non puto. Hoc nomen in voce in Africa legitur (XVI, VI kal. febr., VIII id. nov.) aut in articulis quibus martyres Afros memorari satis constat (II kal. mart., II non. mai., III non. iun., II id. aug.); quem ad articulum nomen VII id. aug. et XIII kal. ian. relatum pertineat, non liquet.

6) Mart. Rom. p. 527.

7) In observationibus ad Usuardi Martyrologium, p. 755.

XII kal. ian. De Thoma cf. p. 63. De Thecla VIII kal. mart¹⁾. De Basso XII kal. dec. De Phoca III non. mart.

XI kal. ian. In fine martyrologii tres articulos Antiochenos invenimus, quos certos non puto:

XI kal. ian. Antioch. Basiliae (Basilei W).

X kal. ian. In Antioch. nt martyrum XXXV (In Nicomedia civit nat. sanct. XXX mart. simul, quorum nomina deus scit. W)

IX kal. ian. Antioch. Syriae sanct. virg. num. XL [canonicarum WG] et aliorum duo (simul W) Drusi et Donati.

Basilii XII et XI kal. dec. memoratur. In SC Aug. 28 triginta tres martyres Nicomedenses memorantur et 1 Sept. de XL virginibus agitur, quae cum duobus viris, quibus nomina Ammon et Aeithalas, Hadriano-poli Heracleam ductae, alia alio modo necatae sunt. Memoria horum martyrum hisce diebus in MH falso *in Antochia* legitur: XIII kal. dec. iam in MH leguntur. De Theodosia (Theodora) non. apr.

X kal. ian. De Nicomedensibus XI kal. ian.

VIII kal. ian. <Tripoli Lucianus>.

Cf. II id. iun. et XI kal. ian. —

1) Qui fuerit Liberatus nescio. Usuard: *In Amphitrea Liberati*, de quo Sollerius: (Usuardi Mart., p. 755) „multum fallor, si Usuardus usus non sit codice aliquo Hieronymiano tam depravato, ut ex detritis, divulsis, ac male connexis verborum elementis *Amphitream* aliquam effinxerit, cui reperiendae in vanum a nobis sudetur”.

II.

CAPUT I.

DE MARTYROLOGIO SYRIACO.

§ 1. De MS.

Nicomedensem aliquem fuisse, qui in Oriente primus, quod sciamus, non solum suae, sed plus quam triginta urbium provinciarumque martyrum nomina, quibus diebus quoque loco passi essent in unum collegerit, idque fundamentum martyrologiorum, quae MS et MNH diximus, iecerit, omnes viri docti consentiunt.¹⁾ MN martyres tot urbium continuisse collegimus ex compluribus articulis, qui et in MS et in MH (ex MNH) leguntur, quos articulos MN adscribimus. In MH (ex MNH) tot articuli memorantur, qui idem in MS leguntur, ut certum sit MS et MNH ex uno fonte fluxisse, vel potius duo exemplaria unius eiusdemque martyrologii (MN) fuisse. MNH adauctum MS non fuisse apparet, si scias permultis diebus, quibus MS complures martyres uno numero complectitur, MH (ex MNH) singulorum nomina habere. Praeterea in MS cum alii, tum nonnullarum urbium (velut Edessae et Nisibis) martyres inveniuntur, qui in MH non redeunt. Cum saepius iam expositum sit, eum qui MNH cum martyrologio latino coniunxit magna diligentia id fecisse, existimandum non est hosce articulos negligentia eius praetermissos vel ex industria sublato esse.

De tempore autem, quo ignotus Nicomedensis scriptor martyrologium composuerit, viri docti inter se dissident. Iul. 19 MS martyres Synnadenses refert, quos Socrates²⁾ Iuliani temporibus igne crematos esse testatur et Ian. 22 *ἐν Νικομηδείᾳ* Euppsychius quidam memoratur, idem fortasse atque Euppsychius Caesariensis, qui teste Sozomeno³⁾ eodem tempore quo „Synnadenses” supra memorati pro Christo

¹⁾ Ad argumenta a Duchesne (AS, 3 Nov. II, 1, Prolegg. p. [LXVI]) et Achelis (Die Mart, p. 59) allata addo hoc: Nicomedensibus praecipue in articulis martyres alio loco passos legi, aliis urbibus in MS perpauca alienigenas martyres attribui: scriptorem rerum ecclesiae Nicomedensis peritissimum fuisse. Leguntur Nicomediae alienigenae: Jan. 7, 14, 20 (?), 24, Mart. 6, 10, Apr. 5, Mai. 4, 10, Sept. 2, Oct. 21.

²⁾ HE III, 15. Cf. XIII kal. aug.

³⁾ HE V, 11, 7.

vitam profudit. Quibus rebus adducti Duchesne et Achelis MH „minime ante annum 362” compositum esse putant, ita ut „archetypus consultius anno 362 proximetur quam anno 411.” (AS, Prolegg. [LXVI]) C. Erbes quocum ego consentio, licet non omnia, quae attulerit, argumenta iusta putem, aliaque addam, martyrologium iam antea compositum esse probare conatus est. Contra ea, quae Duchesne et Achelis de articulis Synnadensium et Eupsychii ponunt, non pauca dici possunt (cf. XIII kal. aug. et XI kal. febr.). Fac autem et Synnadenses MN adscriptos fuisse et Eupsychium, qui Nicomediae celebraretur, eundem fuisse qui Caesareae passus esset: laterculos ab initio ad MN pertinuisse hac re non demonstratur. Cur multi alii, qui in Iuliana persecutione vitam pro fide Christiana fuderunt, non memorantur? Cur non leguntur Artemius Alexandrinus¹⁾, Iuveninus et Marcus Antiocheni²⁾, Marcus qui Arethusaevixit³⁾, Eupsychius martyr in voce Caesareae in Cappadocia⁴⁾, Gemellus Ancyranus⁵⁾, Eusebius cum suis, qui Gazae⁶⁾, Aemilianus⁷⁾, qui Durostori passus est, Dometius Persa⁸⁾, Basilius Ancyranus⁹⁾, quorum nullius cultus dubius est, nonnullorum late pervulgatus erat?¹⁰⁾

1) Quo praefecto urbis auctore a. 355 reliquiae Andreae et Lucae Alexandria Constantinopolim transvectae sunt. Constantinopoli ad eius honorem ab Anastasio patriarcha ecclesia exstructa est. (Delahaye, *Les orig.*, p. 275.)

2) Joh. Chrysostomos eos laudat (BHG 975); magno honore florebant (*Les orig.*, p. 228).

3) De cuius martyrio Greg. Nazianz. agit (contra Iulianum I, 88, 89, PG XXXV c. 616 sqq.).

4) Cuius diem festum hac in urbe magna cum sollemnitate celebratum fuisse multi testantur (Basilius magnus in epist. CCLII ad ecclesias, PG XXXII, c. 940).

5) SC eum Ancyrae mortem obiisse refert; vestigia eius martyris cultus in Galatia non desunt (*Les orig.* p. 187).

6) Quibus pater unius ex iis mediam inter urbes Maiumam et Gazam basilicam exstruxit (Sozomenus, HE 5, 9). SC Sept. 21.

7) Constantinopoli, ubi non multo post mortem eius ecclesia ad eius honorem exstructa est, eodem die quo in MH memoratus est, celebrabatur. Gregorius de eo agit in libello contra Iulianum scripto (II, 40, PG XXXV c. 716 sq.). Confitendum est, fieri posse, ut eius memoria in MN adscripta fuerit.

8) „Ad Cyrrhum” passus est. Greg. Turonensis (In gloria martyrum XCIX) eius aedem sacram memorat. Antiochia ex saeculi V initio alterum templum fuit, (*Les orig.*, p. 237) tertium Constantinopoli (*Les orig.*, 276).

9) Sozomenus HE V, 11. *Les orig.*, p. 187, 188.

10) De die festo „Synnadensium” Syriaco excepto nulla mentio fit! Quo confirmatur sententia laterculum „Synnadensem” non ex fastis MS adiunctum esse. In MS praeter hunc quattuor articuli Synnadenses, ex quibus tres „antiquos” martyres memorant.

Non memorantur multi in SC memorati quorum acta adhuc exstant: Dorotheus Alexandrinus¹⁾, Theodoretus presbyter²⁾, Porphyrius mimus³⁾, Patermuthius cum suis⁴⁾, Eugenius et Macarius⁵⁾, Timotheus Prusensis⁶⁾, Manuel cum sociis⁷⁾, Eusebius episcopus Samotasenus⁸⁾, Cyriacus Hierosolymita⁹⁾, Eusignius miles¹⁰⁾, Barbanus¹¹⁾. Sunt alii denique quos, quod sciamus, SC tantum memorat: Elpidius cum sociis (Nov. 7), Abodimus (Iul. 15), Iohannes miles (Iun. 20, Iul. 30), vel quorum acta sola supersunt: Artemius Antiochenus¹²⁾, martyres Tiberiopolitani XI¹³⁾, patres „in Chasmate”¹⁴⁾, Gregorius episcopus¹⁵⁾. Tot martyres, licet nonnullorum martyria historia fide minus comprobentur, ab eo, qui in ipsa persecutione aut non multo post MN componeret omissos esse, mihi non probatum est, cum praesertim plerique ex iis in urbibus, quarum martyres in MN memorentur, vixerint. Neque habuit aliquis quod post persecutionem Iulianam martyres solos, qui Diocletiani temporibus antecesissent, „antiquos” diceret. (Cf. de antiquis p. 5) Verisimilius est scriptorem non multo post saeculum quartum iniens MN composuisse.

In MS Nov. 24 Petri episcopi memoriae verbum additum est, quod valde mutilatum proditum, Duchesne et Lietzmann *postremum* legendum esse arbitrantur¹⁶⁾. Duchesne addit Petrum sollemni appellatione *τέλος μαρτύρων* dictum esse, ut qui ultimus in Maximini persecutione pro fide occubisset. In Calendario igitur Alexandrino, quo scriptor Nicomedensis usus sit, martyres aetate inferiores non

1) SC Oct. 9, Iun. 6. Acta SC c. 956 et 1018.

2) SC Mart. 2, 3, Mai. 18. BHL 8074.

3) SC Sept. 15, Nov. 4(?). BHG 1569 (Aureliani temporibus?).

4) SC Dec. 17, Iul. 9. BHG 1429, BHL 6471.

5) SC Dec. 20. Acta SC c. 975.

6) SC Mai. 26, Iun. 10. Acta SC c. 1020.

7) SC Iun. 17. BHG 1023.

8) SC Iun. 22. Acta SC c. 1022.

9) SC Oct. 28. BHG 465.

10) SC Aug. 5. BHG 639.

11) SC Mai. 8, 14. BHG 219. BHL p. 146.

12) Obiit 363. BHG 170–174.

13) BHG 1199.

14) BHG 1430.

15) Ammianus Marcellinus (XXII, 11) dicit eum X kal. ian. anni 361 plebe interfectum esse.

16) AS, Nov. II, 1 Prolegg. [LXIII], H. Lietzmann, Die drei ältesten Martyrologien, Bonn 1911², p. 15.

memoratos esse. Id, quod veri simile non est, si Kalendarium martyres minimum usque ad annum 363 „coronatos” continuit.

MN ante annum 362 compositum est. Quot annis ante scriptum sit, diiudicare non possum. Hic eum qui legit reicio ad ea, quae de locutione *de antiquis* dicta sunt (p. 5); annoto Nicomediam urbem celebrem opulentamque et aliis de causis et motu terrae, quae Aug. 24 a. 358 fuit, a medio IIII saeculo satis celeriter delapsam esse; annoto scriptorem, licet post annum 358 hac in urbe opus perficere potuerit, post annum 362 certe plus quam duos dies festos Constantinopolitanos commemorare debuisse¹⁾: quae fidem faciunt MN non multo post 330 scriptum esse.²⁾

Fontibus diptychis vel kalendaris singularum ecclesiarum scriptor usus est, sive eos ipse aliqua in synodo, sive per litteras adeptus est. Non novit vel ex industria martyrologio non adscripsit Ephesiae, Pergamena, Tarsensis, Aegaeatis, Sinopeae aliarumque in primis Palaestinarum³⁾ et Aegyptiarum ecclesiarum diptycha. Miramur Drosidem Antiochenam, Sergium Resaphenum, Euphemiam Chalcedoniam, Mamantem et Iulittam Caesarienses, XL Sebastenos, Iuveninum et Maximinum Antiochenos, tertio aut initio quarti saeculi „coronatos”, Leontium Tripolitanum et Theclam primo saeculo interfectos, qui omnes magno honore floruerint, in MS (et MN?) non inveniri.

Utrum scriptor nomina episcoporum, qui martyres non fuerunt et martyrum, qui non urbi alicui sed provinciae attribuuntur, ex illis diptychis an ex aliis fontibus deprompserit, an ex memoria martyrologio adscripserit, non facile diiudicatur. Quod exemplar huius martyrologii Nicomedensis Edessae in syriacum translatum est, non diu Nicomediae mansit. Ex MNH enim complures episcopi huius urbis MH adscripti sunt, quorum nomina in MS non memorata in alia urbe MN addita esse, non arbitror. Nec interpres Edessenus eos omisset, quippe qui episcopos Antiochenos omnes adscripserit. Qui interpres MN male vertit: saepius in MH (ex MNH)

1) Anno 358 Constantinopoli Martyrius et Marcius passi sunt, qui Oct. 25 sua in urbe celebrabantur. Ab anno 330 ibi ad honorem multorum martyrum aedes sacrae aedificatae sunt. (Delahaye, *Les orig.*, p. 272 sqq.) Reliquiae Timothei 356, Andreae et Lucae 357 Constantinopolim transportatae sunt.

2) Satis ad arbitrium C. Erbes (*Das syrische Martyrologium und der Weihnachtsfestkreis*, *Zeitschr. für Kirchengesch.* XXV, 1904) anno 340/341 MN scriptum esse arbitratur. Qui annus fortasse terminus est post quem: Eusebius Caesariensis 338/339 mortuus est. (Cf. autem ad III kal. iun.).

3) Sozomenus HE V, 3.

pleniores et melius servati articuli leguntur¹⁾; omnes articuli, qui ab Iun. 6 usque ad Iul. 6, fortasse etiam qui in initio mensis augusti et mense decembri in MN legebantur, negligentia omissi sunt; identidem in MH honorum designationes („presbyter”, „diaconus”) desunt.²⁾

MS (et MN) „arianum” esse, quod Arius ipse (Iul. 6) et Eusebius Caesariensis (Mai. 30) memorentur, omnes fere contendunt; nec constat Arium illum haereticum Iul. 6 indicari³⁾; praeterea ii quoque memorantur, qui Athanasii doctrinae praeclari fautores fuerunt: Petrus episcopus Alexandrinus, Iacobus episcopus Nisibenus, Euppsychius Caesariensis. Puto eum, qui MN composuerit, neutri factioni inimicum fuisse. Quo animo ad medium IIII saeculum Nicomediae nimirum viri complures fuerunt. Eusebius episcopus Arii partem secutus est; Amphion, qui ei successit, cum Athanasio⁴⁾ stetit; Cecropius episcopus homo factiosus non fuit.⁵⁾

§ 2. De verbis, quae sunt ἐκ τῶν ἀρχαίων.

Sedecim articuli, quorum martyres in MS ἐκ τῶν ἀρχαίων dicuntur, omnes in MH leguntur; apud omnes haec verba desunt, sive quod is, qui MNH transtulit, verba non legit, sive quod omisit. Eum verba omisisse veri similis mihi videtur quia quater in aliis articulis in MH memoratis verba q.s de antiquis apud martyres Orientis ex MNH sumptos leguntur: XVIII kal. febr. *In Antiochia Glyceri diaconi* [de antiquis, multis sqq. BW]; III kal. febr. *et alibi Hippolyti ep* [de antiquis BW]; III non. apr. *In Mysia Agathae, Meriti* [de antiquis W]; V non. mai. *Melitenae Hermogenis* [de antiquis BW].

¹⁾ De plenioribus laterculis in MH vide Achelis, *Die Mart*, p. 36 sqq. Falsam lectionem MS habet vel habere videtur. Ian. 6, 7, 20, 24, Febr. 7, 16, 23, 26, Mart. 2, 4, 6, 7, 25, Apr. 2, 3, 5, 6, 8, 9, 13, 15, 19, 30, Mai. 2, 4, 10, 16, 18, Iul. 7, 24, Aug. 15, 16, 29, Sept. 1, 15, Oct. 25, 26. Cf. hisce diebus.

²⁾ Mirum est priore in parte MS has designationes omissas esse (Ian. 13, Apr. 4, 5, 9, 10, 11, 18, 30, Mai. 5, 7, 11, 19, 20), altera in parte in MH (et MNH?) omnes paene deesse. (Mart. 4, 13, Iul. 6, 12, 24, 26, Aug. 16, 20, 27, Sept. 5, 10, 29, Oct. 9, 13, 23, Nov. 13, 14, 19).

³⁾ Duchesne: (Prolegg., p. [LXIX]) „Arii alii sine dubio fuerunt ea aetate et superiori, quorum unus potuit esse Alexandrinus et presbyter et martyr”.

⁴⁾ Duchesne contra eum ex iis fuisse putat „qui vel ab Athanasi adversarii collaudati sunt, vel ab eo notati (Prol. p. [LXIX]).

⁵⁾ M. Lequien, *Oriens Christianus*, Parisiis MDCCXL, I, p. 581 sq.

⁶⁾ Duchesne eos excipit: Prolegg. p. [LXVII].

Suspectum vero est in BW vel in W modo haec verba inveniri; III kal. febr., III non. apr., V non. mai. non solum articuli supra memorati leguntur, sed etiam semel vel bis articuli, iis qui in Syriaco memorantur simillimi (non additis verbis q. s. *de antiquis*). Quod suspicionem movet haec verba non ex fonte graeco in MH translata esse. Ad haec non satis constat qui sit Hippolytus episcopus (cf. III kal. febr.); articulus III non. apr. memoratus falsus est: sub verbis supra relatis Thessalonicenses Theodulus et Agathopus latent, qui martyres quarto saeculo passi sunt¹⁾; in MS Helpidius socius Heremogenis dicitur; in MH pro nomine *Helpidi* legitur *de antiquis!* Quod ad Glycerium attinet, cum passione quae in MH legitur verba *de antiquis* in Occidente adiecta videntur (cf. VII id. ian). Id quod mirum non est: librarius quidem recentioris codicis quid haec verba valerent, novit. Codex O VII id. dec. *Eutychiani ep. de antiquis*: episcopus Romanus indicatur, qui anno 283 mortem obiit.

Quid verba valeant ex MS satis cognoscimus. Ex martyribus, quibus adiecta sunt, scimus Ignatium in initio saeculo II, Polycarpum anno 155, Perpetuam 203, Carpum cum suis circiter 250, Silvanum, Marcianum, Dorymedontem anno fere 280 martyrium passos, ad aetatem Diocletiano superiorem pertinere. Colligere igitur nobis licet omnes illos martyres ante saeculum quartum iniens vitam pro Christo profudisse. Nonne in promptu erat scriptori, qui non multis annis post Diocletianum regnantem MN scriberet, martyres in vehementi persecutione ab illo Imperatore excitata passos, ab illis veteribus distinguere? ²⁾ Duchesne dicenti „ex opere Eusebiano qui inscribitur *Συναγωγή τῶν ἀρχαίων μαρτυρίων* profecisse graecum martyrologii auctorem” non assentior.

„Inter antiquos martyres, inquit, et recentes, id est sui temporis, ita distinguit Eusebius ut illos tantum in collectionem suam reciperet, de ceteris in universum tantum referret exceptis Palaestinensibus”. Eusebius autem in libro laudato non antiquos *martyres* sed antiqua i. e. antea scripta *acta* collegit. Praeterea si Iordan recte indicat⁴⁾ Eusebium ante 303 hunc librum composuisse, de discernendis antiquis et recentibus martyribus (quo modo Duchesne vult) sermo esse non potest.

¹⁾ BHG p. 235.

²⁾ Non apud omnes, qui ante Diocletianum fuerint martyres, haec verba invenies. Polyeucto, Babylae, Thraseae, Cyrillo adiecta non sunt, quo autem minime ea neque in MN inventa fuisse demonstratur.

³⁾ Prolegg. p. [LXVII].

⁴⁾ Geschichte der altchristlichen Literatur, Leipzig 1911, pag. 87.

„Si formula, inquit Duchesne, ἐκ τῶν ἀρχαίων vel de antiquis, recte apposita est, et ipsi priscae aetatis fuerunt et gesta habuerunt apud Eusebium”¹⁾. Nescimus vero quae ille liber Eusebianus continuerit. Eusebius ipse martyria Pionii²⁾, Lugdunensium³⁾, Apollonii⁴⁾ eorumque qui temporibus Antonini Veri passi sunt, in eo memorata esse refert. Stählin⁶⁾ „Sie (ἡ συναγωγή) ist verloren, aber die meisten in ihr enthaltenen Martyrien sind wenigsten auszugsweise in die Kirchengeschichte übergegangen”⁷⁾. Ex XX articulis verbis *ex antiquis* praeditis (in quibus 32 martyres memorantur) quos Duchesne ex eo libro sumptos esse putat, III articuli (quinque martyres memorantes) in Eusebiano de H.E. libro inveniuntur!⁸⁾

. . . . „In passione Pionii (sc. apud Eusebium relata) legitur cum eo igni traditum fuisse Metrodorum, marcionistam presbyterum. Hic est cuius nomen extat in latinis cum ipsius Pionii nomine sub die IIII id. mart. *Smyrnae Pionii presbyteri, Metrodori presbyteri*. Scilicet bonus auctor, cui certe nulla ecclesiarum catholicarum kalendaria Metrodori nomen obtulerunt, id in passione invenit atque ea parum intellecta in opus suum rettulit”⁹⁾. Duchesne omnes „orientales”, qui in MH leguntur, graecum martyrologium (MNH) commemoravisse ratus, hoc quoque caput (de Pionio) MNH adscriptum fuisse ponit. Quo fiat, ut Metrodorus quoque hoc capite memoretur, mea opinione non recte explicat; scriptor Nicomedensis enim, sive Arianarum partium fautor, sive heresiarchis non inimicus, minime kalendariis catholicarum ecclesiarum solis usus est. Praeterea martyres in MS non memorantur, nec verba *de antiquis* in MH apud eos martyres leguntur. Ex passione ab Eusebiano opere diversa aliquis totum articulum MH adscripsit.

„Polycarpus in latino *cum aliis XII* passus esse dicitur VII kal. mart. Etiam hoc passioni (sc. apud Eusebium relatae) debetur; in ea enim memorantur XII vel potius XI alii martyres” Si „Graecus scriptor” ex passione sumpsit, cur Polycarpo XI socios non attribuit neque martyres in voce ἐν Σμύρνη adscripsit, cum Eusebius clare indicet: „ὅς οὖν τοῖς ἀπὸ Φιλαδελφίας δωδέκατος ἐν Σμύρνη

1) Prolegg. p. [LXVII].

2) Eus. HE, III, 15, 47.

3) Eus. HE, V, 4, 3.

4) Eus. HE, V, 21, 5.

5) Eus. HE, V, 1, 2.

6) Geschichte der Griech. Lit., München 1913⁵, II, p. 1142.

7) Eus. HE, V, 1, 2.

8) Polycarpus, Carpus, Papyrus, Agathonica, Ignatius.

9) Prolegg. p. [LXVII].

μαρτυρήσας"? (cf. VII kal. febr.). Quae Duchesne dicit argumento esse non possunt „illum graecum" cum hunc tum alios articulos ex Eusebiano libro deprompsisse. Denique Duchesne articulum Lugdunensium (III non. iun.) ex „Eusebiana passione" fluxisse docet. Hoc igitur loco eos Lugdunenses, quos MH „antiquos" non dicit, in MNH memoratos fuisse arbitratur, qui quae MH refert de Floriano martyre in Norico Ripensi passo ad martyrologium Orientis pertinuisse neget (p. LXVI).

Martyrologii Nicomedensis scriptorem illis martyriis ab Eusebio in unum collectis usum esse, satis certis argumentis affirmari non potest. Si verba q. s. ἐκ τῶν ἀρχαίων recte ter apud Cosconium cum suis (Ian. 19) leguntur¹⁾, aut in singulis kalendaris ea iam invenit, aut qui composuit martyrologium, ipse minimum bis apposuit. Articuli Perpetuae et Polycarpi in quibus ἐκ τῶν ἀρχαίων legitur ex diptychis non sumpti sunt! Scriptor fortasse libro Eusebiano libro ductus ipse mea opinione ut potuit martyres antiquos et recentiores distinxit. Eum martyres antiquos omnes ex libello aliquo sumpsisse veri simile non est. Si sumpsisset, quo loco Perpetua et Polycarpus passi essent, distinctius indicasset. Mirum est porro eum praeter Perpetuam illam martyresque nobiles Antiochenos ex sex urbibus, quae non procul a Nicomedia absunt, antiquos memorare. Denique et ex laterculis Nicomedensibus et ex martyrologio toto apparet eum non quibus diebus martyres passi essent, (qui plerique ignoti erant) sed quibus in singulis urbibus colerentur, indicavisse. Quos dies in libello, de quo supra sermo fuit, indicatos fuisse non puto.

§ 3. De episcopis Nicomedensibus.

Quod exemplar MN cum martyrologio latino coniunctum est, diutius Nicomediae mansisse videtur, quam MS: praeter nonnullos martyres in MS non memoratos, complures episcopi Nicomedenses usque ad exiens saeculum IIII huic exemplari adscripti sunt. In MS nemo martyr Nicomedensis episcopus appellatur, quamquam Anthimus (Apr. 24) sine dubio episcopus huius nominis est. Episcopos in MH invenimus kal. ian. Euphrosinum (i. e. Euphrasium); VIII id. mart. Cyrillum; id. mart. Lucium (?); V kal. mai. Anthimum; non. mai. Flavium (?)²⁾; VI id. iun. Eustolium. Suspicio praeterea occurrere:

¹⁾ Quod dubitandum est. Febr. 23 fortasse ad Polycarpum, Sept. 2 ad ignotum martyrem Nicomedensem pertinet.

²⁾ In MS Φλάβιος καὶ ἕτεροι μάρτυρες δ'. Videtur in MS verbum q. e. episcopus omissum esse. (Cf. p. 5). Flavius episcopus Nicodemensis ignotus est. Memoriane alicuius episcopi ex pago Nicodemiae propinquo orti legitur?

- XII kal. apr. Cecropium (*Castori*).
 II non. aug. Patricium (*Isaci*).
 XVII kal. oct. Amphionem (*Artei, Marci, Archeon* BW).
 VI id. nov. Eusebium.
 II kal. dec. Marathonium (*Carionis, Tirionis*).
 III non. dec. Onesimum (*Umbici*).

Lequien¹⁾ praeter duos episcopos, qui saeculo II vixerunt, ab exeunte saeculo III usque ad exiens saeculum IIII hosce episcopos enumerat: *Cyrrillum*²⁾, *Anthimum*, *Eustolium*, Eusebium, Amphionem, Cecropium, Marathonium, Onesimum, *Euphrasium*, Patricium. Concedendum est Eusebium cett. minime clare et distincte in MH inveniri. Fieri sane potest, ut quis horum episcoporum nomina MNH in margine adscripserit. Nisi falso *Euphrasium* legimus, (kal. ian.) habemus quod in MH Eusebium cett. quaeramus. Satis pro certo puto Eusebium et Marathonium memorari. Si in reliquis recte iudicavi, nonnulli obscuri articuli Nicomedenses explicati sunt.

§ 4. De episcopis Antiochenis.

In MS octo episcopi Antiocheni enumerantur:

Ian. 13	<i>Ζεβίνος.</i>	Mrt. 27	<i>Φιλίππος.</i>
Ian. 24	<i>Βαβυλάς.</i>	Mai. 5	<i>Ἡρώς.</i>
Febr. 4	<i>Μαξιμίῳς.</i>	Mai. 14	<i>Σεραπίων.</i>
Mart. 4	<i>Ἀμφίμηλος.</i>	Oct. 17	<i>Ἰγνάτιος.</i>

„Die Antiochenischen Bischöfe, inquit Achelis³⁾, kehren mit einziger Ausnahme des Märtyrers Babylas in MH nicht wieder.“ Quod rectum non videtur. Nomen q. e. Zebinus id. ian. inveniri puto (*in Campania . . . Cimini*). Episcopus Antiochenus nomine Amphimelus ignotus est. Egli⁴⁾ et Erbes⁵⁾ episcopum Asclepiadem significari suspicantur, id quod laterculo hieronymiano confirmatur (III non. mart. *et alibi Asclepiadis . . . Asclepiadis*). Maximinum Antiochenum, quem MH VI id. iul. memorat, eundum non puto quem episcopum; neque Ignatii memoria, quae in MH XIII kal. ian. occurrit, ex MNH sumpta videtur. Articuli Philippi⁶⁾, Herois, Sarapionis, in

¹⁾ Oriens Christianus, Parisiis MDCCXL, I, c. 581 sqq. Incertum est enumeretne Lequien omnes episcopos, qui fuerunt.

²⁾ Litteris inclinatis indicantur, qui in MH memorantur.

³⁾ Die Mart., p. 59.

⁴⁾ l.l. p. 11.

⁵⁾ Zeitschrift für Kirchengesch. XXV, p. 349.

⁶⁾ Mir unerklärbar, inquit Egli (l.l. 13). Eusebius HE VI, 21, 2 et 23, 3 eum *Φιλιππὸν* dicit. Cf. ad Ol. 249, Eusebius Werke V, ed. J. Karst, Leipzig 1911.

MH non inveniuntur, quo in martyrologio tamen Demetrius ep. (III id. nov.) et Domnus ep. (III non. ian.) leguntur¹⁾. Episcopi Antiocheni leguntur²⁾: Euodius, *Ignatius*, *Heros*, Cornelius, Eros, Theophilus († 186), *Maximinus* († 199), *Sarapion* († 211), *Asclepiades* († 219), *Philetus* († 230), *Zebennus*, *Babylas* († 250), Fabius, Demetrius, Paulus, Domnus, Timaeus († 282), Cyrillus († 303), Tyrannus, Vitalis, Philogonius, Paulinus, Eustathius, Eulalius cett. Videmus in MS ex episcopis, qui ante annum 250 vixerunt, octo memorari. Fuerunt, qui putarent, mirum esse omnes eorum dies festos excepto Ignatii die natali in menses ianuarium usque ad maium cadere. Id quod, cum minime quo ordine episcopatum obtinuerunt in MS memorentur, casu evenit. Praeterea quaeritur hic sintne articuli Demetri et Domni in MN postea additi necne. Probabile non est hosce episcopos, postquam MN compositum sit, adiectos esse. Sin autem in MN Demetri memoria legebatur, duo episcopi fuerunt, quorum dies festi (?) in menses supra dictos non caderent.

Altera est quaestio, cur Euodius, Cornelius, Eros, Theophilus, Fabius, Paulus non legantur. Inveniuntur in MS Aug. 16 Euodion episcopus Alexandrinus, Sept. 14 Horos episcopus, quem MH Alexandriae attribuit. Est tamen quod rogemus, cum praesertim Alexandrini episcopi, quibus haec nomina, non fuerint, perperamne in MN ἐν Ἀλεξανδρεία pro ἐν Ἀντιοχείᾳ adscriptum sit. Episcopus nomine Theophilus Iul. 27 in MS in voce Laodiceae legitur; nec vero eum Antiochenum iudicare audeo. Quod ad Fabium attinet, Fabius semel in MH memoratus, episcopus dicitur (XV kal. aug.). Videtur tamen episcopus Gallus. Ex quibus colligo MN plures episcopos, quam MS habuisse; in antiquiore MN exemplari fortasse iam nonnullos episcopos falso ἐν Ἀλεξανδρεία scriptos fuisse; eum qui MN syriace verterit, nonnullos episcopos non legisse, vel potius negligentia verbum q. e. episcopus omisisse; in MNH sine dubio cum Babylam tum alios episcopos inventos fuisse.

Exemplar quod Edessae syriace versum est antea Antiochiae in usu fuisse³⁾ nego; si fuisset, Antiochiae episcopi recentiores adscripti essent, nec praeclearum Babylan in MS in voce Nicomediae legeremus. Is ipse, qui MN composuit, Antiochenos episcopos sive ex kalendario, sive ex alio fonte adscripsit.

¹⁾ XI kal. aug. Cyrillum ep. in voce *Antiochiae* designari non puto.

²⁾ E. Schwartz, Eus. HE II, 3 p. 9 et Lequien, Oriens Christianus II, p. XXVIII.

³⁾ Achelis, Die Mart, pag. 59.

CAPUT II.

DE MNH.

§ 1. De MNH.

„Das orientalische Martyrolog, inquit Achelis, das in MH bewertet ist, war bedeutend reicher als MS¹⁾; im Vergleich mit der orientalischen Vorlage des MH (quod MNH dixi) hat MS nur einen geringen Umfang²⁾; es (MNH) hatte sehr viele spätere Eintragungen in sich aufgenommen³⁾; eine ungeheure Vermehrung erfahren“⁴⁾. Post omnia, quae supra dixi necesse non videtur iterum dici rem mea opinione hisce verbis paululum in maius ferri. In MH multo plures articuli ad martyres Orientis attinentes, (amplius 750) quam in MS (182) leguntur: multos autem ex actis sumptos, non paucos falsos aut incertos esse demonstravimus. Pro certo habeo complures articulos, quos MNH attribuerim, si confusi laterculi, qui in MH leguntur, accuratius pertractari possint, falsos repertum iri.

Iam exploremus, quae ratio inter MN, MS, MNH intercedat. MS 182 adnotationes habet. Laterculos Apr. 5 et Mai 20 memoratos in duas, Sept. 15 relatum in tres partes divisimus, ita ut 186 adnotationes legantur. Ex quibus in MH 33⁵⁾ non invenies (quae leguntur Dec. 28*, Jan. 6, 22, 25*, Febr. 4, 7, Mart. 1, 11, 27, Apr. 6, Mai 5, 14, 21, 23 (duo articuli) 25*, 30, Jun. 5*, Jul. 15, 30, Aug. 1 (memoria Xysti), 14, 25, 26, Sept. 2, 7, 16*, 23*, 28, Oct. 7, 17*, Nov. 15, 21); septem autem ex 33 (cruce designatae) ab eo, qui MNH latino martyrologio adiecit, aut in alios dies transportatae⁶⁾ aut variis de causis de industria omissae videntur. Martyres igitur illis articulis

¹⁾ Die Mart p. 86.

²⁾ o. l. p. 91.

³⁾ o. l. p. 39.

⁴⁾ o. l. p. 39.

⁵⁾ Incertum est redeantne articuli Ian. 13, Mart 4, Iul. 11, Sept. 1. Oct. 3 in MS memorati in MH; quos tamen MNH adsignavi.

⁶⁾ Fieri sane potest, ut ii laterculi in MNH iam in alios dies transpositi legerentur.

memoratos in MNH scriptos fuisse puto: 26 articuli in MNH non inveniebantur¹⁾.

Cur non legebantur? In MN (et MNH) non inveniebantur articuli MS adiecti: martyrum Nisibenorum et Edessenorum (Apr. 6, Mai. 28, Jul. 15, 30, Sept. 2, Nov. 15) et fortasse Polycarpi (Mai. 23) et Eusebii (Mai. 30). In MNH submotae videntur adnotationes Luciani (Jan. 6) et Candidae (Febr. 7) quod proximo die iam legebantur; praeterea Nicomedensium adnotatio Jan. 22 relata (plerique sua quisque in urbe aliis diebus memorantur) et Hesychi (Aug. 26), qui Mai. 29 occurrit. De episcopis Antiochenis (Febr. 4, Mart. 27, Mai. 5, 14) iam egimus (p. 9).

Separatim 32 articuli quos MS nomine urbis vacantes habet, notandi sunt, cum praesertim nonnullis in rebus ab viro docto Achelis (Die Mart, p. 46) dissideam. Articulis 32 ab eo enumeratis addendi Febr. 23 καὶ Ἀρωτος, Febr. 28 καὶ Κοσκόβιος cett., articuli Jul. 12 et 13 dicti in unum contrahendi sunt. Ab Achelis 18 articuli, qui in MH urbis nomine praediti sunt, indicantur. (Mart. 10, 19, Apr. 4, 19, 24, Mai. 14, 20, Aug. 21, 24, 27, Sept. 8, 10, 14, Oct. 21, 23, Nov. 8, 19, 20). Besas et Serapion autem (Mart. 19) ut Alexandrini sunt, ita in MH illius urbis nomen cum illis coniunctum non legimus; Aphrodisius (Mai. 14) in MH nulli urbi adiectus videtur (cf. II id. mai). Restant igitur 17 laterculi, qui aut in MNH non legebantur (qui memorantur Febr. 7, Mai. 23, Aug. 26, Sept. 7, 28) aut (id quod Achelis de omnibus putat) neque in MNH urbi attributi erant. (Febr. 23, duo articuli, Febr. 26, Mart. 19, Mai. 14, Jul. 7, 12, 24, Aug. 25, Sept. 1, 9, Oct. 4). Mea opinione V tantum ex posterioribus nomine urbis omissis in MNH legebantur²⁾. De ceteris haec: Qui martyres in MS Febr. 26 Callinicus et Alexandrinus dicuntur, Alexandrum Thessalonicensem puto; qui Iul. 7 et 12³⁾ memorantur Alexandrini sunt; Ἀνθογόβιος Sebasteae celebrabatur; Paulinus (Aug. 25) in MH alio die articulo alterius martyris adiunctus legitur (III kal. iun); habemus, quod Silvanus (Sept. 9) in MNH Alexandriae, Theotecnum (Oct. 4) Antiochia attributum fuisse existimemus.

Qui MN syriace vertit, nonnulla urbium nomina incuria neglexit,

¹⁾ Concedendum nimirum nonnullos ex his fortasse ab eo, qui MNH latino martyrologio adiunxit, omissos esse. Id quod, cum accurate MNH transtulerit, probabile non est. —

²⁾ Febr. 23 (duo articuli), Mart. 19, Mai. 14, Sept. 1.

³⁾ De duobus articulis Iul. 12 et Oct. 4 memoratis Achelis in eadem sententia est (Nachträge, p. 245).

Nonnullis in laterculis urbes non nominatim indicavit, quia antecedentes articuli eiusdem urbis nomen habebant: (Mart 19(?), Iul 7, Aug. 25, 26, 27, Sept. 7, 8, 9, 14, Oct. 4, 23). In nullum fortasse laterculum cadit, quod Kellner arbitratur: „doch finden sich (in MS) viele Heiligen ohne Angabe des Ortes wohin sie gehören, was wohl auf mangelhafte Information des Autors zurückzuführen ist“¹⁾.

In summa in MNH 160 articuli cum syriacis congruentes legebantur. Ex opere Eusebiano 15 articuli²⁾ sumpti sunt; praeterea in MNH legebantur 124 hi articuli:

Alexandriae	Ian. 11 <Philoromus> (Ian. 12, Febr. 3). Febr. 9 Paulus, Dionysia. Mart. 12 Zeno, cett. » 21 Sarapion monachus. Mai. 17 <Victor, Basilia.> Iun. 9 Maximus presb. » 22 Rufinus. » 25 Agathon, cett. » 28 Plutarchus, cett. Iul. 3 <Trophonius, Menelaus . . .> » 11 <Euty chius, Euphemia.> Aug. 9 Antoninus. » 28 <Sarapion> (Ian. 25). Sept. 13 Theodorus ep. » 24 <Marcus evangelista> (Apr. 25, Mai. 18). Oct. 13 Athanasius ep. Nov. 11 Menas. Dec. 11 <Ammonius.>
Caesareae in Palaestina	Mart. 28 Rogatus, Alexander, cett.
<Apud Cyprum>	Febr. 9 Alexander, Ammonius. » 20 Potamius, Nemesius, Didymus.
In Syria	» 15 <Adventius . . .> Mart. 20 <Paulus, Cyrillus . . .> Iul. 27 <Symeon monachus> (Ian. 5, Iul. 30). Oct. 12 Eustathius presb.?
Tripoli	Iun. 12 <Magdales.> Dec. 24 <Lucianus.>
Antiochiae in Syria	Ian. 2 <Domnus ep.> (Nov. 30).

¹⁾ K. A. H. Kellner, Heortologie, Freiburg in Breisgau 1911³.

²⁾ De Palaestinis martyribus. Ad XVI dies Palaestini leguntur, sed Febr. 16 nonnulli ex his in MS iam occurrunt. Cf. p. 41.

- Febr. 15 Iosippus diac. (Mart 20).
 Mart. 7 <Lucius, Nestor.>
 » 29 Theodorus presb. (Mart 23, Apr. 10).
 Iun. 22 Galaktion, Iulianus.
 Iul. 10 <Maximus, cett.>
 » 22 <Andreas, Cyrillus.>
 Aug. 7 Sophronius, Veneria, cett.?
 » 29 Nice, Paulus.
 Nov. 10 Demetrius episc.
 Dec. 7 <Polycarpus et Theodorus> (Dec. 6).
 » 14 <Drosis cum suis.>
- Sebasteae in Armenia Mart. 9 Milites numero XL.
 » 22 Decronius, cett.
 » 26 Petrus ep.
- In Armenia minore Febr. 8 Dionysius, cett.
 Apr. 1 <Acacius.>
- Amasiae Iul. 2 <Hesychius.>
- Caesareae in Capp. Mart. 19 <Theodorus presb.>
 Aug. 17 <Mamas.>
 Sept. 10 Eupsychius.
 » 27 Eleutherius.
 Oct. 23 <Longinus.>
- Ariarathiae in Capp. Sept. 6 <Cuttidus.>
- Tarsi in Cilicia Apr. 27 Castor (Mart 28, Apr. 28).
 Iul. 3 <Severus . . .>
- In Cilicia Iun. 4 <Expergentius.>
- <Ancyrae in Galatia> Dec. 28 Eutyichius presb., Domitianus diac.
 Ian. 23 <Clemens, cett.>
- Neo Caesareae in Ponto Aug. 22 Nectarius, Saevus?
- Laodiceae (in Phrygia?) Ian. 25 <Theogenes> (Ian. 26).
 Dec. 3 <Merope> Dec. 4.
 » 18 <Theotecnus, cett.> Dec. 19.
- In Pamphylia Febr. 25 Nestor.
- Philadelphiae (in Lydia?) Aug. 8 Leonides.
- Smyrnae Febr. 27 <Servilianus, cett.>
- In Abrettena Sept. 17 Socrates, <Stephanus.>
- In Asia » 25 <Bardonianus, cett.>
- Nicaeae Iun. 9 Diomedes <. . .>
 Oct. 21 Macarius. . . .
 Dec. 19 <Secundus, cett.> (Dec. 11, 14, 20, 21).
- Nicomediae Ian. 1 Euphrasius ep.

- Febr. 22 Thecla (Mart. 25, Sept. 23, Dec. 20, 21).
 Mart. 8 Cyrillus ep.
 » 15 Lucius ep.
 » 16 <Cecropius ep. ?>
 Apr. 3 <Donatus.>
 » 11 <Eustorgius presb.>
 Iun. 8 <Bitus, cett.>
 » 8 Eustolius ep.
 » 10 Zacharia.
 » 23 Avitus, Cinnamius lect. . . .
 Iul. 1 <Zoilus.>
 » 28 <Panteleemon> (Apr. 23).
 Aug. 4 <Patricius ep.>
 » 8 <Nazarius, Iuliana, cett.>
 Sept. 15 <Amphion ep.>
 Nov. 9 Damianus.
 » 30 <Marathonius ep.>
 Dec. 3 <Onesimus ep.> (Dec. 4).
 Constantinopoli Mai. 9 <Timotheus.>
 Gildobae in Thracia Iun. 4 <Iulius> (Dec. 20).
 Heracleae Apr. 1 <. . .>
 Nov. 19 Mulieres XL (Dec. 18, 20).
 » 20 <Dasius> (Dec. 21).
 Thessalonicae Mart. 30 Dominus.
 Apr. 5 <Irene.>
 In Graecia Ian. 8 <. . .> (Ian. 7, Febr. 14).
 Mart. 16 <Cyriacus, cett.>
 Gortynae Mai. 16 <Vincentius> (Mai 15, 25, Oct. 1).
 Tomide Ian. 3 <Claudio, cett.>
 Iul. 5 Marina, cett.
 Aug. 1 Cyrillus, cett.
 Sept. 15 Macrobius, cett.
 Oct. 1 Priscus, Euagrus.
 Novioduni Sept. 17 <Valerius, cett.>
 Dinogetiae Mai. 14 Alexander (Mai. 15, Oct. 1).
 Axiopoli Aug. 5 Irenaeus, cett.
 Durostori Iun. 8 Marcianus, cett. (Dec. 26).
 » 15 Hesychius.
 Iul. 18 Aemilianus.
 Ratariae Dec. 30 Hermas exorcista (Ian. 1).
 Iun. 15 <Menignus, cett.>

In Dacia Ripensi	Apr. 10 <Gaianus diac.>
In Thracia	Dec. 28 <Gaianus.>
Sirmii	Dec. 25 Anastasia (Ian. 6, 8). Mai. 11 <Montanus> (Mart 26). » 15 <Timotheus.> Iul. 15 <Agrippinus, cett.> Aug. 9 Rusticus.
??	Iul. 24 <Capito, Silvanus.> Aug. 3 <Hermylus.> » 19 <Silo, Rufinus, Leontius.> » 21 <Traianus, Saturninus.> Nov. 10 Eustochius cum sociis. » 13 Hermogenes, cett. (Dec. 9). » 28 <Trophimus, cett.>

Spectans multos ex illis in MN adscriptos fuisse sed ab eo, qui MN syriace vertit, omissos esse (articuli multi a die Iun. 5 usque ad Iul. 6, fortasse Aug. 1—11 et Nov. 24—Dec. 25 in MH memorati), multos valde incertos esse, nonnullos fortasse ex actis MH adscriptos esse, apparet non articulos permultos MN adiectos esse, priusquam MNH martyrologio latino adiunctum sit.

§ 2. De verbis quae sunt in Oriente.

Vir doctus B. Krusch permulta ex iis, quae Duchesne et de Rossi in Prolegomenis Martyrologii Hieronymiani disseruerunt in controversiam vocans, illud quoque Duchesnum „MS fundamentum huius martyrologii fuisse, cui vetustissimum ecclesiae Romanae kalendarium, deinde memoriae sanctorum Africorum, Itolorum, Hispanorum, Gallorum accreverit”¹⁾ refutans: „das orientalische Martyrolog, inquit, ist also eine Quelle des M. H.”²⁾ Achelis iam anno 1899 quae de his rebus sentiret isdem verbis dixit³⁾.

Krusch unum ex argumentis a Duchesne allatis refellens, nonnulla de verbis in *Oriente* dixit. Duchesne affert⁴⁾ laterculos ad martyres Orientis pertinentes ab ceteris eo discrepare, quod semper et nomen urbis et provinciae continent. Krusch opponit⁵⁾: „... solche (sc. articuli

¹⁾ p. [LXXV].

²⁾ B. Krusch, Nochmals das Martyrologium Hieronymianum, Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, XXVI, Hannover 1901, p. 383.

³⁾ Die Mart., p. IV, 71 et passim.

⁴⁾ Mélanges d'archéologie et d'histoire, Bruxelles 1885, p. 121.

⁵⁾ o. l., p. 382 sq.

sine designatione urbium memorati) finden sich auch in syrischen Martyrolog, und etwas beweisen konnten sie vielleicht, wenn die andere Art, die unstreitig, was auch Duchesne zugiebt, auf den Compiler zurück geht, in diesem Theile nicht vorkäme, wenn er also thatsächlich anders behandelt wäre, wie die übrigen. Nach Duchesne's Schweigen zu urtheilen müsste man das auch annehmen. Die Entscheidung der Frage können nicht die Stellen bringen, an welchen der Compiler die echte alte Topographie in seiner Quelle fand, sondern allein diejenigen, an welchen er sie nicht fand, wo also nur die Civitas darin stand oder überhaupt keine Ortsangabe. In *allen*¹⁾ diesen Fällen hat er sich durch den allgemeinen Zusatz „In Oriente“ geholfen, wie die folgenden Stellen beweisen.“ Deinde septem articulos, in quibus haec verba legantur, profert (kal. ian., II non. ian., XVIII kal. febr., non. febr., kal. mai, VIII kal. iun, III non. dec.). Quod ad verba „In *allen* diesen Fällen“ attinet, haec contra dico. Saepius in MH martyrum „graecorum“ laterculi nomine urbis omisso leguntur, „wo der Compiler sich also nicht durch den Zusatz „in Oriente“ hat geholfen“ (Krusch). Praeterea non septies sed sexies et decies²⁾ haec verba in MH inveniuntur, quos locos, ut videamus quid verba valeant, accuratius tractabimus.

II non. ian. In Oriente civitate Bononia Hermetis

non. febr. [In Oriente BW] Patris ordinatio

IX kal. oct. [In Oriente E, Rich] [In Seleucia BW] Theclae

III kal. dec. [In Oriente E Rich] In Syria Trophimi,

XIII et XII kal. ian. In Oriente [in Iconio E] nat. Theclae³⁾.

¹⁾ Ego litteris inclinatis imprimendum curavi.

²⁾ Vel potius septies et decies: III non. oct. W „uncis inclusa manu secunda“: *Dedicatio oratorii sci Remedii in Oriente iuxta flumen Hlutra. Est Remedius episcopus, quem omnes codd. III non. febr. memorant: in Oriente est depravatam in Vapinco.*

³⁾ Quid librarius in antiquissimo exemplari legerit, non liquet. E XV kal. ian. partem laterculi, alteram partem XIII kal. ian. habet; librarius codicis E articulos XV, XIII, XIII kal. ian. memoratos deinceps XIII, XIII, XII kal. ian. iterum scripsit.

E *XIII kal. ian. et in Iconio theclae*

XII kal. ian. in oriente nt. theclae et in ampeta civit. ronidi codiae liberatis

W *XII kal. ian. In oriente nat theclae et sc. liberati.*

Ex quibus supra diximus et ex laterculo in W memorato apparet unum eundemque librarium utrumque articulum in E scripsisse. Librarius codicis W plenorem adnotationem: *In Iconio in Oriente nt. Theclae et in . . . ut solebat, contraxit.*

His articulis sine dubio verba *in Oriente*¹⁾ in Occidente addita sunt, ut qui legerent urbes in Oriente sitas significari intellexerent. Iniuria Krusch²⁾: „Die Worte kann nur derjenige vorgesetzt haben, der die Quelle selbst zur Hand hatte. Das orientalische Martyrolog ist also eine Quelle des MH“: III non. dec. enim legimus *In Bononia Italiae*. MS vel potius MNH re vera MH fons est putandus; neque tamen hac re demonstratur.

VII kal. febr. [*In Oriente* Rich] [*In Nicea Smirne* BW] *Polycarpi*.

VII kal. mai. [*In Oriente* S] *in Persida* [*civ. Diospoli* BW] *passio sancti Georgi*.

kal. mai. *In Africa Quintiani . . . et nat. Matthei et Iacobi apostolorum* [*et in Oriente* BW it B] *Quintiani*³⁾.

III id. mai. [*In Oriente* Rich] *In Palestina Taraci*.

V id. aug. [*In Oriente* BW] *Firmi* [*in Sirmio* E] *Rustici*.

XV kal. nov. [*In Oriente translatio corporis sc.* BW] *Lucae evangelistae*.

His locis non „compiler“ sed recentiorum codicum librarii, cum quae antiquior codex haberet, non intellegentes, quo loco martyr de quo ageretur vixisset indicare vellent, hac locutione usi sunt. „*In Oriente*“ XVIII kal. febr. quoque errore scripta leguntur. Omnes codices *et in Oriente Corneli, Caelesti et ceterorum*. Ad posterum diem *Romae in cymeterio Callisti . . . via Cornelia*. Licet Duchesne et Urbain de hoc laterculo romano idem non sentiant⁴⁾, puto articulum XVIII kal. febr. memoratum ex hoc articulo exortum esse⁵⁾. Iniuria martyribus Africanis in Oriente additum est XVI kal. febr.: *In Oriente Rubenti et Martyri*; MK: *sanct Rubensium!* De articulo III non dec. memorato pauca iam diximus. Non liquent omnia, sed hoc quoque die verba q. s. *in Oriente* a librario recentiore, qui locum

1) Verbis q.s. In Oriente Praefectura Oriens non designatur, cuius extra fines Bononia et Patrae sitae erant. Cf. quae in prooemio scripsimus.

2) o. l. p. 385. Krusch enim ponit MNH omnes hos articulos urbium designatione omissis exhibuisse.

3) Apparet Afrum Quintianum bis legi. Qui codicem Rich exscripsit iam intellexit (id quod Krusch vidisse non videtur). *In Oriente* non recte Quintiano adiectum esse: „et in Oriente Matthei apostoli“. In Oriente depravatum nomen martyris Afri videtur. Omnes Afri enim, qui kal. mai. leguntur, ex laterculo II kal. mai. memorato iterantur. (II kal. mai. . . *Orimenti Clementi* B). Apud Florum similem errorem invenies: III id. febr. in MH *In Alexandria . . . Orionis . . . Romae Soteris*, apud Florum „*In Oriente Soteris*“ (Quentin p. 342).

4) Cf. A. Urbain o. l. p. 120 sq.

5) An ex articulo XVIII kal. oct. memorato: *In cymeterio Caelesti, Corneli ep. . . .?*

non perspiceret, adscriptum esse satis constat. *Kal. ian. In Oriente Stephani*; *III non ian. in fine laterculi Hierosolymis Stephani*; *kal. ian. leguntur in E Circumcisionis, Coronae, Telemachi, Stephani . . . in BWL Circumcisionis Stephani . . . quorum articulorum nullus ex fonte graeco sumptus est. Octava festi Stephani significari videtur, quae „Octavae”, cum MNH „Hieronymianis” adiungebatur, ignotae erant. Reliqua est adnotatio VIII kal. iun. memorata: in Oriente Eusebi. Martyr ignotus est, cuius nomen in MNH inventum fuisse minime constat; id quod, si in memoriam revocamus e compluribus notationibus, quae in MS urbium nominibus vacant, quattuor eodem modo in MH translatae, quinque omissas, nullam in MH in voce in Oriente translatae esse, veri simile non est. Articuli igitur hac voce praediti argumento non sunt MNH martyrologio Occidentis additum esse; non omnes articuli ab „compilatore” eadem de causa hunc in modum redacti sunt; non omnes ex uno fonte a MNH diversa sumpti sunt.*

§ 3. De verbo quod est *passio*.

Nimis adhuc verbum, q. e. *passio* saepius in MH usurpatum a viris doctis neglectum est. Legitur¹⁾

VIII	kal. ian.	P. Eugeniae*	(BW Rich)
VII	» »	P. Marini, cett.*	(BG)
II	» »	P. Columbe*	
VIII	id. »	P. Iuliani et Basilissae*	
VI	» »	P. Luciani, cett.*	(C) (S V id.)
XVIII	kal. febr.	P. Felicis*	(BW)
XVII	» »	P. Marthae, cett.*	
XVI	» »	P. Speusippi, cett.*	
XV	» »	P. Tyrsi, cett.*	(BW) (II kal. omnes codices)
XIII	» »	P. Sebastiani*	
XII	» »	P. Fructuosi ep., cett.*	(BW)
XII	» »	P. Patrocli *	(BW)
XI	» »	P. Valeri, cett.*	(BW)
X	» »	P. Severani et uxoris*	(BW)
X	» »	P. Eugeni et Macari*	(BW)
X	» »	P. Asclae*	(R ³)

¹⁾ Cruce adnotati sunt „martyres”, quorum acta adhuc exstant. Nisi codices indicantur, in omnibus verbum q.e. *passio* legitur.

IX	kal. febr.	P. Babylae, cett.* (BW)
VII	» »	P. Policarpi* (W)
III	» »	P. Hippolyti* ¹⁾
	» »	P. Vindemialis et Eugeni* ²⁾
	non. »	P. Agathae virg.* (BW)
VIII	id. »	P. Luciae virg.*
VIII	» »	P. Sotheris virg.* (W)
VIII	» »	P. Dorotheae virg.* (W)
VIII	» »	P. Antoliani* (S)
III	» »	P. Apollonii, cett.
III	» »	P. Andreae* ³⁾
II	» »	P. Damiani ⁴⁾ (BW)
	» »	P. Iulianae* (XIII kal. mart. C)
XVI	kal. mart.	P. Severi* ⁵⁾
XV	» »	P. Loquumfas* (XIII iterum BW)
XIII	» »	P. Donati, cett.*
VI	» »	P. Victorini* ⁶⁾
	» »	P. Leonis* (E ¹ G)
III	non. »	P. Adriani* (WR ³⁾ (VI id. sept. C)
III	» »	P. Phocae* (XII kal. ian. W)
	» »	P. Perpetuae, cett.*
VIII	id. »	P. Pitimonis (R ³⁾
	kal. apr.	P. Victoris et Stephanae* (W)
III	non. »	P. Appiani* ⁷⁾ (W)
XVII	kal. mai.	P. Luperci, cett. (BW)
X	» »	P. Eppopodi* (BW)
IX	» »	P. Georgi* (R ³⁾ (VII kal. mai. BE, non. mai. omnes)
VIII	» »	P. Alexandri* (BW)
	» »	P. Sigismundi* (BW)
III	non. »	P. Iuliani lectoris (BW Iuviniani)
III	» »	P. Triphonis* ⁸⁾ (C)

1) Presbyteri Romani solius acta supersunt. (Cf. III kal. febr.).

2) Acta Vindemialis et Terenti sunt: BHL 3053.

3) Sunt acta Andreae, quae apostolum cum Betlehem non coniungunt.

4) Nisi (Cosmas et) Damianus significantur, id quod mihi non videtur, ignotus est martyr.

5) Acta Severi, qui dicitur „in provincia Valeriae” BHL 7685.

6) Epitome actorum apud Adonem et Petrum de Nat.

7) Martyr Palaestinus est, quem omnes codices non. apr. commemorant.

8) Idemne est atque Triphon, qui cum Respicio quodam passus esse refertur? BHL 8336 et 8337).

	id. mai.	P. Petri, cett.* (WR ³)
XVII	kal. iun.	P. Peregrini* (BW Rich)
XII	» »	P. Eleutheri* ep. ¹)? (O)
XII	» »	P. Baudeli* (S)
XI	» »	P. Iuliae* (BW)
X et VIII	» »	P. Desideri ep.* (BW)
VII	» »	P. Prisci, cett.*
	non. uin.	P. Bonifaci* (Rieh E' E'') (VII id. iun. W)
VIII	id. uin.	P. Vincenti* (C) (V id. iun. B Rich C)
V	» »	P. Primi et Feliciani* (C)
XVIII	kal. iul.	P. Rufini*
VI	» »	P. Johannis et Pauli* (W)
III	» »	P. Petri et Pauli* (Rich)
	» »	P. Simonis Cananaei* (BLMVC)
VIII	» »	P. Kiliani* (LMV)
VIII	kal. aug.	P. Iacobi ap.*
VIII	id. »	P. Cucufatis* (C)
	» »	P. Macchabaeorum* (BW Rich)
	» »	P. Eusebi* (B)
	» »	P. Iustini* (C)
	non. »	P. Aefrae* (BE VIII id. aug.) (XV et XVIII kal. ian omnes)
VIII	» »	P. s. XXV ²)
III	» »	P. multorum martyrum*
III	» »	P. Cassiani*
XII	kal. sept.	P. Privati*
XI	» »	P. Medardi, cett. (Rich)
V	» »	P. Iuliani* (B)
III	» »	P. Sabinae* (C)
	» »	P. Vincenti ep* (W)
	» »	P. Petri ep* (G 914) (VI id. sept. W)
	non. »	P. Thothaelis, cett. (C)
VII	» »	P. Anastasi* (BW)
XVI	kal. oct.	P. Caeciliae* (B)
XV	» »	P. Laudeberti ep* (R ³ W)
VII	» »	P. Firmini ep* (C)
VI	non. »	P. Leodagari* (G 914, 915, VC) (V non. oct. B)
VIII	id. »	P. Reparatae* (G)

1) Eleutherius, cuius acta BHL 2450 sqq. indicantur, significari non videtur.

2) Articulus incertus est. Cf. Urbain, l.l. p. 176.

VII	id. oct.	P. Dionysi ep* (Rich)
XVII	kal. nov.	P. 270 aliorum ¹⁾ (BW)
XI	» »	P. Leogathi ²⁾ ?*
VII	» »	P. XL militum* G 915 ³⁾
III	» »	P. Feliciani, cett. BW ⁴⁾
II	» »	P. Quintini* (W. Rieh)
	» »	P. Eustachi, cett.* (C)
	» »	P. Benigni*
III	non. »	P. Vitalis, cett.*
VII	id. dec.	P. Sabini ep.* (C)
IIII	» »	P. Eulaliae virg.* (C)
XII	kal. ian.	P. Victoriae* (W)
XI	» »	P. Theodorae et Didymi*

Praeterea hoc verbum in Bedae, Flori martyrologiis et in ML aliquotiens invenitur ut mihi videtur ex MH sumptum:

IIII	id. mart.	P. Maximiliani*
II	kal. mai.	P. Maximi*
	non. »	P. Flavii, cett.
V	id. »	P. Achillis*
XIIII	kal. iun.	P. Potentianae*
XVI	» iul.	P. Cyriaci*
IIII	id. »	P. Naboris et Felicis*
IIII	non. sept.	P. Antonini*
X	kal. nov.	P. Longini
II	id. dec.	P. Hermogenis, cett.* ⁵⁾

Omnium fere martyrum, quorum in articulis verbum q. e. passio

¹⁾ Vitiose recentiores librarii verbum q. e. passio scripsisse videntur. Legitur *In Africa (Asia E) Cecrae et aliorum pariter pas.* (q. e. passorum) [passio B] CCLXX.

²⁾ Qui significetur, incertum. (E *alibi pass. sci Leogathi* B: *Leogadi* W: *Leugati*). Sunt acta Leobardi, Leoardi, Leonardi, Leodegarii, sed Leogathius alius videtur.

³⁾ Incerta est adnotatio. Cf. Urbain l.l. p. 200.

⁴⁾ MK IIII kal. nov. *sancti Feliciani et Vagensium*, qui in MH indicari videntur. Acta, quod sciam, non exstant.

⁵⁾ Alia sententia verbum legitur VII kal. ian.; *Stephani passio* opponitur memoriae inventionis reliquiarum; *Iacobi passio* (VI kal. ian. et VIII kal. apr.) memoriae episcopatus ordinationis (VI kal. ian.); *passio Ioh. Bapt.* (IIII kal. sept.) natali; *passio Thomae* (XII kal. ian.) natali; *Agnetis passio* (XII kal. febr.) Nativitati (V kal. febr.). Ad VIII id. mai. et XVII kal. nov. *passio* vitiose scriptum est pro verbis *qui passi sunt*, III kal. nov., III non febr., II non iul. pro verbo q. e. *depositio*.

legitur, acta adhuc existunt¹⁾. Mea opinione ex iis, quae adnotavimus, ei, qui articulum aliquem, in quo verbum quod est *passio* legitur, acta martyris articulo memorati fuisse, quin etiam hos articulos omnes ex actis MH insertos esse, colligendum est. Quibus enim in articulis hoc verbum legitur? Interpres Romanus multorum martyrum, quorum articulos ex MNH sumpserat, habuit (cf. p. 69). Quod nunquam verbo q.e. *passio* indicavit: librarii recentiores ad dies VIII kal. febr., VII kal. febr., III kal. febr., kal. aug. articulos „graecos” ex actis emendant, hoc verbum adiecerunt. Librarii recentiorum codicum (W. C. Rich) articulis nonnullis, qui iam in antiquiore calendario romano inveniebantur, hoc verbum addiderunt, quo acta martyrum his articulis memoratorum sibi esse significarent²⁾ (VIII id febr., V id. iun., VI kal. iul., III kal. iul.). Omnibus his articulis ex fastis sumptis verbum adiungebat scriptor recentior, si articulum immutandum esse putabat. Articuli ceteri (ad centum) non immutati videntur. Ut leguntur, ita ex actis MH adiecti sunt. Eos qui adscripserunt alia causa quam memorata verbum quod est *passio* addidisse, non veri simile est. Neque in calendariis antiquioribus unquam, quod sciamus, memoriae martyrum hoc verbo praeditae leguntur.

§ 4. De elogiis, quae in MH leguntur.

Quaeritur legerentur in vetustissimo exemplari MH elogia. Negat Krusch: „die ausführlichste von ihnen (sc. codicum) B, inquit, ist zugleich die interpolierteste³⁾; E ist zuweilen gekürzt⁴⁾ jedoch sind die Namenreihen genau und vollständig wiedergegeben, und von einer Kürzung kann höchstens in stilistischer Hinsicht und in der Wiedergabe der Ortsbezeichnung die Rede sein⁵⁾; die Hs B enthält sogar einige ausführlichere Auszüge aus den Passionsgeschichten, die allerdings auch im Texte der beiden anderen Hss. nicht vollständig fehlen⁶⁾ sie sind aber spätere Ein-

¹⁾ In dubio sum de adnotationibus III kal. febr., kal. febr., III id febr., XVI kal. mart., III non mai., XII kal. iun., VII id. aug., XI kal. nov. memoratis. Cf. quae ad hos dies scripsi. —

²⁾ Articuli *Eugeniae* (VII kal. ian.) et *Marthae* (kal. febr.) ex actis ipsi martyrologio latino inserti videntur (cf. Urbain, pp. 113 et 120).

³⁾ Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, XX Band, Hannover 1895, p. 437.

⁴⁾ l.l. XXIII, p. 301.

⁵⁾ l.l. p. 297.

⁶⁾ l.l. p. 298.

schiebsel; . . . Interpolationen" 1). De quibus Krusch non assentior. Facile mihi videtur ex compluribus laterculis demonstrari posse codicem E saepius non solum „in stilistischer Hinsicht und in der Wiedergabe der Ortsbezeichnung" sed etiam longioribus vel brevioribus elogiis *omittendis* contractum esse. Quod documento est in vetustiore exemplari elogia inventa fuisse.

II kal. mai. E in alax. dorothei presb. rodaciani diac. . . . et alibi romodiani ignei diac. rume-
tina remisurini cum alis XXIII.

BW. In Alexandria Dorothei presbyteri, Rodociani diaconi . . . [et alibi B] Pomodiani diac. Igne ustorum et mare mersorum cum aliis viginti quattuor.

Krusch 1): „die Vertheilung auf zwei Stellen und die Zerreiſung der Worte und Verdrehung der Buchstaben (zeigen) dass der Zusatz in der Vorlage zwischen den Zeilen oder am Rande eingeflickt war."

Admonemus „von Zerreiſung der Worte und Verdrehung der Buchstaben" in BW sermonem non esse. Krusch concedit codicem X („die Vorlage") elogium, quod in BW legitur habuisse. Utrum elogium „zwischen den Zeilen oder am Rande eingeflickt war" an „in textu ipso" scriptum legebatur, nihil ad rem. Multi articuli antiquissimo in exemplari in margine adscripti sunt. Unde Krusch compertum habet elogium „ein Zusatz" fuisse?

Qui E excripsit, laterculos quam maxime contrahens, omnes fere passiones et elogia omisit 2), nonnulla servavit, quia nomina martyrum exscribere putavit.

E XI kal. mai. *Vitatis in cesar. quiescentis.*

BW . . . *Vitalis in carcere quiescentis.*

III kal. mai. lect. *In carme requiescent.*

. . . *Lectoris in carcere requiescentium.*

V id. iul. in armen. minō civi nicop. it. ianuari pelagi turmeni.

In Arminia minore civit. Nicopoli it. Ianuariae Pelagiae hii tormentis subditi qui non solum . . .

Posterioris articuli partem retinet E. Quod in hos quoque cadit:

E III non. ian. <et marcellini> pueri Xp. iani.

<et Marcellini> pueri Cristiani, flii episcopi, (BWL) qui sub Licini (LW) inter tyrones comprehensus . . . (L) 3).

1) l.l. p. 308.

2) Non omisit elogia, quae leguntur kal. ian., II id. mai, XVI kal. iul. De articulo VI kal. ian. relato cf. p. 61.

3) L elogium totum, E minimam partem, BW aliquanto plus servat. Iniuria Krusch (l.l. p. 306) „E setzt gar nichts zu".

kal. iun. E tessalō luciae virg.
et auciae regis.

VI kal. sept. E in thomis civi
marcellini tribun. et manis uxō cum
filiis iohanne petro.

III non. sept. E et in syria an-
toni pueri et aristoni epi.

BW Thessalonic. Luciae virginis
et augiae regis barbarorum.

BW in Thomis (tumu W) civit.
[nat scorum W] Marcellini tribuni,
Emannis uxoris cum filiis suis
Iohannes et serapionis; Clerici et
petri milites.

BW et in regione appamiae [vico
aprocavictu sub constancio W]
provincia siriae nat. scorū antonini
pueri annorum XX et aresti epi
[cuius gesta habentur W].

De uno articulo pauca dicenda sunt:

VII kal. ian. E ordinatio [epi-
scopatus]¹⁾ sancti Iacobi fratris
domini [qui ab apostolis primus
ex iudaeis hierosolymis est aepi-
scopus ordinatus et in medio
paschae martyrio coronatus]¹⁾
hierosol. cuius passio VIII kl. ap.

BWL eadem usque ad
martyrio coronatus.

„Im Texte von E“, inquit Krusch²⁾, „stand vielmehr *Hierosolymis* cuius passio VIII kl. ap. (lies Ag.) welche Worte jetzt getilgt sind³⁾. Schrieb nun ein Abschreiber diesen E-Text ab, so schob er natürlich die nachgetragene Stelle ein und liess die getilgten Worte fort; so erhielt man die Lesart der Hss. W.B.L.“ Quid? Supra (l. l., p. 304) Krusch docuit WBL ex uno eodemque exemplari, quod Y, E ex codice, quem X dicit, pendere, „und mit der Uebereinstimmung EB oder EW ist die Quelle von XY erreicht.“

Y tamen ex E pendet? Si minus, librarius in codicum XY fonte i. e. in codice quo antiquiorem restituere non possumus, legit *et ordinatio episcopatus sancti Iacobi patris domini, qui . . . usque ad coronatos*. Librarius codicis E articulum contraxit: *Sancti Iacobi fratris Domini Hierosolymis, cuius passio VIII kal. ap.* („lies Ag“ addit iniuria Krusch); postea ipse vel qui codice usus est, antiquiorem et pleniorem lectionem restituit. Praeterea neminem VI kal. ian. *Iacobi cuius passio* sqq. adscripturum fuisse puto, nisi ea, quae antecederent,

¹⁾ Krusch et Duchesne (verba [] inclusa) ab altera manu addita esse dicunt. Duchesne addit „quae fortasse a prima diversa non est“.

²⁾ l. l., XXIII, p. 308.

³⁾ Sc in codice E. Duchesne id non indicat; praeterea dicit verbum q. e. *ordinatio* in E a „prima manu“ inscriptum esse.

alterius rei memoriam (ordinationis episcopatus) servarent. Krusch diem natalem Iacobi apostoli VI kal. ian. MH adscriptam esse ratus, codicis lectionem „emendat“ („lies Ag“).

Saepius in E martyrum nomina exhibente elogia omnia omissa sunt: IIII non. mai. B *Et in Nurico ripensi loco Lauriaco natale Floriani et principi officii presidis . . .* Krusch Floriani memoriam in E legi negans, articulum postea codici Y adiectum esse putat. In E quidem *Floriani* legitur, sed eius opinione martyr is Afri nomen est et . . . „nicht die Existenz des Namens Florian, sondern die des Lorcher Märtyrers dieses Namens war nachzuweisen“¹⁾. Mea opinione autem veri similis est Florianum Lauriacum in E quoque indicatum esse:

E V non. mai. *In africa nt. caelestini felicitis . . . mittuni petri floriani et in cess. nt. silvani.*

B IIII non. mai. *In Africa nat caelestini Felicitis . . . Mittuni Petri Et in Nurico . . . Floriani. Et in Cesarea . . . Silvani.*

Si Florianus Afer est, mirum omnes codices praeter E eum omisisse. Certius argumentum afferam scriptorem antiquioris codicis actis Floriani usum esse. Recte Krusch ipse²⁾: „Die Florianslegende ist sogar für eine Vita Florentii ausgebeutet worden, indem man dem h. Florian stets jenen Florentius als Genossen beigab“. Atqui in omnibus codd. legimus (non. aug.) *et alibi nat. Floriani et Filistini* (= Florenti). Quamquam Krusch contendit suam opinionem certis argumentis „durch den Zustand der Hss“ confirmari, iis ipsis, quae in codd. legantur fretus, Floriani elogium IIII non. mai. in X inventum fuisse, puto.

Elogia in E omissa videntur:

II id. ian. E . . . *muscenti saturi.*

BW *Moscenti*, [Bonittae B], *Saturi, civis arabii (civitate Arabiae W) qui transiens sqq.*

II non. mart. E *nicom. victoris victorini claudiani bassae.*

B *Nicomedia Victoris et Victorini, qui per triennium in persecutione . . . cum Claudiano et Bassa uxore ei, qui . . .*

VII id. mai. E *mediol. ephenici.*

B *Mediolano de ingressu reliquiarum apostolorū Iohannis Andreae et Thome In basilica ad portam Romana.*

¹⁾ o.l. XXIII, p. 535 sq.

²⁾ l.l. p. 553.

XV kal. iun. E *In aegip. dioscori lect.*

VII id. iul. E . . . *Cyrilli epi.*

VI id. iul. E . . . *naboris et felicis.*

id. iul. E . . . *et iacobi epi. nizibae.*

XV kal. aug. E *rom. senforensae matris septem germanorum petri marcelliani . . . et hirenei.*

IX kal. aug. E . . . *victoris . . . victorini militaris . . .*

III non. aug. E *et in bitia civi theodotae cum tribus filis suis.*

II non. aug. E *trans. sci iusti epi.*

II id. aug. E *in syria nt. scorū machari iuliani.*

BW *In Aegypto [in Anacipoli B] Dioscori lectoris qui multa passus est.*

B *Cyrilli episcopi igne traditi¹⁾.*

BW *Naboris et felicis decollatorum quorum gesta habentur corpora vero eorum . . .²⁾*

BW *Et iacobi epi Nicivis, qui in corpore multa signa fecit . . .³⁾*

BW *Romae via tiburtina miliario nono Sempherosae matris septem germanorum, que cum ipsis est posita. Nomina vero septem germanorum haec sunt Petri. Marcelliani . . . et herenei quorum gesta habentur.*

BW . . . *Victorini . . . Victoris militaris qui [multa tormenta W] passus est.⁴⁾*

BW *In Caesarea mauritaniae Theodotae et septem filiorum eius quorum gesta habentur.⁵⁾*

BW *Lugduno Gall. Adventus corporis sci Iusti epi de heremo.*

BW *Et in Syria vico margaritato (mārgarato W) natal. scorū Machari Iuliani ubi multa relegio convenit monachorum.*

1) Plenius elogium quod ML habet actis magis conveniens ex MH sumptum videtur: „episcopus flammis iniectus cum illaesus evasisset . . . postea ab eodem iudice capite plexus est”. An articulus in MH memoratus ex actis antiquioribus sumptus est?

2) Ex kalendario iam III id. iul., quo die Mediolani celebrabantur, adscripti sunt; VI id. articulus ex actis sumptus.

3) Achelis, p. 157: „MHE schreibt nur *Et Iacobi Nizibae*, den Märtyrer voran, die Heimat hinterher, in einer Form, die von dem üblichen Tenor der Laterculi des MH abweicht und zeigt dass E nur aus äusseren Gründen den Relativsatz der anderen Handschriften übergibt”. Cf. p. 32.

4) Laterculus valde confusus; cf VIII kal. aug. et Achelis, Die Mart, p. 163, „die Notiz steht für sich, als Auszug aus einer Passio, die wir nicht kennen”.

5) III non. sept. articulus in alteram formam redactus ex MNH in MH translatus; III non. aug. epitome actorum legitur.

XVI kal. sept. E calcedō scae eufemiae mar.

VIII kal. sept. E et in syria iuliani.

id. oct. E gall. colon. agrippinn. nt. maurorum.

XII kal. ian. E pas. thomae apos. in india.

B In Calcedon Cappadotiae nat. scae Eufemiae quae passa est sub aureliano sqq.¹⁾

W In provincia Syria nāt. sci iuliani. Ubi magnus fit conventus monachorum.

W In gall. colonix agripiaeni natl. scorum maurorum de militibus.

W In mesopotamia civit edissa ntl. et transl. corporis sci thomae apostl qui translatus est ab india cuius passio ibidem celebratur V non. iul.

Ad hos dies codicem E plenioris articuli ex exemplari X exscripti partem servare non satis constat: fieri potest ut recentioribus codicibus elogium adiectum sit:

VIII kal. ian. E et sirmi anastasiae.

III non. febr. E et depos. signariae virginis . . .

III id. febr. E in civi bethlem iudae pas. scorū (sic!) andreae.

XVI kal. mart. E in alex basiani tonnionis . . . it cyrion . . . it dionisius . . . it arbatae.

III id. mart. E nicom. egoni prb. et aliorū VII.

L Sirmi et anastasiae, quae de roma sanctos secuta sqq.

BW et depos. scae sicariae dō sacratae virg. quae aurelianis obiit.

WB In civitate Bethlem [iudae W] sub herode [rege B] passio scorum andreae apori (q. e. apostoli).

WB In Alexandria nat. scorum Bassiani . . . Hii in mare missi sunt . . . Hii omnes igne combusti sunt . . . decollati sunt . . . civis anthiochenae . . .²⁾

WB In Nicomedia Egdoni presbyteri et aliorum VII suffocatorum [diebus singolis singoli ut illis videntibus timor indiceret.]³⁾

¹⁾ XVI kal. oct. articulus Euphemiae in MH memoratus ex MNH sumptus videtur, XVI kal. sept. ex actis. In MEM excerpta ex aliis actis leguntur.

²⁾ Veri simile est articulos in E et BW relatos ex uno fonte fluxisse!

³⁾ Mea opinione elogium in BW memoratum in X occurrit. (cf. ad III id. mart).

VII kal. apr. E in sirmi montani
prb. et maximae uxoris eius.

XVII kal. iun. E autisiodō civi
sci peregrini epi.

XI kal. aug. E ancira civi gal-
litiae platonis.

kal. aug. E antioc. machabeorū
VII ffrum cum matre.

VII kal. sept. E et in salona
anastasi.

III kal. sept. E passio sci iōh
babbtis.

B In Sirmia munati presbiter.
Delingi donis cum Sirmium fugis-
set comprehensus . . . et maxime
uxoris eius.¹⁾

BW In [terreturio B] Auctisio-
doren Vico baioco passio sci pere-
grini epi primi civitatis ipsius.

W In anquira galatiae nat. sci
platonis cuius gestae habentur.²⁾

BW In Antiochia passio sancto-
rum machabeorum septem fratrum
cum matre sua qui passi sunt sub
anthioco rege.³⁾

VIII kal. sept. B (VII kal. W)
In Salona civit. sci. Anastasi mar.
Hic fullo fuit [quique fidei suae
merito sqq. W]⁴⁾

BW In provincia palestina civit.
sabastia natale sci. Iohannis bap-
tistae qui passus est sub herode
rege.

Quibus omnibus exemplar X brevioribus vel plenioribus elogiis
minime caruisse, satis demonstratur.⁵⁾

§ 5. Fuerintne adscripta in MNH elogia.

Antiquissimum exemplar MH pleniore adnotationes de martyribus
et Orientis et Occidentis habuisse demonstravimus. Habuitne eas
MNH? In MS nonnulla breviora elogia invenimus:

¹⁾ Hic habemus, quod nonnulla postea Y inserta esse sumamus (cf. VII
kal. apr.). Dolendum est Montani acta, quibus haec et alia fortasse diiudicare
possemus, non amplius existere.

²⁾ Achelis putat: „Dass die vollständigste Fassung in MHW die ursprüng-
liche des MH ist“. Argumentum affert ea quae in W leguntur apud Adonem
Rhabanum, Usuardum inveniri. Quod certum argumentum non est, cum Ado
quique eum sequuntur codicibus W vel B simillimis usi sint.

³⁾ Librarum codicis E epitomen latinae passionis, quae in X invenisset,
contraxisse vero proprius duco.

⁴⁾ Si articulus, id quod Achelis (Die Mart., p. 173) veri simile putat, ex
actis sumptus est, librarius codicis E igitur eum contraxit.

⁵⁾ Quentin praeterea demonstrat (pag. 110) Bedam exemplari codici E simil-
limo, „moins abrégé que E lui même“ usum esse.

Dec. 26 Stephanus, martyrum princeps.

Dec. 28 Symeon Cephas apostolorum domini nostri princeps.

Iul. 26 Kathari . . . in persecutione . . . a se coniunxerunt et doctrinam ecclesiae secuti sunt et martyrium passi sunt.

Aug. 1 Martyres ex illis qui depositi sunt Antiochiae in Keratea, qui sunt Samunae filii, qui in Macchabaeis leguntur.

Sept. 2 Habibus igne crematus est.

Sept. 23 Infantes, qui mammis matrum erepti passi sunt.

Sept. 24 Petrus episcopus p(ostremus?).

Quorum elogiorum nihil (excepto fortasse Stephani elogio) in MH legitur. Cum is, qui MNH transtulit accurate eorum fastorum laterculos MH adiunxisse videatur, Katharorum nomina tantum in MH legantur, licet fortasse concludere id elogium in MNH non inventum fuisse. Articulus Habibi in MNH non fuit; qui „martyres” Dec. 28 et Sept. 23 memorantur in martyrologiis Occidentis aliis diebus iam occurrebant; Macchabaei in MH aliis verbis leguntur; de verbo q. e. postremus cf. p. 3.

Quae de martyribus praeter nomen urbis in qua celebrabantur, in MH leguntur, Achelis collegit tractavitque¹⁾: 68 elogia enumerat. Ipse concedit²⁾ nec quae II id. aug. legantur, nec quae de Stephano III non. aug. et VII kal. ian. narrentur ad acta martyrum pertinere. Restant igitur 65 passiones. Achelis porro nonnullos articulos in quibus uno verbo martyrum honores muneraque traduntur, vel qua necessitudine inter se coniuncti essent exponitur, in „passionum” numerum ascribit. „Passiones” eiusmodi multo plures, quam Achelis profert, in MH leguntur: quarum nullam in hac ratione duco. Achelis passiones tales 13 affert³⁾: quibus exceptis 52 elogia restant. Inter quae porro 16 his verbis scripta sunt: cuius (quorum) gesta(e) habentur⁴⁾. Quae verba nunquam in E inveniuntur, ita ut incertum sit, utrum in antiquiore exemplari inscripta fuerint, necne. Licet putemus ad omnes hos 19 dies haec verba in codice X inscripta fuisse, in MNH mea opinione a scriptore Romano non inventa

1) Die Mart. p. 115 sqq.

2) Die Mart. p. 188.

3) X kal. febr., VIII id. febr., VII kal. apr., XV kal. mai., XIII kal. mai., II id. mai. (duo articuli), XVI kal. iul., kal. aug., III id. aug., II id. aug., VI kal. sept. (duo articuli).

4) III id. ian., III id. ian., II id. febr., VII id. mart., III non mai., XVII kal. iun., non iun., XVII kal. aug., XV kal. aug., XI kal. aug., III non aug., III non sept., VII id. sept., VI non oct., XV kal. dec., III id. dec. Praetera sunt tres articuli in quibus post passionem memoratam haec verba leguntur. (II kal. mai., VI id. iul., XVI kal. sept.)

sunt: sexies verba martyribus Occidentis adiecta sunt (III id. ian., II id. febr., VI id. iul., XV kal. aug., VII id. sept., III id. dec.); quattuor Palaestinarum martyrum legimus acta nota esse (III id. ian., III non. mai., XVII kal. aug., XV kal. dec.): in Occidente illis verba q.s. quorum gesta habentur addita sunt; ex 9 reliquis articulis quattuor inveniuntur, qui ex actis latinis sumpti sunt¹⁾; restant 5 articuli, de quibus nihil dicendum est: annoto denique ex articulis 19 quinque his verbis non praediti in MS inveniri (II kal. mai., non. iun., XI kal. aug., III non. aug., VI non. oct.): veri simile non est eum qui MN in syriacum transtulerit haec verba totiens omisisse.

Videmus 36 elogia longiora in MH inveniri; ex quibus 9, quippe quae de Occidentis martyribus agant, ad hanc disputationem non pertinent: restant 27 „passiones”. Ex quibus sex sunt ad quas anno-tandum est martyres, quibus adscriptae sunt, in MH isdem diebus bis terve legi. Id quod mea sententia argumento est, eorum martyrum duos articulos, alterum ex MNH, alterum ex actis sumptum, MH insertos esse; quod accidit martyribus Victorino (II non. mart.), Mardonio vel Egdonio presb., cett. (III id. mart.), Leonidae, cett. (XVI kal. mai.), Diodoro et Rhodopiano (II kal. mai.), Euphemiae (XVI kal. oct.)²⁾. De „passione” in carcere quiescentis (iun) quae XI kal. mai., III kal. mai., VI non. mai. martyribus Orientis addita videtur, XI kal. mai. iam pauca diximus: ad martyres in MS et MNH memoratos fortasse non pertinet.

Ex martyribus reliquis in MH elogio pleniore praeditis septem in SC cum „passione” occurrunt³⁾: Theagenes (III non. ian.), Lucianus (VII id. ian.), Antonina (III non. mai.), Cyrillus ep. (VII id. iul.), Iacobus Nisibenus (id. iul.), Thecla (VIII kal. mart.), Anastasia (VIII kal. ian.). Mirum est nullius passionem in MH et in SC eandem vel similem esse, plurimorum in MH plane aliam atque in SC legi, omnes hos martyres Theagene excepto in SC aliis diebus atque in MH memorari. Quae demonstrare videntur elogia non ex graeco fonte fluxisse⁴⁾. Quod ad Iacobi Nisibeni memoriam attinet, res mihi

1) II kal. mai., III non. aug., XVI kal. sept., martyres in hisce articulis memorati bis MH adscripti sunt: ex MNH et ex actis (cf p. 69); articulus non. iun. relatus cui simillimus in MS legitur, ex actis MH adiectus videtur.

2) Elogia XVI kal. sept. et id. apr. leguntur (Achelis ad num. 19 et 55).

3) Ad quos Euphemiam adici potest.

4) Nomina *Luciani* et *Glyceri* (cf. ad VII id. ian.) et verba *de antiquis* ex MNH sumpta videntur. Quae tamen non demonstrant eorum *elogia* ex MNH deprompta esse.

non liquet. MS Iul. 15 *μνήμη Ἰακώβου ἐπίσκοπου Νισίβεως*. MH eodem die *et Iacobi episcopi Nisibis [qui in corpore multa signa fecit et arcam Noë solus vidit in Monte; nullus alius de his, qui cum eo perrexerant videre est permissum BW]*. Est unus ex articulis quos is, qui MN syriace vertit, ad mensem iulium (cuius articulos ad mensem iunium memoraverat) ex alio fonte MS addidit. Tres ceteros articulos Nisibenos, qui in MS leguntur, interpretes Romanus in MNH non invenit. Inveneritque Iacobi Nisibeni articulum incertum est. Elogium in MH memoratum in MN adscriptum fuisse probabile non est: is qui Sept. 2 martyrium Habibi Edesseni MS adiecit, elogium Iacobi, si in MN legisset, non omisisset. Articulum totum ex MNH martyrologio latino adiectum esse Achelis putat, quia nullo in libro latino haec fabula invenitur¹⁾. Id quod concedo, sed neque in graecis libris, quod sciam ea leguntur: in vita Eugeni syriace scripta isdem fere verbis arcae inventae narrationem inveni²⁾. Fieri sane potest ut haec saeculo quinto Romae nota fuerint³⁾.

Elogia Theclae (*quae a Roma igne deposita evasit*) et Anastasiae (*quae de Roma sanctos secuta . . .*) ex actis sumpta, quae Romae compositae, vel potius Romae in urbe ipsa MH adiecta sunt. Ea quae de Anastasio fullone traduntur, (VII kal. sept.) ex actis latinis sumpta esse Achelis ipse, qui pleraque elogia ad MNH referat, probare conatur. Passio Telemachi ex fonte latino sumpta videtur.

Restant 8 passiones (Saturi, II id. ian., Bassiani, XVI kal. mart., Palatini, III non. mart., Theusetis et Choris, III id. mart., Montani, VII kal. apr., Dioscori, XV kal. iun., Palatini III kal. iun., Pelagiae V id. iul.) quae, quod sciamus, in MH tantum leguntur. Videns quam multa elogia ex actis manaverint, puto iis quae in martyrologio tractando ad hosce dies dixi perpensis nullam earum in MNH inventam fuisse. Achelis de elogiis in universum dicenti: „Man wird sich nur schwer vorstellen können, dass alle die Akten über orientalische Märtyrer einstmal während des sechsten und siebenten Jahrhunderts im Merowingerreich existierten, während wir kaum eine mehr von ihnen erhalten haben.“⁴⁾ Viel leichter ist die

¹⁾ Die Mart., p. 157.

²⁾ AS ed. Bedjan, B. III, Parisiis 1892, p. 435.

³⁾ Nomen *Iacobi* fortasse in MN et MNH inveniebatur. Non multo post sac. V variae vitae Iacobi in Occidente ferebantur: ML et Florus excerpta ex his habent.

⁴⁾ In SC excerpta multorum actorum servari Achelis oblivisci videtur.

Annahme, dass die sie betreffenden Notizen des MH aus der orientalische Quelle desselben stammen, also Verweise auf die Bibliothek von Nicomedien geben", 1) non assentior. 2) Romae mea opinione (cf. p. 74) MNH martyrologio latino adiunctum est, Romae permultae adnotationes ex actis martyrum Orientis MH adiectae sunt. Elogia ex MNH martyrologio latino inserta esse argumentis et rationibus non confirmatur; non pauca contra in Occidente ex fontibus latinis MH adiuncta esse probare conatus sum.

1) Ex 26 articulis quae passiones pleniore martyrum Orientis continent, in MS 8 (sine passione) leguntur. Eum qui MN in syriacum transtulit non modo octo has passiones, sed etiam complurium articulorum et passiones et martyrum nomina omisisse non puto. Id quod putandum esset, si haec adnotationes „ad bibliothecam Nicomedensem" referremus, nisi forte sumimus eas adnotationes exemplari soli martyrologii Nicomedensis, quod adauctum MNH dico, adiectas esse.

2) Achelis ipse caute dicens (pp. 146, 157, 170) argumenta non affert, nisi p. 162: „Die Bemerkung des MH über die Existenz von Akten des Plato wird aus seiner orientalischen Quelle übernommen sein, da dem lateinischen Mittelalter die Akten des Plato nicht bekannt waren". Nonne Romae nota fuisse possunt?

CAPUT III.

DE NONNULLIS MARTYRUM TURBIS.

§ 1. De „martyribus” Constantinopolitanis, Moesiacis, Aegyptiis.

Supra diximus non omnes laterculos, quos MNH attribuimus, ex ecclesiarum diptychis depromptos esse. Laterculos Pauli Dionysiaeque Alexandrinorum, Antonii monachi, Alexandri Ammonique (Febr. 9), Potamii, cett. (Febr. 20), Drosidis Antiochenae, Longini Caesariensis, Cuttidi, Panteleemonis Nicomedensis, Irenae Thessalonicensis, Claudionis Tomitae, Anastasiae Sirmiensis, omniumque martyrum in vocibus In Thebaide, Syria, Armenia minore, Cilicia, Pamphylia, Abrettena, Macedonia, Graecia, Dacia memoratorum ex fastis MNH adiectos esse minime constat. Quamquam is, qui MN composuit multos martyres Nicomedenses, Caesarienses, Sebastenos, Ancyranos enumerat, Thecla (in voce Nicomediae), Mamas (Caesareae), milites XL (Sebasteae), Clemens (Ancyrae), quos quo tempore MN compositum est in iis urbibus celebratos esse satis constet, in MS non leguntur. Interpres Edessenus, qui neglegentur verterit, eos fortasse omisit. An postea MN (MNH) adiecti sunt? Nonnullas martyrum turbas infra singulas tractabimus; de aliis martyribus una in urbe vel regione celebratis in primis de Constantinopolitanis hic iam pauca. Constantinopolitani martyres perpauca fuerunt. MS Maximum (Mocium), Hesychium, Acacium memorat (cf. VI id. mai., XV kal. iun.) Quibus exceptis in MH invenimus:

VIII kal. ian. sancti Anastasi [virginis B].

VII id. mai. natale sancti Timothei.

VII id. iun. [In Begantium (Begarecium W) quae est Constantinopoli BW] (In Africa E) Pauli, Fortunati, Macari, Primosi, Accadi, Mochi.

V non. iul. Eufemiae, Acaci, Ammoni, . . . Martyri

XIII kal. aug. Daretiae (Dariae BW).

III non. aug. dep. Metropoli ep. (sanct. Acellae BW).

VII kal. sept. [sanctorum Olti et Stephani B] (W VI kal. sept.).

VI kal. sept. Romae . . . Stefani (E).

V kal. sept. *Alexandri ep. Viviani ep.; Romae . . . Stefani diac. id. sept. [dep. sancti Iohannis ep. C].*

V kal. oct. [et in Bizantio E] *nat. sanct. Cosmae et Damiani.*

Ex actis sumptae sunt adnotationes Anastasiae et Cosmae Damianique. (Cf. VIII kal. ian., V kal. oct.). Constantinopoli hi peregrini ab medio saeculo V in honore fuerunt¹⁾, sed multo plures martyres, aliis in urbibus passi, ab anno fere 330 hac in urbe celebrabantur: tres ex his martyribus ex fastis Constant. delectos MNH (aut MH) adiectos esse veri simile non est. Praeterea aliis diebus ac postea quidem (fortasse iam quo tempore eorum articuli MH adiecti sunt) Constantinopoli eorum dies festi agebantur, in MH inveniuntur. Praeter martyres in MS memoratos Marcianus et Martyrius Constantinopoli martyrio affecti traduntur, Paulus episcopus in exilio mortuus esse dicitur. Memoreturne eorum articuli in MH incertum est: V non. iul. nomen *Martyri* quidem in longo nominum ordine legitur et VI id. mai. *Marciani*: neuter Constantinopolitanus dicitur; VII id. iun. una cum Acacio et Mocio alii quattuor in *Byzantio (in Africa E)* leguntur, ex quibus primus Paulus legitur; quaeritur sitne episcopus²⁾. Quod ad ceteros episcopos attinet, Metrophanis et Alexandri articuli ex fastis Constantinopolitanis sumpti non videntur (cf. ad p. 60). Id quod verbo q. e. *depos.* confirmatur³⁾: quo verbo scriptores Occidentis in MH martyrum dies festos a diebus quibus episcopi, abbates, cett. mortui vel humati sint, discernunt.

Metrophanes et Alexander ex orthodoxis episcopis Constantinopolitanis primi in SC leguntur: tertius (Paulus) si re vera in MH memoretur, in promptu est eorum nomina in MH ex aliquo episcoporum indice sumpta esse⁴⁾. Quo in indice eorum „dies festi” indicati non fuerunt; aliis diebus atque in SC leguntur, in MH eorum memoria occurrit. Iohannis episcopi memoria in Occidente codici C adiecta est. Non certum est sitne V non. iul. Euphemia martyr prae-

¹⁾ Proclus (434—447) Cosmae et Damiano, Marcianus circiter a. 450 Anastasiae ecclesiam exstruxit.

²⁾ In plenioribus codd. ep. non dicitur; F *Africa Pauli episc. S' Constantinopoli Fortunati ep cum aliis IIII.* In SC Paulus Nov. 6 memoratur! Ex ceteris Beda et Notker unum „Macharium monachum” fuisse putant.

³⁾ Quod verbum plus quam centies nonagies in MH scriptum legitur, nunquam, quod sciam, apud martyres. Ex Orientis „viris sanctis” Symeoni Stylitae, Symeoni prophetae, Antonio monacho, Eusebio episcopo Caesariensi, Metrophani, Iohanni appositum est.

⁴⁾ Episcopi usque ad annum 350 memorantur.

clara Chalcedonia memorata, cui Constantinopoli basilica aedificata est. (Les orig., p. 272). De Daretia cf. XIII kal. aug., de Timotheo VII id. mai. Timothei dies festus ex kalendario Constantinopolitano MNH, ceterorum articuli aliis ex alio fonte MH adiecti videntur. Fieri sane potest, ut nonnulli ex his in MNH iam scripti legerentur. Utcunque res se habet, pauca et dispersa de diebus festis metropolis MN (MNH) adscripta sunt.

Quinque vel sex Aegyptii monachi in MH memorantur, Macarius (?) (VIII non. ian.), Antonius magnus (XVI kal. febr.), Sarapion Sindonius (?) (VIII kal. febr., et XII kal. apr.), Sarapion (Magnus?) (V kal. sept.), Fronto (XVIII kal. mai.)¹⁾. Quorum articulos ex uno eodemque fonte fluxisse non credo. In libro Palladii cui titulus *Historia Lausiaca*, cum multorum aliorum tum Macarii, Sarapionum duorum, Antonii vitae leguntur, in libro, qui inscribitur *Historia monachorum, Frontonis*. Quo loco vixerint, licet illis in libris indicetur, in MH omnino non legimus. Sarapionis Sindonitae et Magni (?) memoriae ex fastis Alexandrinis sumptae videntur (cf. XII kal. apr.). Antonius monachus memoratur in *Thebaide in Aegypto*, qua re veri similis fit eius memoriam non ex diptychis fluxisse; verbo q. e. depositio articulum in Occidente MH additum esse confirmatur (cf. p. 19). Frontonis articulus, in fine laterculi memoratus, ex libello aliquo MH XVIII kal. mai. adiectus videtur, cum eodem die iam semel atque iterum *Frontonis* nomen occurrat. De reliquis incertis articulis nihil dici potest. Omnium nomina tam celebria, vitae tam pervulgatae erant, ut facile quis sive ex memoria, sive ex libello aliquo hauriens, eorum adnotationes MH inserere potuerit.

Martyrum Moesiacorum et Thraciorum numerus in MNH aliquanto maior est quam in MS. Adnotationes demonstrant inter ecclesias circa Istrum fluvium sitas magnos usus intercessisse, saepe aliam ab alia martyres in suos fastos ascivisse: Hermas Bononiensis Ratariae et Hadrianopoli (?) celebrabatur; Cyrillus, Cindeus, Zeno Axiopolitani non minus quam quinque memorantur (cf. ad. VI id. mai.); Dasius Durostorensis in voce *Axiopoli* (non. aug., VIII non. oct. (?), XV kal. nov. ?), fortasse Heracleae, episcopus Irenaeus VIII id. apr. Sirmii, non. aug. Axiopoli invenitur; Heraclius, non. aug. Axiopoli, V id. apr. Sirmii celebratus est; tres martyres (Valerianus, cett.), XVII kal. oct. Tomis, XV kal. oct. Novioduni memorantur; alii tres

¹⁾ Codici S manu secunda additum est (II id. mai) *Ipsa die nat s. Pacumi monachi*. Praeter Pachomi vitam apud Palladium (H. L. § XXXII) memoratam acta latina supersunt, (AS, Mai. III, p. 359, sqq).

(Helias, cett.) VI kal. ian. Tomis, VI id. iun. Durostoro attribuntur; Gaianus V kal. ian. in Thracia, IIII id. apr. in Dacia, XVII kal. iul. Ratariae memoratur; Marcianus Durostori vixisse videtur, cuius in fastis urbis Iun. 8 legebatur; Iun. 5 eiusdem memoria occurrit. Ex quibus diximus apparet eorum martyrum laterculos ex diptychis ecclesiarum depromptos esse.

§ 2. Sintne ex Eusebii Historia Ecclesiastica martyrologiis
graecis (MS et MNH) martyres adiecti?

Ex martyribus, quos Eusebius dicit, in MS inveniuntur:

a. Dec. 26, Stephanus; verba quae in Syriaco leguntur ab iis quae Eusebius (II, 1, 1) scribit non multum differunt quidem¹⁾, sed eius modi sunt, ut minime, hac re freti, articulum ex Eusebii libro sumptum esse colligamus. Praeterea (id, quod in omnes qui sequuntur articulos valet) Eusebius nullum diem dat; Stephanus quattuorque apostoli qui in initio martyrologii syriaci leguntur, ordine antiquitus tradito (quo ordine apud Eusebium non inveniuntur) commemorari videntur²⁾ (Cf. p. 63).

b. Dec. 27, Iohannes et Iacobus; Eusebius Iohannem Ephesi vixisse depositumque esse narrat (III, 23, 6, III, 31, 3 et passim), MS eum Hierosolymis mortuum esse refert.²⁾

c. Dec. 28, Paulus et Simon Kephias; quorum articulum, licet Eusebius eos Romae martyrium passos esse dicat (II, 25, 5; III, 1, 2 et 3), ex eius libro fluxisse non puto: vide quae ad a dixi; verba q.s. *Κορυφαίος τῶν ἀποστόλων* apud Eusebium non leguntur.

d. Ian. 7, Lucianus; quem „presbyterum Antiochenum” (HE VIII, 13, 2) ex Eusebii libro MS in voce *ἐν Νικομηδείᾳ* adscriptum esse probabile non est.

e. Ian. 24, Babylas; eius laterculus ex HE sumptus non est: in quo libro nec de urbe Nicomedia, nec de XXX (vel potius III) pueris mentio fit.

f. Febr. 20, Polycarpus; quem Eusebius (III, 15, 45) Smyrnae passum esse dicit, MS *ἐν Ἀσία* habet.

g. Febr. 24, Euethius; martyrum Nicomedensium in Diocletiana persecutione passorum, primus; Eusebius eius nomen non dicit (VIII, 4).

1) Eusebius eum apostolum non dicit.

2) De „assumptione” Iohannis (VI kal. ian) apud Eusebium nihil. Quae de Iacobo Iusto in MH leguntur (et *ordinatio*, sqq.) in libro Eusebiano neque uno loco neque isdem verbis memorantur (II, 1, 3; II, 23, 4, 10; III, 5, 1, sqq.

i. Mart. 11, Gorgonius; Mart. 12 Mardonius, cett.; in MS multo plures martyres Nicomedenses in initio Diocletianae persecutionis passi inveniuntur, quam Eusebius (VIII, 5) habet.

k. Mart. 19, Besas et Sarapion; cf. ad XIII kal. apr.

l. Apr. 13, Carpus, cett.; in MS Carpus (q. e. Cyrillus) episcopus et Papyrus diaconus vocantur. qui tituli apud Eusebium non inveniuntur¹⁾.

m. Apr. 20, Prosdocius, cett.; de quibus Eusebius multa refert, nomina non refert.

n. Apr. 24, Anthimus; nec huius memoria cum iis, quae apud Eusebium leguntur, congruit: in MS quinque socii adduntur, quos Eusebius ignorat (VIII, 6).

o. Aug. 1, Xystus; cur episcopus ille Romanus in MS legatur, non liquet; (cf. kal. aug.) ex libro Eusebiano certe non sumptus est.

p. Sept. 8—11, multi Alexandrini; cf. VI id. sept.

q. Oct. 17, Ignatius; brevem adnotationem in MS relatam ad Eusebium nihil pertinere demonstrare non possum (HE III, 36, 1). Cf. quae ad a. dixi.

r. Oct. 27, Thraseas, cett.; eorum laterculus re vera cum iis, quae Eusebius V, 24 narrat consentit. Cf. autem quae ad VI kal. nov. dicta sunt. Quaeritur unde scriptor nomina *Diodori*, *Metrobii*, *Conexi*, *Longi* in eodem articulo memorata, sumpserit.

s. Nov. 24, Petrus; in Eusebiano libro Petrus Alexandrinus una cum Fausto, Dio, Ammonio (VIII, 13) iterum cum Silvano (VIII, 6, 1 et 2) legitur, ex quibus nemo in MS invenitur²⁾.

Praeter Ignatium et Babylam 17 episcopi Antiocheni apud Eusebium inveniuntur, ex quibus nonnulli in MS memorantur. Quorum tamen articuli ex libro Eusebii, cum praesertim is dies non det, sumpti non sunt.

Qui MS composuit Eusebii libro igitur, cui titulus *Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία* usus non est.

In MH quoque nonnulli articuli leguntur, qui cum iis, quae Eusebius narrat nonnullis in rebus consentiunt. Primum tractabo quos MNH adscriptos fuisse puto.

¹⁾ Postea librarius Occidentis se scire hos martyres in libro Eusebiano inveni ostendit (cf. ad III id. mart).

²⁾ Ammonius fortasse invenitur: VIII kal. dec. *Alexandriae Petri ep.*; VII kal. dec. . . . *Petri* . . . ; VI kal. dec. . . . *et Ammoni* . . . *in Alexandria Petri et in Africa* . . . ; V kal. dec. *in Nicomedia* . . . *Petri*; martyr nomine Petrus identidem mediis in Afris martyribus legitur: sitne Ammonius Afer an Alexandrinus incertum.

A. V id. febr. *Alexandriae Pauli, Dionysiae*. Inter XXVI martyres Deciana in persecutione Alexandriae passos (cf. ad k.) Eusebius Dionysiam quandam memorat, martyrem nomine Paulum nuspiam dicit (cf. ad V id. febr.).

B. X kal. mart. *Apud Cyprum Potamii, Nemesii, Dydimi*. Qui martyres ex Eusebio sumpti non sunt. Cf. ad X kal. mart.

C. III id. mart. *Alexandriae Zenonis*, cett. Neque eorum articulus ex eo fonte fluxit. Cf. ad III id. mart.

D. XVIII kal. iul. Sub nominibus *Artheonis, (Anteonis, Anteoni), Afre Sagaris* episcopi nomen (V, 24, 5) latere veri simile non est.

E. III kal. iul. *In Alexandria . . . Plutarchi*, cett. Eorum laterculus ex Eusebiano libro ipso vel quo ex fonte Eusebius, quae VI, 4 scribit, hausit, fluxisse videtur (cf. autem quae ad III kal. iul. dixi).

F. id. sept. *In Alexandria Theodori ep.* Fieri sane potest, ut Theodorus ille idem sit, atque episcopus ab Eusebio memoratus (VIII, 13: *Φιλίας τε καὶ Ἡσύχιος καὶ Παχύμιος καὶ Θεόδωρος, τῶν ἀμφὶ τὴν Αἴγυπτον ἐκκλησιῶν ἐπισκόπων . . .*). Attamen eius memoriam ad ea, quae Eusebius scribit, nihil pertinere manifestum est.

In MNH non inventos fuisse arbitror:

G. II non. febr. E *Thimoï Filiae episcopi cum filia sua* (i. e. cum Philoromo). Eusebius (VIII, 9, 6, 7) *Θαυμάσιοι μὲν οὖν καὶ οὗτοι . . . οἷος Φιλόρωμος ἦν, ἀρχὴν τινα οὐ τὴν τυχοῦσαν τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν βασιλικῆς διοικήσεως ἐγκραγερισμένος . . . Φιλίας τε τῆς Θμουϊτῶν ἐκκλησίας ἐπίσκοπος κ.τ.λ.* Rufinus ea multo effusius narrans Philiae (perinde ac in MH) primas partes tribuit. Qui articulum MH inscripsit Eusebii librum non adhibuit.

I. kal. febr. *In Smyrna (in Graecia BW) nat. sanct. Polycarpi ep., Pioni, Dionysi [it Pioni BW] et aliorum VI (XV BW) [it Pioni et aliorum V]*. III id. mart. *Smyrnae Pioni presb., Metrodori presb. [Mirdani presb. et aliorum LX]*. Eusebius Polycarpi martyrio commemorato ὑπὸ τὴν αὐτὴν περίοδον τοῦ χρόνου τῆς τοῦ Πολυκάρπου μαρτυρίας (III, 15, 46) alios martyres passos esse narrat, ex quibus Metrodorum presbyterum et Ponium quendam nominatim affert. Apud eundem (III, 15, 4) legimus quo tempore Polycarpus martyrio affectus sit „persecutores deterrere volentes inspectantem populum” martyres quosdam in quibus „praecipue designatur vir fortissimus effloruisse Germanicus nomine”¹⁾ bestiis obiecisse. MH die Polycarpi natali (VII kal. mart., quem diem Eusebius non indicat!) Germanico ceterisque omissis Polycarpum tantum memorat, III id. mart. die

1) Haec Rufinus.

Pioni natali (quem Eusebius non dat!), quae supra sunt laudata. Pionium presbyterum fuisse, is qui articulum adscripsit apud Eusebium legere non potuit. Quo in libro Eusebiano Dionysius martyr *aliique XV vel VI* (kal. febr.) leguntur? Articuli ex Eusebio ipso non sumpti sunt.

K. Denique de duabus adnotationibus, quae utrum MH fuerint insertae necne incertum, pauca disseram. In HE (V, 16, 22) Eumenetici Gaius et Alexander Apameae martyrium passi esse dicuntur. MH V id. mart. In *Carthagine Heracli, Zosimi, Alexandri (Alexandria B) Gai, Philomi ep. . . .* Suntne Eumenetici? An casu alii martyres iisdem nominibus uno tenore leguntur? Si Eumenetici significentur, (id quod nego) ne id quidem argumentum, quo eorum nomina ex Eusebii libro sumpta esse demonstraretur (cf. V id. mart.).

L. *Prid. id. nov. In Africa . . . Maurili, Publii.* Eusebius (V, 19, 3) *ἐν ταύτῃ δὲ τῇ τοῦ Σεραπίωνος ἐπιστολῇ καὶ ὑποσημειώσεις φέρονται διαφόρων ἐπισκόπων, ὧν ὁ μὲν τις ὧδε πως ὑποσημειώσεται· „Ἀθρόλιος Κυρίσιος μάργος ἐρρωῶσθαι ὑμᾶς εὐχομαι”· ὁ δὲ τις τοῦτον τὸν τροπον· „Ἄλλιος Πούπλιος Ἰούλιος ἀπὸ Δεβελτοῦ τῆς Θράκης ἐπίσκοπος κ.τ.λ.* Baronius et Delahaye duos episcopos, qui Serapionis litteris subscrisperint, in MH memorari arbitrantur¹⁾. Quod nego. Licet Aurelius Quirinius martyr dici possit, cur quis, si articulum ex Eusebio sumeret, Aelium Publium quoque memoraret? Num tam neglegenter legit, ut alterius praenomen, alterius nomen adscriperit? Commoro nullo in codice, nisi in C (saec. fere XII scripto) *Aurili* legi. *Aurilius* et *Maurilius* in MH saepius in *Africa* memorantur (VI, V kal. mart., XV, VI kal. apr., III kal. mai.).

Apud Eusebium denique non pauci martyres memorantur, quos in MH non leges: Symeon Hierosolymita (III, 11; 32, 6), Rufinus et Zosimus (III, 36, 13), Germanicus Smyrnaeus (III, 15, 5), Ptolemaeus et Lucius (III, 17), Publius Atheniensis (III, 23, 2), Alexander Hierosolymita (VI, 39, 2), Faustus Alexandrinus (VII, 11, 26), Priscus, cett. (VII, 13), Marinus Caesariensis (VII, 15), Astyrius (VII, 16), Silvanus (VIII, 6, 1).

Nego igitur martyres ab Eusebio memoratos via et ratione quadam MNH insertos esse. Paucos articulos, qui multis in rebus cum Eusebio consentiant, ex alio fonte sumptos esse probabile puto.

§ 3. De martyribus Palaestinis.

Materiam rei, quam Eusebius in libro, qui inscribitur *Περὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ μαρτυροσάντων*, tractavit, „longiore” et „breviore” (Harnack)

¹⁾ Baroniis ad Nov. 12, Delahaye, Les orig. p. 238 sq.

libello traditam esse notum est. „Brevior” libellus vulgo HE libris additur, „longioris” graece et latine nonnullae reliquiae¹⁾, syriace scriptus totus restat²⁾. Utrumque libellum ab Eusebio ipso compositum esse satis constat; viris doctis, qui putent Eusebium brevioris libellum composuisse ut ad longiorem scribendum se praepararet, adsentior. In longiore libello passiones LXXXVII martyrum (ex quibus XLVII nominatim dicuntur) in XVI capita dispositorum commemorantur, qui martyres omnes fere in MH redeunt. De singulis capitibus acturi sumus, investigantes quo ex Eusebi libello sumpta sint, quo ex fonte — ex ipso libro Eusebiano an ex MNH — martyrologio latino adscripti sint:

I. III id. ian. <in Alexandria> Petri [Severi BW] Leuci . . . confess. et Alolami [quorum gesta habentur BW]. In G (X, 2, 3) legimus Petrum Abselamum e pago Anea ad Eleutheropolin ortum III id. ian. septimi persecutionis anni Caesareae igne crematum esse. — Verba in Alexandria martyri Philoromo attribuendi sunt. Leuci confessoris memoria recentior adiecta est (cf. VI id. ian.). Quod ad Severum nomen attinet, Achelis docet³⁾ in actis Petri Abselami iudici, a quo condemnatus sit, hoc nomen fuisse. Putandum igitur, cum id nomen neque in G neque in S inveniatur, eum qui articulum fastis adiunxerit, his actis usum esse. Vero propius puto (neque in SC⁴⁾ Severus memoratur) Severum ad Petrum non pertinere; acta aliis quoque in rebus ab Eusebio discrepantia postea composita esse ex eo articulo profecta. Martyrium in S inscribitur: „Martyrium Petri, qui dicitur Abschelama anno persecutionis septimo Caesareae.”

II. XIII kal. mart. . . . Fissinari, Pampili, Valentis diaconi, Seleuci, Perfidi, Teofili, Iuliani, cum Aegyptiis num. V mil.⁵⁾, III non. iun. In civit. Cessaria nat. Thamati, Honorati, Seleuci, Porfiri, Pafli, Estivi (Palestini BW) Rogatae. In G (XI, 1—28) Pamphilus presb., Valens diac. Paulus, V Aegyptii (Helias, Ieremia, Iesaia, Samuel, Daniel), Porphyrius, Seleucus, Theodulus, Iulianus XIII kal. mart. Caesareae

1) Quas enumerat B. Violet, Die Palästinischen Märtyrer des Eusebius von Cäsarea, T. u. U. XIV, 4, p. 121 sqq.

2) Syriace editus a Cureton, Eusebius History of the Martyrs in Palestine, London 1861; in germanicum translatus a Violet. Assemani 1748 partem interpretationis syriacae ex altero codice aliquantum variante ediderat: Acta martyrum orientalium et occidentalium II, p. 169. In posterum brevioris libellum littera G, syriacam interpretationem a Cureton editam littera S, ab Assemani editam littera A indicabo.

3) Die Mart., p. 121.

4) In quo excerpta ex longiore libello leguntur.

5) B milia.

martyrium passi esse traduntur. Huius passionis „longior” libellus graece servatus est¹⁾; cui titulus: „*Ἀθλησις . . . Παμφίλου, Οὐάλεντοῦ, Παύλου, Σελεύκου, Πορφυρίου, Θεοδούλου* 2), *Ἰουλιανοῦ καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς Αἰγυπτίων*” 3). Videmus articulum cum ea inscriptione satis consentire: in vita ipsa (in S, in G, in graeca passione) martyres alio ordine memorantur 4). Is qui inscripsit titulum *diaconi* in pleniore inscriptione invenisse videtur. Verbo q. e. *Fissinari* (*Fessinari* B) praefectum Firmilianum significari Achelis putat 5). Mea opinione falso legitur pro voce *in Caesarea* 6) MS Febr. 16. *Ἐν Καισαρείᾳ τῆς Παλαιστίνης Πάντριος καὶ Πάμφιλος ὁ πρεσβύτερος καὶ ἕτεροι μάρτυρες ἕνδεκα. Paphius* est iteratum et depravatum nomen Pamphilus 7). Quod „Pamphius et nomen urbis in MH omissum est” igitur documento non esse potest „articulum in MH memoratum non ex laterculo syriaco ortum esse 8), in MS nihil Eusebianum apparere” 9). Praeclarum presbyterum Pamphylum, cuius vitam Eusebius discipulus composuit, Caesareae celebratum esse non mirum est. Ex fastis huius urbis articulus sumptus esse potest. Numerus vero sociorum accuratius cum iis quae Eusebius narrat consentit, quam ut viro docto Achelis assentiar 10).

III. Martyres postremos in persecutione Diocletiana Caesareae passos G (XI, 29, 30) Adrianum et Eubulum dicit. Ex quibus alter III non. mart., alter non. mart. anni 310 leonibus obiectus est. In S eadem leguntur. MH III non. mart. *In Graecia (In Africa BW) Adriani, Euvoli, . . . in Africa . . . Heribi Maris, Palatini, . . . Arriani, Pam-*

1) AB XVI, p. 129 sqq. XXV, p. 499 sqq. Eusebii opera ed. Schwartz II, p. 931 sqq.

2) In inscriptione interpretationis syriacae *Theophilus* legitur (in passione ipsa *Theodulus*), in fine „et unus Aegyptius, in summa VIII martyres”.

3) In SC (Febr. 16) martyres eodem ordine memorantur, Aegyptii nominatim

4) Paulus omissus est; iniuria Achelis, Die Mart, p. 64: „Die Aufzählung geschieht genau nach De martyribus Palaestinis (G) cap. 11”.

5) Die Mart, p. 64, 65.

6) In E legitur: *Ceś, Cess, Cessā, Cessar, Cessaria, Cessariae*.

7) In SC quoque (in codice B) memoria *Παμφίλου* (q. e. Pamphilus), *Οὐάλεντος* z. t. λ. legitur. Haec contra R. Miedema, Twee Oostersche martyrologien, Theol. Tijdschr., 8e Jaargang (Nieuwe Reeks) p. 41. sqq, qui putat *Pnpi* scriptum esse pro *Porphyri*. Quod nomen nullo in libro primum legitur; praeterea MS et alii XI habet, quod falsum est, si duo martyres nominatim memorantur.

8) Die Mart, p. 65.

9) Die Mart, p. 64.

10) Ad III non. iun. nonnulli ex his iterum leguntur. In MEM et AS martyres kal. iun. memorantur.

pili, Eusebi, [Palamarti BW], [Marci it Eusebi B]. Postremis martyribus ex Eusebio memoratis scriptor „Eusebi Pamphili, de martyribus Palaestinis” vel talia addidisse videtur, quae verba valde depravata in MH legi existimo. Inscriptio in S: „Martyrium Hadriani et Eubuli septimo persecutionis anno” . . . Si martyrum articuli ex passione ipsa fastis adscripti essent, suo quisque die adscripti esset.

IV. Quo ex libello nomina illius capit² fluxerint, manifestum est, licet confuse in MH memorentur. In vita martyrum eorum (G III, 2—4) Timolaus, Dionysius, Romulus, Paësis, Alexandri duo, Agapius, Dionysius nominantur; in titulo interpretationis syriacae martyres quo ordine MH eos habet leguntur:

X et IX kal. apr.	ex cap. II iterantur	In titulo
In prov. Carmillae		
Pauli	Paulus	
Cessariae		
Iuliani	Iulianus	
in cessā		
Agatini		Agapius
Alexandri		Alexander
Fidelis	Perfidus, Porphyrius	
Thimodoli	Theodulus	
Dionisi		Dionysius
it. Dionisi		Dionysius
et aliorum VIII		
In Syria	Porphyrius	
Seleuci	Seleucus	
In Africa		
Agapi		Agapius
Timolai		Timotheus ¹⁾
Romuli		Romulus
Pisoni		Plesius ²⁾
Alexandri		Alexander
Diopi		(Agapius?)

V. Martyrium „longivs” fratrum Appiani et Aedesii graece servatum est³⁾. Quod a G non multum differt. Appianus ex Lycia (G ex pago Gagis) Caesaream profectus tertio persecutionis anno Christi³ anus comprehensus ab Urbano praefecto, in aquam mersus est. Corpus

1) In passione recte Timolaus dicitur.

2) Cuius nomen recte Paësis legitur (Violet, I.I. p. 140).

3) AB, XVI, p. 122; Schwartz II, 2, p. 911 sqq.

magno terrae motu ad moenia urbis eicitur. Aliquanto post Hierocles praefectus Alexandrinus Aedesium fratrem Appiani in aquam mergi iubet; quo die factum sit, non indicatur. Martyrium in longiore libello inscribitur: „*Μαρτύριον Ἀπριανοῦ καὶ Αἰδεσίου ὁμομητρίων ἀδελφῶν προ β' Νωνῶν Ἀπριλλίων*”. In MH III non. apr. In *Africa Amfiani* . . . ; III non. apr. In *Nicomedia* . . . *Amfiani* . . . ; non. apr. In *Cessarea Luciae (Liceae B) s. Amfiani*. Librarius ex martyrio ipso nomen provinciae ex qua martyr oriundus erat, in MH indicavit. Articuli ostendunt graeca exemplaria exstitisse in quibus, ut in S, martyrur caput in duos partes divisum esset, quae *Μαρτύριον Ἀπριανοῦ* et *Μαρτύριον Αἰδεσίου* inscripta essent. Fieri sane potest, ut librarius in exemplari, quo usus est, duos quidem invenerit, alterum solum, qui Caesareae martyrium passus esset, martyrologio adscripserit.

VI. Articulus Theodosiae consentit cum inscriptione longioris libelli, cuius duo codices (Monacensis 366 et Vaticanus 1660) editi sunt¹⁾: *Μηνὶ τῷ αὐτῷ γ' (καθ' 2) cod. Monac. 366)*. *Μαρτύριον Θεοδοσίας παρθένου πέμπτῳ ἔτει τοῦ καθ' ἡμᾶς διωγμοῦ προ γ' (τεσσάρων cod. Monac. 366), Νωνῶν Ἀπριλλίων ἐν Καισαρείᾳ τῆς Παλαιστίνης*.

VII. MH III non. mai (cod E V non. mai.) In *Cessarea nt. Silvani*, [cuius gesta habentur B], *Alexandri*, (in *Alexandria BW*) et *aliorum XI*. In G (XIII, 4-10) legimus Silvanum episcopum Gazaeum octavo persecutionis anno una cum II aliis securi percussus esse. In S miles dicitur, qui, cum in metalla missus ad opus perficiendum inaptus esset, cum XI sociis III non. mai. occisus sit. Alexander ad caput III pertinet. Cum de numero XI in inscriptione interpretationis syriacae non agatur, putandum est pleniorum titulum in graeco exemplari inscriptum fuisse, nisi forte numerus ex passione ipsa sumptus est.

VIII. Prokopius primus martyr eorum quos G (I, 1, 2) habet, Iun. 7 primi persecutionis anni e vita discessit. Obscure in MH legitur: VII id. iun. In *Cessarea Cappadociae* . . . VI id. iun. In *Cessarea Palaestinae Euristi (Cristi B)*; in *Cessarea Cappadociae* . . . [Cresti E]; VIII id. iul. In *Cessarea Capp. Procopi (Procubi B)*. Longioris libelli duae interpretationes syriacae, tres latinae³⁾ restant, quae paucis in rebus variant. G et S Procopium VII id. iun. securi percussus esse referunt. Quem eius „diem natalem” puto. Latina acta inscribuntur: „qui passus est sub Fabiano (alibi: Flaviano, Paulino) iudice III non. aug.”. In passionis fine: „Desiit septima iulii

¹⁾ AB, XVI, p. 127. Schwartz II, 2 p. 921.

²⁾ h.e. III kal. mai, perperam scriptum pro Apr. 3.

³⁾ BHL 6949—6951.

mensis quae non. iuliae dicitur apud Latinos". In SC Iul. 8 et Nov. 22 Procopii exorcistae memoria occurrit. Nescio utrum *Cristi* depravatam *exorcistae* an *Procopi* sit. Articulus VIII id. iul. ab VI vel VII id. iun. iteratus esse videtur, cum neque SC neque acta de Caesarea Capp. dicant.

VIII. Articulus XVII kal. aug. in MH relatus ex titulo "longioris libelli, qui in S legitur: „Martyrium Pauli, Valentinae, Ennathae anno persecutionis sexto", pendet. MH *In Cessarea Pauli [cuius gesta habentur BW] et sc. Mammetis etalibi Volenti, Mithoni [Theoni BW], Coclei [Diocletis BW]*. In passione ipsa ordo nominum est alius: Ennatha, Valentina, Paulus, qui idem ordo in G (VIII, 1—12) invenitur¹⁾. In S et SC martyres in urbe „cui nomen est Lud, graece Diocaesarea" (quod est mendum pro Diospolis) vixisse narrantur²⁾. Quod ad diem attinet, G et S indicant Iul. 25, MH et SC Iul. 16 (vel 15 et 17). Perperam aliquis XXV numerum XV putavit.

X. MH XIII kal. iun., *In Cessarea Capadoc Poliochi*. XII kal. iun., *In Mauritania Timothei, Policutici diac.* In [prov. B] *Cessaria Polieucti. In Cessarea Capadoc. Policuti . . . In Britannia Timothei*. XI kal. iun., *In Cess. Cappad. Poliuicti*. XIII kal. sept. . . *Zelasi (?) Timothei, Ganddae (Gatte B)*. S et G (III, 1) referunt Timotheum Gazaeum, cum deis falsis sacrificare nollet, variis cruciatibus affectum leni igni crematum esse. S inscribitur: Martyrium Timothei Gazae in urbe" . . . Neque in S neque in G dies indicatur. Inscriptio in A legitur: „Martyrium Timothei Gazae in urbe" . . . Mai. 21. In SC inveniuntur: Febr. 19 Timotheus Caesariensis, Aug. 19 et Sept. 19 Timotheus Gazaeus, Agapius, Thecla, Nov. 19 Agapius Caesariensis, Dec. 19 Timotheus in Mauritania, Polyeuctus Caesareae. Apud Florum legimus XII kal. iun. ex MH (?)³⁾: „In Mauritania Caesariensi natale sc. Timothei, Polii et Euthycii diaconi, qui apud praefatam regionem verbum Domini disseminantes pariter coronari meruerunt. Apud Caesaream Capp. natale sc. Polyeucti, Victori, Donati". Ex iis, quae in SC et apud Florum invenimus, Timothei et Polyeucti acta exstitisse in quibus alteruter saltem in Mauritania Caesariensi vel Caesareae in Mauritania martyrio affectus esse diceretur, satis constat. Quibus in actis dies non erat datus: in SC eodem die, quo Caesarienses Primus cett. memorati sunt, leguntur. Quae acta, recentiora quam articuli, qui XIII, XII, XI kal. iun. in MH leguntur,

1) *Ἐρραδᾶ* in G non memoratur.

2) In MH *Coclei, Diocletis*.

3) Quentin, p. 333.

pro nihilo ducenda sunt¹⁾. Articuli in MH mea opinione hoc modo orti sunt: MS habet Mai. 20 *Τιμόθεος καὶ Πολύευκτος*. In MN vero (et in MNH) duae adnotationes legebantur: Mai. 20 Caesareae Timotheus²⁾, Mai. 20 vel 21 Caesareae in Capp. Polyuctus. Qui MNH martyrologio latino inseruit, falso alterum Caesaream Caesaream in Mauretania sitam putavit. Adnotationes, quae Sept. 19 in SC et MH leguntur, ex libro Eusebiano sumptae sunt. Putandum igitur est eum diem in exemplaribus graecis, quibus ii qui adnotationes fastis graecis et latinis inseruerunt usi sunt, indicatum fuisse.

XI. In laterculo, qui XIII kal. oct. in MHE legitur, martyres Peleum, Nilum, Patermuthium, Elian, qui Sept. 19 anni persecutionis septimi Phaenone „igni traditi” sunt, vix reperimus: <In Alexandria>... *Pallae, Nibi, Paramidi, Heli* . . . <alibi> . . . *Quapili, Mili, Paterni, Musci et aliorum CL. G (XIII, 1, 2)* tres quidem martyres memorat neque quo die, nec quo loco obierint. S eos Sept. 9 mortem obisse refert. (Cf. p. 49). Prior articulus ex MH memoratus cum titulo, qui in S legitur, congruit. In altero ex ipso martyrio vel ex pleniore titulo sumpto CL „alii”, qui tamen martyrium non passi sunt, adduntur. Verbum q. e. *Qua* fortasse depravatam *Phaeno(ne)* est.

XII. Quod MH non. nov. habet: *In Cessarea Capp.* (quod est perperam scriptum pro: *Palaest) Domnini*³⁾ cum inscriptione in S relata consentit. In passione martyr kal. nov. ab Urbano igne crematus esse dicitur (cf. p. 49). De multis aliis martyribus in passione memoratis in MH mentio non fit.

XIII. MS Nov. 3 *Ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας Γερμανὸς καὶ Θεόφιλος καὶ Κύριλλος* MH XIII kal. sept. . . . *Teodoli, Cyrilli, Zelasi* (Germani?) III kal. nov. <In Nicomedia> . . . *Germani* . . . *Theofili* . . . *Eusebi.* kal. nov. *In Cappadocia* . . . III non. nov. . . . *Cess. Cappod. nt. Germani, Theofili, . . . Germani, Theofili, Cessari, Egrili.* non. nov. *Cess. Cappod. Domnini, Cessari, Antonini.* II id. nov. *In Cess. Capp. Antonini, . . . Germani, Theofili et Cessari, Eusebi.* id. nov. *In Cess. capod. Antonini, . . . Zebennae, Germani, Mannicae, Andrani cum sociis suis.* Librarius martyres Cappadoce et Palaestinos in MH non discrevit. Dominus et qui id. nov. leguntur sine dubio Palaestini sunt. Qui in MS in voce *Ἐν Καισαρείᾳ*

¹⁾ Acta nihil novi afferunt: utrunque martyrem igne crematum esse (Eusebius Timotheum hoc martyrium affectum esse narrat). Ceterum in SC et apud Florum loci communes leguntur.

²⁾ Qui Timotheus idem mihi videtur, quem Eusebius dicit. In MN martyres in Mauritania passi nisi celeberrimi, memorati non essent.

³⁾ II non. nov. *In Nicea Domnini.*

τῆς Καππαδοκίας leguntur in Palaestinis fortasse numerandi sunt.¹⁾ Passio in S inscribitur: „Martyrium Antonini, Zebinae, Germani, Mannathos” . . . In SC Nov. 13 praeter Antoninum „aetate pro-
vectum” tres iuvenes Nicephorus, Zebinas, Germanus interfecti esse leguntur. Qui Nicephorus neque in aliis fastis, neque in libro Eusebiano invenitur.

XIII. Passio in S inscribitur: „Martyrium Alphaei, Zachaei, Romani”. In A dies Nov. 17 adicitur. Qua cum incriptione MH XV kal. dec. consentit. (Ex capite VI Theodosia (*Theodotae*) iteratur). In passione syriaca Alphaei martyrium Zachaei sequitur; eodem die quo Zachaeus et Alphaeus passi sunt, Antiochiae Romanus diaconus et exorcista ex pago Caesareae proximo natus martyrio afficitur. G (I, 5, II, 1—5) eadem fere refert: qua in urbe Alphaeus et Zachaeus vixerint, non legimus.

XV. Martyres quibus nomen Agapius in opere Eusebiano memoratos clare distinguere difficile est. In fine martyrii Timothei (in S) legimus²⁾: „mit diesem tapferen Bekenner zusammen in der Zeit, da er sein Bekenntnis bewährte und in der selben Stadt wurden weiter der Märtyrer Agapius (quem dico I) und die bewunderenswürdige Thecla . . . verurteilt von den Tieren gefressen zu werden”. In A Agapius et Thecla eodem die, quo Timotheus passus est, damnati dicuntur. G (III, 1): τούτω δ' ἄμα . . . κατεδικάσθησαν. Timotheus passus dicitur Mai. 21 (A et MS) anni persecutionis secundi (C, A, G), Sept. 19 (SC et MH). In martyrio, quod apud Eusebium Timothei passionem sequitur (ad IIII) legimus (in S) cum fama in vulgus perferretur Agapium (I) et Theclam feris obiectum iri, sex iuvenes ad praefectum theatrum ineuntem accessisse et ab eo quaesivisse ut ipsi quoque feris obicerentur. Urbanus praefectus eos in carcerem conici iussit. Complures dies retenti³⁾ sex iuvenes una cum Agapio quodam (II) et Dionysio Mart. 24 (S, G, MH, SC) anni secundi (S) „securi feriuntur”.⁴⁾ Ex quibus, licet aperte non legatur, colligi potest Agapium I et Theclam compluribus (S) vel non multis (G)

1) Cyrillus quidem in libellis, qui Eusebiani libri supersunt, non dicitur; quod vero XIII kal. sept. Theodulus, cett. ad diem capitis X leguntur, videtur demonstrare eos ad Palaestinos pertinere. Praeterea annoto Cyrillum in MH Eusebium vel Egrilem dici.

2) Laudo interpretationem germanicam a Violet datam (p. 18).

3) G: μετ' οὐ πολλὰς δὲ ἡμέρας . . . ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τὰς κεφαλὰς . . . ἀποτέμνονται.

4) Patet aut Mai. 24 (vel Sept. 19) anni secundi, quo die Timotheus passus esse refertur, aut hunc diem Mart. 24 anni secundi falsum esse.

diebus ante diem XXIII mensis martii anni secundi in theatro martyrium passos esse. Alio loco autem legimus Agapium Nov. 20 (S, A, G, MH, SC) anni persecutionis quarti (S, A, G) feris obiectum esse. Violet in indice (p. 174) eum Agapium III vocat, addens (= 1?). Mea opinione idem est. G enim habet: „Αγάπιος οὗτος ἦν, ὁ δεύτερος ἅμα τῇ Θεκλα θηροσὶν ἐπὶ βορᾷ δίδοσθαὶ μικρῶ πρότερον δεδηλωμένος· ὅς δὴ . . . αἰεὶ γε μὴν κατὰ χρόνους τοῦ δικαστοῦ μετὰ τὰς ἀπειλὰς ἦτοι προθέσεως εἰς ἑτέρους αὐτὸν ἀγῶνας ὑπεριτιθεμένον, τότε δὴ βασιλέως ἐπιπαρόντος ἤγετο” S: „Agapius . . . war zusammen mit Thecla zum Frasse der Tiere bestimmt worden. Des schönen Namens der Thecla wurde schon in einem anderen Abschnitte gedacht”. Sed quo tempore Thecla passa sit incertum. Quaeritur sitne omnino passa? ¹⁾ Satis constat Agapium I a. d. XII kal. dec. anni quarti mortem obiisse.

XVI. Martyrium in S incipitur: „Martyrium Aris, Primi(?), Eliae anno persecutionis sexto aetate nostra Ascelone” E XVIII kal. ian. *In Ascalone Aleiae*; Rich. *In Ascalone Promoti*. W . . . *Aelei, Promodi, Heliae*

* * *

In capitibus tractandis saepe admonuimus articulos in MH memoratos, quod ad martyrum nomina eorumque ordinem pertineat, cum iis quae in martyriis ipsis in S et G memoratis legantur non congruere, cum inscriptionibus interpretationis syriacae (et in primis interpretationis S) satis convenire. Incriptiones, quae in S et in A et in reliquiis longiores libelli graece et latine servatis leguntur, ab inscriptionibus in S relatis paulum discrepant. Satis constat Eusebium ipsum capita singula „longioris” libelli inscripsisse, inquirendum vero quae inscriptiones continuerint. Violet de hac re pauca disserens concludit haec (p. 147): „Unsere Untersuchung weckt im Ganzen genommen unser Vertrauen zu den Ueberschriften des C. (q. e. S) Eusebius . . . hat die Martyrien wohl ziemlich gleichmässig überschrieben”. — Quattuor sunt res quas inscriptiones habent: martyrum nomina, annum, diem, urbem, in qua passi sunt. S in XVI titulis sedecies nomina, sedecies annum, septies urbem habet; A in VII titulis sexies nomina, ter annum, quater diem, ter urbem; longior libellus graece in III inscriptionibus ter nomina, semel

¹⁾ Estne passa quo die sex iuvenes ad praefectum theatrum intrantem accesserunt? At G refert (III, 2—4) iuvenes praefectum ἐπὶ τὸ κωνηγάσιον ἀπίεσαι μέλλοντα adiisse!

annum, bis diem, semel urbem; longior libellus latine in III inscriptionibus ter nomina, semel diem continet. Adnotationes in MH et in SC¹⁾ memoratas consideranti probabile mihi videtur in omnibus titulis exemplaris antiquissimi praeter martyrum nomina et dies „natales”, quo anno, qua in urbe martyres passi essent indicatum fuisse. Martyrum et urbium nomina, dies „natales” is qui martyres Palaestinos martyrologio adiunxit satis accurate exscripsit²⁾; quo persecutionis anno martyres passi essent, ne articuli obscuri fierent, omisit. Cum dies in MH memorati ab iis, quos S et G habent discrepant, (in cap. VIII(?), IX, X) idem sunt atque in SC. In cap. IX S et G martyres Iul. 25, MH et SC Iul. 15, 16 memorant: S et G fortasse MH et SC praeponenda sunt. Alia est res in cap. XI. S martyres Sept. 9 passos esse refert; in G dies non indicatur; MH et SC eos Sept. 19 memorant: in S dies falso adscriptus est; id quod accidit in cap. I, XII, XIII. De die natali martyrum in cap. X memoratorum iam pauca dixi. Neque dies Mai. 21 (A) neque Aug. 19 (SC et MH) rectus videtur.

Martyres Palaestini ex libro Eusebiano MNH an MH adscripti sunt? Quae via mea opinione fortasse ad quaestionem diiudicandam fert, eam ingressus sum: exploravi quo ordine articuli in laterculis MH, praesertim ad quos dies articuli ex MNH sumpti MH aduncti sunt, legerentur. Octo vel novem laterculos inveni, in quibus Palaestinos et martyres ex MNH depromptos memorentur: sexies articuli ex MNH sumpti et Palaestinatorum (qui in cap. I? V, VI, VIII, XI, XIII memorantur) continui leguntur, ita ut ex uno eodemque fonte (MNH) fluxisse videantur. Idem dici potest de articulis Palaestinatorum in cap. XIII et XV memoratorum, licet ii cum adnotationibus ex MNH sumptis non plane cohaereant. Ad IIII non. mai. Palaestini et martyres ex MNH deprompti nominibus martyrum Afrorum disiunguntur. Probabile est igitur Palaestinos martyres in MNH inscriptos fuisse. Sunt quae hanc opinionem confirmant: multi articuli corruptiores sunt quam ut in Occidente aliquis MH ipsi eos adiunxerit: ex XVI articulis V modo (quos tractavi in cap. I, VII, IX, XV, XVI) semel in MH leguntur: reliqui omnes eodem vel alio die bis terve memorantur; praeterea martyres ex cap. II ad diem martyrum ex cap. IIII et X(?), ex cap. III ad diem martyrum ex cap.

1) Elogia in SC ex longiore libello sumpti sunt: elogia martyrum in cap. IIII, V, VIII, X, XIV, XV memoratorum non consentiunt cum quibus G habet.

2) Bis tantum (in cap. I, III) urbium nomina omissa sunt; semel martyr. Phaenone passus, Caesareae adiungitur.

XII, ex cap. IIII(?) ad diem martyrum ex cap. VII, ex cap. VI ad diem martyrum ex cap. XIII, ex cap. XIII ad diem martyrum ex cap. X?, XII, XV iterantur! Articuli Palaestinorum ex MNH iam confusi MH adiuncti sunt: quos articulos in Occidente quis suppleos esse putavit. Is fortasse nonnulla ex martyriis ipsis sumpta adiecit (ad cap. II? V, VII). In Occidente quinquies verbo q. e. *Caesareae* (ex MNH sumpto) falso in *Capp* adiunctum est. In Occidente articulis capitum I, VI, IX, XII verba q.s. *quorum gesta habentur* addita sunt¹⁾.

§ 4. De „martyribus” ex Scriptura sacra sumptis.

Ex quattuor praestantissimis martyrologii latini codicibus B et L ab die VIII kal. ian. initium capiunt. Omnes codices eo die [*In Bethleem* BWL] *Nativitas* [*Salvatoris* BW] *Domini nostri* [*Iesu Christi secundum carnem* BWL] habent.

Qui MN in syriacum transtulit a „Natali Dominico exordium sumpsit. Natale ipsum in MS non memoratur, id quod ab martyrologio ipso, cuius scriptor initio libri „nomina dominorum nostrorum martyrum victorumque et quibus diebus coronas tulerint” se allaturum esse dicat, abhorret. Articuli quibus homines „sancti” qui martyrium passi non sint et res quarum in Scriptura sacra vel in litteris christianis identidem mentio fiat memorantur, ut multi in MH et in SC occurrunt, ita in MS raro inveniuntur²⁾.

Quaestio sitne MN quoque ex Natali Dominico (VIII kal. ian.) profectum cum altera illa coniuncta est: quo tempore in Oriente atque Nicomediae „Natale” Domini non iam Ian. 6 sed Dec. 25 celebratum sit. Quam quaestionem penitus perscrutari huius loci non est. Constat Gregorium Nazianzenum anno fere 380 Constantinopoli orationem de die Natali Dominico VIII kal. ian. habuisse³⁾. Quem diem Usener a Gregorio tum diem festum Christi nati institutum, mox ab ecclesiis Orientis ascitum esse putat⁴⁾. In alia oratione die Epiphaniae habita Gregorius: *τῇ μὲν οὖν γεννήσει, inquit, τὰ εἰκότα προεωρτάσαμεν ἐγὼ τε ὁ τῆς ἐορτῆς ἕξαρχος καὶ ὑμεῖς καὶ πᾶν ὅσον ἐγκόσμιον τε καὶ ὑπερκόσμιον μετὰ ἀστέροσ ἐδράμομεν καὶ μετὰ μάγων προσεκνήσαμεν κ.τ.λ.*⁵⁾ Usener (p. 262) explicat: „Er war nicht bloss Chorführer, sondern auch Einführer und Urheber.” Credo Grego-

1) Acta latina martyrum in cap. II, V, VIII memoratorum restant!

2) Memorantur praeter nonnullos episcopos Macchabaei, qui martyres dicuntur.

3) Gregorii opera ed. Benedictini, Or. XXXVIII, p. 674b.

4) Usener, Das Weihnachtsfest, Bonn 1889, p. 264.

5) o.l. Or. XXXIX, C. 14, p. 685.

rium principem se, vel qui belgice „Voorganger” dicatur appellavisse. oratorem, si festum instituisset, pluribus verbis in alterutra oratione de hac re acturum fuisse. In oratione de die Natali dominico habita legimus: *τά δε νῦν Θεοφάνια ἢ πανήγυρις εἴτ' οὖν Γενέθλια· λέγεται γὰρ ἀμφότερα*¹⁾; dies festus non eo die primum²⁾ celebratus videtur: varia nomina iis qui audirent iam cognita erant.

Praeterea notum est Iohannem Chrysostomum VIII kal. ian. (die natali Dominico) anni fere 386³⁾ Antiochiae orationem habuisse. Qua in oratione Chrysostomus: *καί τοι γε οὐπω, inquit, δεκατόν ἐστιν ἔτος ἐξ οὗ δὴλῃ καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται*⁴⁾: inter annos 375 et 380 primum Natale Iesu Christi Antiochiae VIII kal. ian. celebratum est. Denique certum est hunc diem festum paulo post 378 Nyssae VIII kal. ian. a Gregorio celebratum esse⁵⁾.

Ex quibus concludimus in Oriente anno fere 380 Dominicum VIII kal. ian. vulgo celebratum esse⁶⁾. Quae Erbes affert ut eo die festum

1) Cap. 2, p. 664.

2) Usener o.l., p. 259.

3) Usener (p. 238) a° 388.

4) Migne, PG XLVI, c. 1128.

5) Usener (p. 247) a° 382; qui tamen orationem die Natali habitam iniuria spuriam putare videtur. Cf. K. Holl, Amphilochius von Ikonium, Leipzig 1904, p. 231; H. Delahaye AB XXIV, 1905, p. 144.

6) Omitto nonnullas regiones et urbes, quae postea hunc diem festum asciverunt: Aegyptum (inter annos 418 et 432), Hierosolyma (451), Armeniam, qua in regione adhuc „Natale” Domini Ian 6 celebratur. — Festum ex Occidente in Orientem translatum esse omnes scriptores veteres consentiunt. Licet argumenta ab Usener (o.l. p. 266 sqq) allata non tam certa putem ut ei affirmanti (p. 274): „das neue fest ist also in Rom zum ersten male im j. 354 (vel 355) begangen worden”, assentiar, concedo paucis annis ante Romae Natale Dominicum VIII kal. ian. institutum esse. Neque Tertullianus (De baptismo) neque Origenes (Contra Celsum) dies festos Christianos enumerantes, Natale Dominicum dicunt, quamquam alter praesertim habebat, quod omnes dies festos enumeraret (contra Celsum VIII, 22). Arnobius eos qui dies natales celebrent eludit (a° fere 300, Adversus nationes VII, 32). In initio depositionis martyrum Chronographi anni 354: „VIII kal. ian. natus Christus in Betleem Iudae”. Si dies festus a 354 vel 355 primum VIII kal. ian. actus est, quaeritur quando Philocalus haec scripserit. Achelis (Die Mart p. 10): „das Weihnachtsfest des 25 Dec. war kurz vorher . . . zum ersten Mal gefeiert worden”. Philocalus igitur extremo anno 354 vel 355 vel potius anno 355 (vel 356) scripsit, aut Natale Dominicum iam ante 354 primum celebratum est. Ad haec admoneo depositionem episcoporum cum martyrum depositione arte coniunctum iam 335 compositam ab VIII kal. ian. proficisci.

Christi nati anno fere 335 iam actam esse demonstret, ad fidem faciendam parum apta sunt¹⁾.

Usener scribit haec (p. 251): „Auch das syrische martyrologium kann nicht wohl anders eingerichtet gewesen sein als so dass der 25 december entweder den anfang oder den schluss machte . . . Sie muss also nahezu unmittelbar mit der einführung des weihnachtsfests in die kirchen des ostens geschaffen sein, um 380.” Contra quae dico haec:

Festum Christi nati in nonnullis Orientis urbibus iam ante 380 constitutum esse. Basilius episcopus Caesarienses (371–379) in oratione de „incarnatione” habita exclamat: „ὄνομα θώμεθα τῆ ἐορτῆ ἡμῶν Θεοφάνια”, quo eodem nomine Gregorius amicus eius Christi nati VIII kal. ian. celebratum dicit. Veri simile igitur hanc Basilii orationem VIII kal. ian. habitam esse: Caesareae et Constantinopoli (cf. p. 51) hoc festum iam ante 380 notum fuit.

Quae Usener dicit de MS ad MN non pertinent. Qui anno 411 Edessae MN in syriacum transtulit, nonnulla addidit, multa omisit, MN aliquatenus retractavit, initium fortasse novo festorum ecclesiasticorum ordini aecommodavit: MN ab VIII kal. ian. initium fecisse certum non est²⁾. A quo die MNH initium sumpserit ex articulis in MH memoratis cognosci non potest. Commodi causa sumimus hoc martyrologium ab VIII kal. ian. initium cepisse. —

Articulus de „Nativitate” in MH quo tempore MNH martyrologio latino adiungebatur sine dubio legebatur. Cum haud multa habeamus, quod MN ipsum commutatum esse putemus, veri simile est hunc articulum in MNH non fuisse memoratum.

Quibus locis dies natalis Christi non VIII kal. ian. celebrabatur, VIII id. ian. celebris habebatur. Qui dies festus Ἐπιφάνεια appellatus nomine ipso in Oriente se ortum esse declarat. Ibi iam notus erat multo ante natale Dominicum VIII kal. ian. institutum: Basilidiani, qui Alexandriae vixerunt, saeculo II Epiphaniam d. XI mensis Tybi (i. e. VIII id. ian.) celebrabant.³⁾ MS festum ipsum non refert, sed Ian. 6 legitur: Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς Ἐπιφάνειας τοῦ

¹⁾ C. Erbes, Die Weihnachtsfestkreis, Zeitschr. für Kirchengesch. XXVI, p. 24 sqq.

²⁾ MN ab antiquo festo Christi nati (Ian. 6) vel ab kal. ian. initium fecisse primo articulo in mense ianuario memorato comprobatur: „Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς Ἐπιφάνειας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ ἐν . . .

Clementis Alex. Stromata, I, 21, 146.

Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ ἐν Ἑλισπόλει Λουκιανός. 1) Postquam natale Iesu VIII kal. ian. celebrari constitutum est „Epiphania” minime sublata est. Antiquitus eo die non minus quam quattuor rerum memoria celebrabatur²⁾: Christi baptizati, Christi nati, miraculi Kanae effecti, venerationis magorum. Memoria Christi nati omissa cultus magorum paulatim primo loco collocatus est. Hoc festum saeculo secundo institutum³⁾ et in Oriente cum ab Catholicis, tum ab Arianis celebratum ab Oriente in Occidentem translatum est. Quo tempore id acciderit, incertum est. Constat Iulianum Imperatorem Viennae Ian. 6 anni 360 Epiphaniam celebravisse⁴⁾. Quod ad Romam attinet, argumentum, quo Usener demonstrare conatur⁵⁾ VIII kal. ian. usque ad annum 353 Romae Epiphaniae diem festum celebratum esse, proximo anno primum diem Christi natalem, infirmum mihi videtur. Ex iis quae in oratione praeclara a Liberio habita leguntur, etiamsi colligi possit hanc orationem die Epiphaniae habitam esse, minime id argumento est fieri non posse, ut eodem anno cum dies Epiphaniae tum Natale Dominicum celebratum sit. Ab saeculo IIII exeunte in Occidente Epiphaniae memoriam celebrem habitam esse sine dubio constat; laterculum q.e. *Epiphania Domini*, cum MNH kalendario romano insereretur, in fastis Occidentis inventum esse probabile est. Neque in MNH, neque in MS inveniebatur.

Cum „Nativitatis” die nonnulli dies festi coniuncti sunt, ex quibus primum „diem Circumcisionis” dico: *kal. ian. Circumcisio Domini nostri [Iesu Christi secundum carnem]*. Quod festum recentius est. Kellner⁶⁾: „erst Anfang des 9 Jahrhunderts in Rom, wo er (der 1 Jan.) dann auch gleichzeitig die Bezeichnung *Circumcisio Domini*

1) Iniuria Erbes (Zeitschrift für Kirchengesch. XXVI, p. 30 sq): „weil die keine Konkurrenz vertragende Feier der Geburt Christi hier am 25 Dec. stattfand und dadurch der inhaltlos gewordene 6 Ian. zur Feier solchen Ersatz brauchte”.

2) Cf Usener l.l. p. 37, 38, 270. Kellner hac in re a perspicuitate longe recedit (cf. Heortologie, p. 126—128).

3) Catholici ab haeticis diem festum acceperunt. Origines eius nomen nondum commemorat. (Contra Celsum 8, 22). Ante 325 Catholici Arianique diem festum celebraverunt: postea alteram ab altera parte festum accepisse veri simile non est.

4) Ammianus Marcellinus, Res gestae ed. V. Gardthausen, Lipsiae 1874, XXI, 2, pag. 233.

5) o. l. p. 274.

6) o. l. p. 124.

zu führen anfängt" ¹⁾). Licet quaeratur unde dies festus in Occidente ortus tot annis ante iniens saeculum IX in MH memoratus sit, in MNH, in martyrologio graeco saeculi quinti, hoc festum inventum non esse mihi probatum est.

Cum „Natali Dominico” coniunctus est dies festus IIII non. febr. memoratus: *Et Hierosolymis sci Symeonis (Et Solemnitas sanctae Mariae, quando Dominum in templo praesentavit B. Rich, Purificatio beatae Mariae, quando representatus est Iesus in templo W., sanctae Mariae, matris Domini nostri Iesu Christi SLM)*. In BW praeterea non. ian. In Hierosolymis Symeonis prophetae, cum obtulit ei dominum Iesum Christum Maria et Ioseph. Non. ian. in MH memoria Symeonis monachi occurrit. Qui exemplar Y exscripsit, cum nomina duorum Symeonum componere vellet, articulum Symeonis senis ab IIII non. febr. ²⁾ (h.e. a quadragesimo die post Christum natum) ad non. ian. transtulit: IIII non. febr. dies festus ad honorem Mariae factus erat ³⁾. Quamquam „praesentationis” memoria Hierosolymis quidem iam exeunte saeculo quarto celebrabatur ⁴⁾, in Occidente saeculo sexto demum ritu acta esse videtur. Neque Chronographus anni 354, neque index anni 448 ullam mentionem eius festi facit. Sacramentarium Gelasianum ⁵⁾ saeculo VI compositum IIII non. febr. Purificationem sanctae Mariae memorat ⁶⁾: Gregorianum dies festos ecclesiasticos saeculo VII et VIII celebratos continens ad eundem diem habet haec: „Ypapante sive Purificatio s. Mariae” Adnotationem non ex libro sed ex fastis sumptam esse docet nota in Libro Pontificali commemorata ⁷⁾: „Constituit (Sergius I) autem, ut diebus adnun-

¹⁾ In calendariis Gelasiano et Gregoriano (Migne, PL LXXIII, c. 883 sqq.) dies „Octava Natalis Domini” vocatur. Fieri autem potest, ut circumcisionis quoque memoria ageretur.

²⁾ Senex enim eodem die, quo Christum puerum in manibus gestavisset, mortuus esse fertur.

³⁾ Synodi Ephesiae (431) decreta Mariae cultum valde amplificaverunt. Neque Chron. a. 354, neque index a. 448, neque Sacramentarium Leonianum ullum Mariae festum habet. Gelasianum et Gregorianum quattuor dies festos memorent.

⁴⁾ Peregrinationis Silviae vel Aetheriae, c. 26 (ed. Geyer, p. 60): „Quadragesimae de Epiphania valde cum summo honore hic (Hierosolymis) celebrantur”. Quo tempore Aetheria Hierosolymis morabatur (a. 385), hic dies festus Febr. 14 celebrari solebat.

⁵⁾ Cf. F. Probst, Die ältesten römischen Sakramentarien und Ordines erläutert, Paderborn 1892, S. Bäumer, Hist. Jahrbuch XIV, 1893, 241 sqq.

⁶⁾ Migne PL, LXXIII, c. 884.

⁷⁾ Monumenta Germ. Hist.: Gestorum Pontificum Romanorum, vol. I, Liber Pontificalis, ed. Th. Mommsen, p. 215.

tiationis domini, dormitionis et nativitatis sanctae dei genetricis semperque virginis Mariae ac sancti Symeonis quod Ypapanti Graeci appellant, letania exeat a sancto Hadriano et ad sanctam Mariam populus occurrat". Apparet ergo festum saeculo VI et VII latine „Purificationis Mariae" vel „sancti Symeonis" vocatum esse, saeculo VII nomen graecum Hypapantam inductum esse. In Oriente fideles Hierosolymitae diem festum nomine Quadragesimum a. 385 iam celebrabant. Iustinianum Imperatorem a^o 524 Constantinopoli diem festum nomine Hypapantam Febr. 2 instituisse constat¹⁾. Viri docti inter se dissentiunt quid hoc nomen significet. Viro docto Schrod²⁾ assentior haec scribenti: „Mit Rücksicht auf Simeon und Anna, welche die Repräsentanten des alten Bundes den Heiland bei seiner Darstellung im Tempel als die Heilserfüllung der Prophetien begrüßen, geben die Griechen dem Feste den Titel *εορτή της υπαπάντης του κυρίου*". Non facile igitur dictu est, utrum dies festus in Oriente an in Occidente primum celebratus sit³⁾. Quae in MH leguntur, ex fonte latino sumpta sunt⁴⁾.

Tertius dies festus cum Natali Dominico coniunctus est VIII kal. apr.: *Et est conceptio sanctae Mariae* (B) (*adnuntiatio sanctae Mariae per angelum* (W)). In E haec non invenies neque ceteras Mariae adnotationes quas hic tractamus, licet cum natali dominico non sint coniunctae: VI id. sept. *Nativitas sanctae Mariae matris domini*, XVIII kal. sept. *Assumptio Mariae*. Qui dies festi in Oriente orti ecclesiis Occidentis saeculo VII demum accepti sunt⁵⁾. Quod codices MH confirmant: exemplari Y soli adiectae sunt.

¹⁾ Theophanis Chronica, ad annum 603, ed. de Boor p. 222; Nicephorus, H E, XVII, 28; P G CXLVII, c. 291 sqq.; SC, Nov. 16.

²⁾ PL, CLI, c. 102.

³⁾ In libello „Adversus Andromachum senatorem" scripto (ed. Guenther, p. 453) Gelasianus Pontifex in Andromachum invehitur, quippe qui, ut pestilentiam averteret, Lupercalia rursus celebrari voluerit. Pontificem ipsum „Purificationem" tum primum celebravisse non legimus. Baronius, Wissossa (Röm. Staatsverwaltung III, p. 446), Gelasium festum Hypapantae quod Lupercalia coerceret, instituisse arbitrantur. Usener aliique (l.l. p. 317, Realenc. für Prot. Theol. und Kirche, B. XII, p. 316, Pauly-Wissowa i. v. Faunus col. 2069) festum ad lustrationes vel februa veterum referunt, quae initio mensis februarii ad honorem Februonis vel Plutonis celebrarentur. Quae opiniones facile redarguuntur. Sive dies festus Febr. 15, sive Febr. 2 celebrabatur, uterque dies cum die Iesu Christi natali coniunctus est. Viris doctis ergo demonstrandum erat hunc diem natalem VIII id. ian. (et VIII kal. ian.) constitutum esse ut Quadragesimus in tempus Lupercaliorum et februorum incideret.

⁴⁾ Id quod nomina, quibus festum indicatur, demonstrant.

⁵⁾ Keller o.l. p. 174.

De Iohanne Baptista legimus VIII kal. oct. [*Machironta castello* BW] *Conceptio Iohannis baptistae [et martyris BW]*; VIII kal. iul. *In Palestina Sabastia nat. Iohannis Baptistae*; IIII kal. sept. (ab VIII id. ian. seiuncta) [*In prov. Palestina civ. Sabastea BW*] *Passio (natale BW) sancti Iohannis Baptistae [qui passus est sub Herode rege BW] et aliorum nongentorum martyrum [qui eadem die passi sunt BW]*. Quae VIII kál. oct. leguntur in antiquis fastis latinis non inveniuntur: Leonianum, Gelasianum, Gregorianum „natale Baptistae” memorant. MK Iun. 24 „sancti Iohannis Baptistae” In SC quidem τὸ γενέθλιον Iun. 24, ἡ σύλληψις Sept. 23, μνήμη Iohannis Aug. 29 invenitur, sed quo ex tempore Baptistae memoria illis diebus Constantinopoli celebris habita sit, nescimus. Facile tamen demonstratur festum Baptistae iam ab saeculo quarto in Oriente magno in honore fuisse ¹⁾. Ex Sacramentario Leoniano et Augustini sermonibus ²⁾ et MK saeculi V initio in Occidente natale Baptistae celebratum esse colligendum est. Festum igitur quo tempore MNH martyrologio latino insertum est (cf. p. 70) in MH inventum fuisse veri simile est. Si quis dicat fieri posse, ut Baptistae memoria Iun. 24 cum in MNH, tum in MS occurreret ³⁾, respondeo indicia geographica in MH falsa esse ⁴⁾, adnotationem IIII kal. sept. memoratam eandem esse quae in Sacramentario Gelasiano legatur (quae est „ein gallikanischer Einschub”, H. Lietzmann, Petrus und Paulus in Rom. p. 70), capita omnia prima in laterculis „Hieronymianis” legi, dies festos Mariae medio saeculo

¹⁾ Initio saeculi IIII fortasse iam Constantinopoli ecclesia ei dedicata fuit (Les orig., pag. 272). Gregorius Illuminator († 332) Sebasteae diem sollemnem ad Iohannis et Athenogenis martyris honorem instituit (cf. Vita Gregori, ed. P. de Lagarde, Abh. der Kgl. Gesellsch. der Wiss. zu Göttingen, XXXV 1888, p. 4 sqq.). Exeunte saeculo IIII martyrium in quo reliquiae Baptistae servabantur, Hierosolymis fuit. (cf. Palladius, Historia Lausiaca XLIV, Butler II, p. 13 et 220). Anno 391 caput Iohannis Constantinopolim (Sozomenus, HE VII, 21), a. 396 corpus Alexandriam (Theophanes, Chronographia ed. C. de Boor, Leipzig 1883, I, p. 75) translatum est.

²⁾ Augustinus VII orationes de die Iohannis Baptistae natali Iun. 24 (Sermones 287–295), duas „in decollatione” (307, 308) habuit.

³⁾ Iun. 6–Iul. 6 interpres syriacus articulos omisit.

⁴⁾ Quae si ex graeco fonte sumpta essent, accuratius indicata essent. Flavius Iosephus ait Iohannem in castello Macherunte decollatum esse (Antiquit. XVII, 7). In BW iniuria Iohannes ibi conceptus esse legitur. Quod ad Sebastam pertinet, saeculo IIII Baptistae corpus hac in urbe depositum esse inter omnes constabat (Les orig., pag. 99). Iulianus Apostata sepulcrum destruxit; postea tamen celeberrimum fuit. Iohannem Sebastae natum esse non inveni-

V in Oriente „notos et gratos” (Kellner o. l., p. 176) MNH non insertos esse: adnotationes Baptistae non ex MNH in MH translatas esse¹⁾.

* * *

Articulos ad mortem Iesu Christi pertinentes breviter tractabo: VIII kal. apr. *Hierosolymis Dominus [noster Iesus Christus BW] crucifixus est.* VI kal. apr. *Hierosolymis Resurrectio domini nostri Iesu [Christi BW].* Omnibus notum est in Oriente Domini „Resurrectionem” non die certo celebratum esse, in Occidente et in Africa multos hunc diem festum VI kal. apr. statuere conatos esse²⁾: adnotationes ex fonte latino depromptae sunt. Et in fastis Polemi Silvi (448) et in fastis consularibus (494) leguntur.

VIII kal. apr., V non. mai., non. mai., XIII kal. sept., XVIII kal. oct. adnotationes de Inventione, apparitione sqq. crucis memorantur. XIII kal. sept. perperam scriptum est pro Sept. 14, quo die in Oriente „crucis inventionis” memoria agebatur. Articuli omnes in Y et S adscripti sunt³⁾: in MNH mea opinione non inveniuntur. Dies festus V non. mai. memoratus in Oriente non celebrabatur. Eo die Heraclius imperator crucem a Chosru II rege Persarum recuperatum Zachariae episcopo tradidit. Articulus post annum 628 MH adiectus est⁴⁾.

Qui vir crucem invenisse dicitur in MH bis memoratur: XVI kal. apr. [*Hierosolymis Cyriaci ep. et martyris B*]; kal. mai. *Hierosolymis nat. sancti Iudae seu Cyriaci.* In SC Oct. 28 (alii codd. Oct. 27, Apr. 14, Mart. 31) Iudae sive Cyriaci ep. memoria occurrit. Articulus XVI kal. apr. relatus postea B adiectus est. Iuda kal. mai. fortasse memoratur, quod crucis inventio tertio die huius mensis legatur. Articulus utique ex actis⁵⁾ die ad arbitrium constituto MH insertus videtur. Huic viro centurionem ad crucem collocatum, cui recentiores nomen Longinum dederunt, adiungimus. In MH id. mart., X kal. nov., X kal. dec. *Caesareae in Capp.* memoratur. Gregorius Nysaeus Mesopotamios Thomam peregrinum, Cretenses

1) VIII kal. iul. cum VIII kal. ian. coniunctus est. Articulus, si ex fonte graeco sumptus esset, Iun. 25 (à Dec. 25) insertus esset.

2) Kellner, o. l. p. 42 sq.

3) Kellner, p. 252: „das Fest des 14 Sept. aber wurde erst im 8 Jahrhundert (im Abendlande) bekannt”.

4) Quo errato V non. mai legamus: *Inventio crucis ... ab Helena regina ... anno CCXXXIII* (quae eadem inveniuntur apud Mombrinium I, p. 376) nescio.

5) AS, 1 Mai. I, p. 415: Longinum cruce inventa episcopum Hierosolymitanum creatum ab Iuliano Imperatore interfectum esse.

Titum, Hierosolymitas Iacobum, Cappadoces autem centurionem τὸν ἐπὶ τοῦ πάθους τὴν Θεότητα τοῦ Κυρίου ὁμολογήσαντα πάντων εἰς ἐπιστάσιαν ἐαυτῶν προτιμότερον δοκιμάσαι admonet¹⁾. Cappadoces eum eundem esse atque antiquissimum suum episcopum putaverunt. Recentiores longiorem vitam commenti sunt²⁾, ex qua epitome in SC Oct. 16 legitur. Scriptores Occidentis³⁾ putant Longinum militem fuisse, qui lancea latus Domini in crucis pendentis percuteret. Cetera eadem fere, quae Graeci de centurione narrant. Articulos in MH memoratus ex latino fonte fluxisse non manifestum, nam recentioribus modo codicibus verba *militis* sqq. adiecta sunt. Longinus (quem Gregorius episcopus martyrem non vocat) in MNH non memoratus est.

In recentioribus denique codd. VII id. ian. *Eductio Iesu de Aegypto*; kal. mai. *Initium praedicationis domini nostri Iesu Christi*, quorum articulorum alter in B, S, alter in BW modo invenitur; in G XVI kal. mart. *Et diabolus retro a Domino recessit*. De Ioseph cultu cf. XIII kal. apr.

Porro cum Natali Dominico nonnullorum „apostolorum” dies festi, qui in antiquis martyrologiis ad dies Dec. 25 proximos memorantur: Stephani, Petri, Pauli, Iacobi, Iohannis coniuncti sunt. Non solum MH, sed etiam MS et MK VII kal. ian. Stephanum primum pro Christo martyrem factum esse referunt. MH: [*In oppido BWL*] *Hierosolymitano [villa Cafargamala passio BWL] sancti Stephani diaconi, primi martyris [et apostoli B] [qui lapidatus est a Iudaeis BWL]* Rogatur, sitne Stephanus VII kal. ian. lapidibus obrutus. Saepius enim dies in martyrologiis (licet scriptor MS nomina nostrorum dominorum martyrum victorumque et dies eorum quibus coronas tulerint se nominaturum esse affirmet), minime martyr alicuius „diem natalem” i. e. diem, quo martyr e vita excessit, sed diem quo aliqua in urbe vel regione celebrabatur, indicat. Stephanus, in Indice syriaco ab Abul Baharat composito⁴⁾ Sept. 12 anni 36 occisus esse narratur. In SC eius memoria Dec. 27 occurrit. Sunt, qui III non. aug. (quo die MH et SC reliquiarum „inventionem” habent) antiquum diem festum ad honorem Stephani celebratum fuisse putent⁵⁾. Erbes diem ex iis quae in Libris sacris memorantur

1) Epist. XVII, PG XLVI, c. 1061.

2) BHG 988–990.

3) Acta (AS 15 Mart. II, p. 384), MEM (Ado ad arbitrium festum kal. sept. posuit).

4) Baumstark, Oriens Christianus I, p. 266.

5) C. Erbes, Die Weihnachtsfestkreis, Zeitschr. f. Kirch. XXVI, p. 42 sqq. Idem putat Antonius Geronius (adnot. ad III non. aug. in Martyrologio Baroni.

computans, III non. aug. egregie cum iis, quae gesta sunt ab Ascensione Iesu Christi usque ad diaconi mortem consentire affirmat. Qua in re alii viri docti aliter iudicant. Baronius enim omnia quae gesta sint eo tempore quod inter Iesu Ascensionem et Stephani mortem (si III non. aug. fuerit) intercesserit „nullo modo impleri potuisse” contendit¹⁾. VII kal. ian. qui dies Natale Dominicum sequitur „diem natalem” primi martyris fuisse non puto: quo die Stephanus necatus sit, nescimus. Quo autem die eius memoria apud fideles antiquos celebrata sit, explorandum est. Perpauca sunt veterum indicia. In epistula a^o. 177 a Lugdunensibus scripta Stephanus *τέλειος μάγιστρος* dicitur²⁾. Nullis rebus apparet, id quod Erbes probare conatur, diem „natalem Stephani” hoc tempore sollemnem celebratum esse. Erbes ex Constitutionibus apostolicis verba q. s. *ὁ ἅγιος ἡμῶν συνδιάκονος Στέφανος* affert (V, 8); „diese Prädicate, inquit, machen doch warscheinlich, dass der Protomartyr schon damals gefeiert wurde.” Esto; constitutiones apost. vero non ante exiens quartum saeculum collectae sunt³⁾. Kellner audacius, quippe qui argumentis non affert: „Die Verehrung des Stephanus ist viel älter, man kann wohl sagen so alt wie die Kirche selbst, indem ihn bereits der hl. Paulus Martyrer Christi betitelt”⁴⁾. Stephanum ante medium IIII saeculum cultum esse certis argumentis non est confirmatum. In MN eius memoria Dec. 26 legitur, Gregorius Nysaeus aliique⁵⁾ anno fere 380 Dec. 26 orationes ad Stephani honorem habuerunt. In Occidente Chronographus a. 354 Stephanum non refert; in fastis Polemi Silvi et in MK VII kal. ian. memoratur. „Natalem, inquit Augustinus, Domini hesterna die celebravimus, servi (Stephani) hodie natalem celebramus. Sed N.D. celebravimus quo nasci dignatus est, Natalem servi celebramus quo coronatus est”⁶⁾. In MH VII kal. ian.

1) Martyrologium, p. 537.

2) Eusebius, HE V, 2, 5, Schwartz, p. 430.

3) H. Jordan, Gesch. der altchr. Litt., Leipzig 1911, p. 352; Stählin in von Christs Gesch. der Griech. Litt., München 1913⁵, II, p. 989.

4) Heortologie, p. 170.

5) Asterius et aliquanto post Proclus ep. Constant. (BHG 1654—1662).

6) Sermo 340: „In natali Stephani martyris” Migne PL, XXXVIII, c. 1425 sqq. Videtur in Africa atque Hippone diebus Paschae Stephani memoria celebrata esse. Sermo 322 (Migne PL, XXXIX, c. 1444 sq.) de Stephano martyre, feria tertia Paschae habitus est. Accipias quoque quae Augustinus dicit (De civitate Dei XXII, 8, Migne PL XLI, c. 770): „Venerunt autem (Paulus et Palladia) ante Pascham ferme dies XV (Hipponem); ecclesiam cotidie et in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant, orantes” sqq. In MK ab die XIII kal. mart. usque ad XIII kal. mai. nullus martyrum dies memo-

„Passio” memoratur, III non. aug. (BW) *In Antiochia natale reliquiarum protomartyris Stephani apostoli et diaconi, qui Hierosolymis est lapidatus et ex revelatione Luciani ep. corpusculum eius Hierosulimis est translatum*; III non. aug. E *In Antiochia Stephani et omnes codices: In Hierosolymis Inventio corporis beatissimi Stephani [primi martyris BW] [diaconi apostolorum] et sc. Gamalielis, Nicodemi, Abibon.* Omnibus notum est Lucianum presbyterum Hierosolymitam, postquam senex Gamaliel ei visus esset, III non. dec. 415 eorum reliquias invenisse. Una cum episcopo Iohanne corpora effodit, quae magna cum pompa VII kal. ian. Hierosolyma transportata sunt¹⁾. Delahaye tum primum Stephanum Hierosolymis celebrari coeptum esse putat²⁾. Argumenta vero non affert: afferre difficile est.

Articulus in MS memoratus ex fastis Hierosolymitanis non sumptus videtur. Festum Stephani enim VIII kal. ian. celebratum esse ante Natale Dominicum VIII kal. ian. institutum (cf. p. 52) probabile non est. Anno 451 Hierosolymis „Natale Dominicum” VIII kal. ian. celebratum est. Fieri vero potest ut Lucianus hoc ipso die reliquias protomartyris Hierosolyma apportaverit, quod illo die Stephanus multis in Orientis urbibus, fortasse iam Hierosolymis coleretur. III non. aug. in recentioribus modo fastis Stephani memoriam invenimus (MH, SC, MRS). Florentinus ab Ecclesia dies festos (sc III non. aug. et VII kal. ian) permutatos esse putat „ut sollempnius passio cum Natali Domini celebraretur”³⁾. Cur recentiores III non. aug. Stephanum memorent mihi non liquet; III non. aug. errato pro III non. dec. (quo die Gamaliel Luciano primum visus est) scriptum esse⁴⁾, veri simile mihi non videtur. Hunc diem cum die natali Stephani Pontificis, quem „depositio episcoporum” a Philocalo composita, Sacramentarium Gregorianum, MK, SC III non. aug. (Sacramentarium Leonianum perperam III non. aug.) memorant, coniunctum esse, probabilius puto. Aug. 2 vel 3 in MH et SC Stephani Constantinopolim in urbem „translatio” memoratur,⁵⁾ quia hoc ipso vel proximo die dies festus Stephani episcopi celebrabatur. Antiochiae huius translationis memoriam celebratam esse non puto. Urbis nomen

ratur: „in der Osterzeit, der Zeit der Quadragesima, sollten keine Märtyrerfeste stattfinden” (Die Mart., p. 22). (?)

¹⁾ Omnes libelli ad „Inventionem” pertinentes: Migne PL, XLI c. 805 sqq.

²⁾ Les orig. p. 215.

³⁾ Martyrologium, p. 722.

⁴⁾ Die Mart. p. 166; Lietzman p. 97.

⁵⁾ „Metrophanis temporibus”, SC. MH [*Antiochiae Stephani E*] *Constantinopoli dep. Metrophanis ep.* cf. VII, VI, V kal. sept., III non. aug.

a kal. aug. repetitum perperam huic articulo adiunctum videtur: multos in locos Stephani reliquiae transportatae esse dicuntur; multis locis „martyr” celebrabatur; de cultu Antiocheno sermo non est.

In Occidente aliquis singulis quibus memoratur diebus nonnulla de inventione reliquiarum adiecit: VII kal. ian. *in villa Caphargamala*; III non. aug. *ex revelatione Luciani* sqq.; III non. aug. *et Gamalielis* sqq. Veri simile est eum articulum de *inventione* III non. aug. memoratum MH adscripsisse. Quo ex fonte confusus de reliquiarum translatione laterculus fluxerit non liquet¹⁾. Denique legitur in MH kal. ian. *In Oriente Stephani* et III non. ian. *In Hierosolymis Stephani*, qui articuli ab Notkero et Usuardo in martyrologiis suis adscribentibus: „Octava sancti Stephani” explanantur: in Occidente adscripti sunt²⁾

Si revera MN parte saeculi III priore compositum est (cf. p. 4) veri simile non est dies festos „apostolorum”, qui in initio MS leguntur in MN iam memoratos fuisse. Invenierintne eos interpres Romanus in MNH diiudicare non possum.

Dec. 27 MS *Ἰωάννης καὶ Ἰάκωβος οἱ ἀπόστολοι ἐν Ἱεροσολύμοις*. Primo aspectu filii Zebedaei indicati esse videntur nec dubito quin ii in MS (et MN?) memorentur. MH VI kal. ian. *Assumptio sancti Iohannis evangelistae apud Ephesum et ordinatio episcopatus sancti Iacobi fratris Domini, qui ab apostolis primus ex Iudaeis Hierosolymis est episcopus ordinatus et in medio Paschae martyrio coronatus* [*Hierosolymis cuius passio VIII kal. apr.*] Fasti consulares (494) ad annum

¹⁾ Ex fastis Constantinopolitanis non fluxit. Reliquae Stephani paulo post 439 Constantinopolim transportatae sunt. (Les orig. p. 98). Quo tempore complures „martyres” virique sancti Constantinopoli celebrabantur, qui in MH non leguntur.

²⁾ De octavis Ideler, Handbuch der Chronologie I, Berlin 1825, p. 515 sqq. et S. Baumer, Gesch. des Breviers, Freiburg 1895, p. 325 sqq. Minus recte Kellner (Heortologie p. 10): „Demnächst erhielten auch (praeter Pascham et Templi Dedicationem) Pfingsten und Weinachten eine Octav und dabei hatte es lange Zeit sein Bewenden. Erst der Einfluss den der Franziskanerorden auf die liturgischen Einrichtungen gewann, bewirkte eine Vermehrung der Octaven”. In MH (saeculo VI et VII) iam memorantur octavae Stephani, Thomae (V kal. ian.); in B. Philippi et Iacobi (VIII id. mai), Iohannis Baptistae (kal. iul.), Benedicti (X kal. aug.), in R³, L, M, V, C Petri et Pauli (II non. iul.).

³⁾ Anno fere 380 Greg. Nysaeus (de Basilio magno, Migne, PG XLVI, c. 789) confirmat post diem Christi natalem (VIII kal. ian) Stephanum, Petrum, Iacobum, Iohannem, Paulum celebratos esse. Non puto hunc ordinem tantum valere adversus ordinem quo „apostoli” in MS leguntur (Stephanus, Iohannes, Iacobus, Paulus, Simon Kephass) quantum Erbes censet.

62: „Iacobus apostolus¹⁾ in Hierosolymis de pinna templi deiectus est a Iudaeis V kal. ian”. Leonianum, Gelasianum, Gregorianum VI kal. ian. Iohannem Evangelistam solum memorant. MK Dec. 24: „sancti Iohannis Baptistae et Iacobi apostoli, quem Herodes occidit”. Romae igitur et in Occidente Iohannis evangelistae memoria antiquitas VI kal. ian. celebrabatur. Quod ad Hierosolyma attinet, scriptores veteres sunt, qui Iohannem apostolum cum fratre Iacobo a Iudaeis occisum esse referant. Id quod Erbes argumentum esse putat, Iohannem re vera Hierosolymis mortem obiisse²⁾. Utcunque res se habet, neque Iohannis et Iacobi neque Stephani articulus ex fastis Hierosolymitanis sumptus est³⁾. Qui MNH in latinum vertit in MH articulum de Iacobo Domini fratre iam invenit⁴⁾. Praeterea in MH kal. mai. [*In Frigia Hierapoli prov. Asia B*] [*In Africa W*] *nat. sancti apost. Philippi et Iacobi . . . et nat. Matthaei et Iacobi apostolorum*. Romae basilica Iulia in ecclesiam Philippi et Iacobi apostolorum commutata est⁵⁾. Quae sine dubio causa est, cur hi apostoli in MH coniuncti commemorentur. Cuius rei ignarus librarius, qui B exscripsit, qua in urbe Philippus obiisse diceretur addidit. Cur Matthaeus et Iacobus „qui Alphaei filius fuisse videtur” una legantur, Duchesne exponit Prolegg. [LXXVIII]. De Philippo p. 65.

Dec. 28 MS: *Ἐν Ῥώμῃ τῇ πόλει Παῦλος ἀπόστολος καὶ Συμεὼν Κηφᾶς ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων τοῦ Κυρίου ἡμῶν*. Depositio martyrum a¹: 354 et MH apostolos III kal. iul. habent. Is qui MNH kalendario romano inseruit, si articulum in MNH invenit, quod

1) Apostolus dicitur Iustus quia secundo iam saeculo scriptores eundem eum esse quem Iacobum Alphaei filium putaverunt (cf Lipsius I, p. 19).

2) Petrus in Ieruzalem gestorben. Zeitschr. für Kirchengesch. XXII, 1901, p. 161.

3) Iohannes praeterea in Epheso VIII kal. iun. et VIII kal. iul., Iacobus Iustus VIII kal. apr., Iacobus Zebedaei filius VIII kal. aug. Quos dies eodem dierum numero ante kalendas indicatos esse non fortuitus puto: in antiquioribus fastis latinis Iohannes Baptista VIII kal. iul. memoratur! Duchesne dicenti VIII kal. iun. et VIII kal. iul. errato scriptum esse pro VIII kal. mai., quo die Iohannis memoria in SC occurrit, non assentior. Non habemus, quod eum diem festum Constantinopolitanum antiquitus Ephesium fuisse arbitremur. In SC eius memoria praeterea Ian. 20, 30, Iul. 10, Aug. 28, Sept. 26, Nov. 8 occurrit. R³ VI kal. mart. *Nat. Iohannis evang.* C II id. mai. *Natalis s. Iohannis apostoli* sqq. Fratri domini et Lucae evang. memoria id. mart. occurrit. Rich. VI kal. ian. *In basilica montis Oliveti nat. s. Iohannis evangelistae*. In quo articulo vestigia articuli in MS memorati apparere videntur!

4) Quae in MH de Iacobo Iusto memorantur, apud Eusebium legimus (HE II, 1, 3 et II, 23 12–19, Schwartz pp. 104, 168, 170). Memoria „ordinationis” festum Romanum est (Lietzmann, o. l. p. 12).

5) H. Duchesne, Liber Pontificalis, Paris 1886, I, p. 303.

dubium est, eum fastis latinis accommodavit. Non multo postquam dies natalis Iesu Christi VIII kal. ian. constitutus est, fideles proximis diebus „martyres”, quosdam Domino pernecessarios coli voluerunt. Qui hisce diebus in MS memorentur, iam diximus. In martyrum depositione a¹: 354 Natale Dominicum nullus dies festus sequitur. Polemius Silvius adnotat VII kal. ian. Stephanum, Sacramentaria Leonianum, Gelasianum, Gregorianum VII kal. ian. Stephanum, VI kal. ian. Iohannem evang., V kal. ian. Innocentes. In MH legimus VII kal. ian. *Stephani* VI kal. ian. *Iohannis et Iacobi Iusti*, V kal. iun. *Infantium*, in MK VII kal. ian. „Stephani”, VI kal. Iohannis Baptistae ¹) et Iacobi Iusti, V kal. „Infantum”, in SC. Dec. 26 Ioseph et Iacobi fratris Domini, Dec. 27 Stephani, Dec. 29 Infantium memoriam. Dies festus „Infantium” vel „puerorum innocentium” non ante saeculum medium quintum celebratus esse videtur ²), in Occidente et in Africa V kal. ian. in Oriente fortasse quo die eorum memoria in SC occurrit: Dec. 29. Cum in SC Dec. 28 Petri et Pauli memoria non occurrat neque eo die eorum de quibus agitur quisquam commemoretur, putandum est, quo tempore dies festus „Infantium” institutus est Constantinopoli (et in Oriente) Petrum et Paulum Dec. 28 celebratos esse. In MS Infantes fortasse memorantur: Sept. 23 *Ἐν Ἀγκύρῃ παῖδες οἱ ἀπὸ τῆς κοιλίας τῶν μητέρων μάρτυρες ἐγένοντο*. Qui dies festus hac tantum in urbe celebratus esse videtur. Praetera his verbis „Infantes innocentes” significari non constat. Erbes Christianos Ancyrae, qua in urbe Augustus Imperator tanto in honore esset ut eius diem natalem anni initium haberent, eo ipso die Infantes celebratos esse, quippe qui primi pro Christo occisi essent putat. MH adnotationem Sept. 23 in MS relatam non habet; attamen fieri potest ut interpres Romanus eam in MNH invenerit. Festus dies nobilior fuit, quam ut iterum martyrologio adscriberet. Annotandum est quo die Infantes in MH memorantur eorum articulum subsequi: *in Ancyra . . . !*

De Thoma legimus in MH V kal. ian. *Et in Edessa translatio corporis sancti Thomae apostoli*; XII kal. ian. *In Mesopotamia in civitate Edessa nat. et translatio corporis s. Thomae apostoli, qui translatus est ab India, cuius passio ibidem celebratur V non. iul. (W); Passio Thomae apostoli in India . . . in Mesopotamia (E); V non. iul. In*

1) Perperam scriptum videtur: Iohannis Baptistae memoria in MK VIII kal. iul. legitur. Alia Lietzmann o. l. p. 101.

2) Basilius Seleucianus primus, quod sciam, in Oriente orationem ad eorum laudem habuit (anno fere 450). Eodem tempore vel paulo ante Petrus Chrysologus Ravennae diem festum Innocentium oratione celebravit. Sermones 152, 153, ed. Pauli, p. 215 sqq.

Edessa [in Mesopotamia BW]; Translatio Thomae apost. [qui passus est in India BW]; III non. iun. nat. s. Thomae apostoli; V id. febr. et depositio Thomae. Omnia acta Thomae, quae permulta sunt¹⁾, Lipsius commenticia putat²⁾. Multa quidem in his fabulosa sunt, nonnulla tamen vera comperta³⁾. Fieri certe potest ut apostolus in India vel apud Parthos fuerit, ibique mortem obierit. Apostoli corpus Severo Alexandro regnante Edessam translatum esse traditur⁴⁾. Constat a^o 385 Edessae ecclesiam celebrem Thomae fuisse de qua ecclesia 363 iam mentio fit⁵⁾. Mirum est eius memoriam in MS non legi: admoneo autem dies festos Iul. 3 et Dec. 21 incidere in tempora quibus in MS martyres non adnotantur (Iun. 6—Iul. 6 et Nov. 25—Dec. 25). Neque tamen arbitror articulum (os) ex MNH martyrologio latino insertum (os) esse. Festum quod XII kal. ian. memoratur (cuius octavam MH V kal. ian. habet) in Occidente modo celebrabatur: in Sacramentario Gelasiano iam legitur. Articulus V non. iul. (Iul. 3) III non. iun. (Iun. 3) iteratur: quo demonstratur articulus ex graeco fonte fluxisse; sed qui fons fuerit, non liquet. Annotandum est ex diebus in MH memoratis nullus in Chronico Edesseno legi!⁶⁾

Andreae tres articulos in MH invenimus: non. febr. *In [Oriente BW]. Patris civ. ordinatio ep. sancti Andreae; II kal. dec. In prov. Achaia civ. Patris nat. s. Andreae ap. III id. febr. In civ. Bethlehem Iudae [sub Herode rege BW] Passio sanctorum Andreae [Apori BW].* Scriptores antiqui plerique apostoli corpus Patris servari putaverunt: inde anno 357 eius reliquiae Constantinopolim translatae esse dicuntur. Chrysostomus tamen scribit „Petri quidem et Pauli et Iohannis et Thomae manifesta sepulcra esse; aliorum autem minime cognitum esse ubi sint”. Lipsius „fabulam Achaicam” nihil aliud esse arbitratrur nisi „eine einfache Verwechslung zwischen dem taurischen Stamme der Achaeer an der Ostküste des Pontos Euxinus und den Achaeern im Norden des Peloponnesus”: Andream igitur Patris nunquam

1) BHG 1800—1844; BHL 8136—8149.

2) Lipsius I, p. 10.

3) L. Gutschmid, Kleine Schriften II, Die Königsnamen in den Apokryphen Apostelgeschichten, p. 161 sqq. Dahlmann, Die Thomaslegende, Freiburg 1912.

4) Thomae Passio, Lipsius I, 144 sq.

5) P. Geyer, Itinera Hierosol., Vind. 1898, p. 61. Socrates HE III, 18, Sozomenus, HE VI, 18. Fundamentum huius „Thomae magnae basilicae” iam 313 iacta sunt: L. Hallier, Untersuchungen über die Edessinische Chronik, T. u. U. IX, Leipzig 1892, pp. 93 et 103.

6) In Chronico Edesseno legitur *γλωσσόκομον* apostoli Thomae a. d. XI kal. sept. a. 394 magnam in basilicam ex eius nomine appellatam translatum esse; qui dies neque in calendariis graecis, neque in latinis redit.

fuisse. Quod ad dies in MH relatos attinet, II kal. dec. in Sacramentariis Leoniano, Gelasiano, Gregoriano, in MK, in SC invenitur. Quaeritur qua in urbe dies festus Andreae II kal. dec. institutus sit: Constantinopoline? an Romae? Mihi non liquet. Adnotatio non. febr. memorata certe non ex MNH deprompta est; quae III id. febr. legitur inexplicabilis est: nulla vita, nullum martyrologium Andream cum Bethlehem coniungit. Articulus in Occidente MH insertus est. (Cf. de verbo q. e. passio p. 19).

Philippus kal. mai. et X kal. mai in MH memoratur. X kal. mai. *In Phrygia civ. Hierapoli (In Africa BW) Philippi apostoli*. De articulo kal. mai relato cf. kal. mai. Duchesne „festum X kal. mai. aliquo errore praeventum esse” arbitratur¹⁾. Rogamus, cur neque Iacobi memoria iterata sit?

Matthaei memoria quinquies in MH occurrit: kal. mai., XII kal. iun., non. oct., II non. mai. *In Persida sc Mathei apostoli [et evangelistae B] et primi [initiorum martyrum B]*; XI kal. oct. *Et in Persida [civ. Tarrum BW]*²⁾ *Mathei [et evangelistae BW]*. Ex actis³⁾, graeca pleraque et coptica Matthaeum in Chersonneso Taurico martyrium passum esse referunt; in aliis legimus apostolum Hierapoli „in Syria” lapidibus obrutum vel „in pace” mortuum esse; alia denique sunt in primis latina, in quibus apud Parthos Persasque evangelium praedicavisse dicatur. Dies II non. mai., XI kal. oct., XII kal. iun. (Mai 21 errato scriptum est pro Sept. 21) in illis actis leguntur. Quaeritur quo ex fonte articuli iis diebus memorati fluxerint. „Iacobus Alphaei”, inquit Duchesne⁴⁾, Matthaeus, Bartholomaeus, Simon et Iudas. omnes in Perside culti dicuntur. Quos indicit dies unde expiscatus sit equidem non video, neque multum reluctabor, si quis mihi suaserit in ea re Pseudo-Hieronymum solo ingenio usum esse. Sed ubi terrarum observari diceret illos dies? Non sane in imperio Romano, ubi ea aetate illorum apostolorum memoria nulla erat, cultus nullus. Ad Persas confugit homo sagax”. — Cui non in omnibus assentior. In actis ipsis cum Matthaeus, tum Bartholomaeus, Simon, Iudas apud Persas vel Parthos mortui esse dicuntur. De diebus in singulis tractandis dicam.

Multis in actis Andreae Bartholomaeus ad „oram Ponti Euxini”

1) Prolegg, p. [LXXVIII].

2) Tarsium promunturium est Karamania, in quo urbs cui nomen Tarsyana est sita.

3) BHG 227–232; BHL 1001–1014.

4) Prolegg, p. [LXXVIII].

vel in Aegyptum Libyamque profectus esse narratur. Cuius rei neque in MH neque in SC vestigia supersunt. MH: id. iun. *In Persida nat. Bartholomei apostoli*; VIII kal. sept. *In India nat. sancti Bartholomei*. Apostolum in India versatum esse Eusebio iam notum erat¹⁾; in actis recentioribus idem legitur. In actis graecis corpus fertur mirum in modum a. 580 in insulam Liparam translatum esse²⁾ Quae neque in actis latinis neque in MH leguntur. Bartholomaeum in Perside fuisse in vita recentiore quae Parthica dicitur (Lipsius) legimus.

Iacobus Alphaei filius X kal. iul. *in Persida* memoratur. Qui articulum adscripsit re vera „solo ingenio usus esse”³⁾ videtur. Cum Iacobus Alphaei antiquitus idem qui Iacobus Iustus haberetur⁴⁾, scriptores veteres non referunt qua in regione evangelium praedicaverit. Graeci recentiores hos Iacobus discernunt⁵⁾: Alphaei filium Matthaei fratrem fuisse putant. In SC eius memoria Oct. 9 occurrit.

Simon Cananaeus et Iudas Zelotes non solum kal. iul. sed etiam III kal. iul. et V kal. nov. *in Suanis civ. Persarum* in MH leguntur. In actis graecis et in SC apostolorum vitae non in unum colliguntur; in actis latinis⁶⁾ legimus eos, cum in Persidem profecti Suanir in urbem pervenissent, a sacerdotibus et populo „pagano” interfectos esse (kal. iul. aut V kal. nov.⁷⁾.

De Matthia apostolo in codd. recentioribus solis mentio fit (Rich, C, S, VI kal. mart.)

Marcus et Lucas ab antiquis vulgo inter apostolos numerantur. Memoriae proditum est Marcum episcopum primum Alexandrinum fuisse⁸⁾: XV kal. iun. legimus in B inter Alexandrinos martyres: *Marci evangelistae* et VIII kal. oct. in omnibus codd. *In Alexandria Marci evang.*⁹⁾ (VII kal. mai. in Rich). Lucae evangelistae festum

1) HE V, 10, 3, Schwartz p. 450.

2) Lipsius: „Als Tag der Landung auf Lipari wird der 13 Juni gefeiert” (II, 2, p. 107). Quaeritur quo et quando?

3) Philippus et Iacobus kal. mai.	Philippus	X kal. mai.
Simon et Iudas kal. iul.	Iacobus Alphaei	X kal. iul.!

4) Lipsius II, 2, p. 235 sqq.

5) Greg. Nysaei Orat II, „in Christi resurrectione”; Apost. Constit. VI, 14.

6) Apud „Abdiam” in libro qui inscribitur „Historia certaminis apostolici” paulo ante 580 composito, ed. Fabricius II, 608, Hamburg 1703.

7) Quaeritur utrum acta ex MH am MH ex actis pendeat.

8) Eusebius HE III, 16, 1 et II, 24, Schwartz pp. 140 et 174.

9) V non. oct. librarius martyrem Romanum cui nomen Marcus Marcum evangelistam esse putavit et *in Aegypto* addidit. Iniura quoque non. oct. in Rich nomini *Marci* (quod nomen est depravatum *Bacchi*) *evangelistae* additum est.

Constantinopoli Oct. 18 celebrabatur in basilica apostolorum in qua eius reliquiae Thebis ex urbe in Boeotia sita translatae erant depositae. MH eum XV kal. nov. in Oriente, XVI kal. nov. (B) in *Bethania* (= Boeotia), XI kal. oct. *Pirali*¹⁾ (*Piralicæ W.*) memorat.²⁾

Vidimus ex apostolorum articulis nonnullos quo tempore MNH martyrologio latino adiectum sit, in hoc martyrologio repertos vel postea ex fonte latino MH insertos esse: Iohannis et Iacobi (VI kal. ian.), Philippi et Iacobi (kal. mai.), Iohannis (VIII kal. iul.), Petri et Pauli (III kal. iul.), Iacobi Iohannis fratris (VIII kal. aug.). In fine epistulae MH praepositae legimus „Sane in prima parte libelli omnium apostolorum festa conscripsimus” . . . Satis constat eum qui martyres Orientis h.e. MNH cum martyrologio latino coniunxit hanc epistulam libro suo praeposuisse (cf. p. 71). Ex decem „apostolorum festis” quae „in prima parte libelli” inveniuntur, quinque cum iis quae iam in calendario Romano legebantur, congruunt. Ex MNH igitur non sumpta sunt. Ex V ceteris Andreae et Bartholomaei apostolorum (et Lucae) dies festi antiquitus in Oriente et Occidente isdem diebus celebrati esse videntur. Interpres Romanus cum eos tum Thomam, Matthaem, Iacobum Alphaei filium, Simonem, Iudam (et Marcum) quorum „dies” cum „graecis” non congruunt, non attribuit urbibus vel regionibus in quibus celebrabantur³⁾, sed in quibus mortem obierant. Quorum articulos non ex fastis sed ex actis apostolorum sumpsit. Quibus in actis non omnium apostolorum dies quibus vitam reliquerant notati erant (e. g. Iacobi, Simonis, Iudae). Supra iam diximus articulos Iacobi, Simonis, Iudae ex fonte latino MH adiunctos esse; quo loco Andreae cett. adnotationes in singulis laterculis Hieronymianis memorantur si adspicimus, animadvertimus omnes fere aut in martyrologio latino in initio laterculorum inventas fuisse aut martyrologio Nicomedensi inserto MH adiectas esse.

Ex ceteris viris sanctis in Libris sacris et in MH commemoratis, nonnulli quidem in martyrum numero haberi possunt, cur tamen reliqui legantur non liquet. XIII kal. febr. In *Hierosolymis Marthae et Mariae sororum Lazari*. Graeci recentiores Lazari cum sororibus memoriam Febr. 9 agunt. Oct. 17 in SC memoria *Ἀνακομιδῆς τοῦ*

¹⁾ Urbs Piralis vel Piralica mihi ignota est. Gaudentius Brescianus autem Lucam Patris de vita decessisse narrat.

²⁾ Id. mart. Lucae memoria fortasse adscripta est, quia initio laterculi Lucius episcopus Nicomedensis memoratur.

³⁾ Exceptis Thoma et Marco.

⁴⁾ De articulis id. iun. et VIII kal. oct. memoratis in dubio sum.

λειψάνου τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Λαζάρου, Mart. 17 Lazari resurrectionis occurrit. Neque in Occidentis neque in Orientis ecclesiis antiquis temporibus Iesu amicorum dies festus celebratus est: neque in fastis vetustioribus, neque in MEM ante Adonem eorum festum invenitur. Ado XV kal. nov. Martham, XVI kal. ian., Lazarum adnotat. Quentin (p. 588): „la source . . . n'est autre que le Nouveau Testament . . .”. Quod plane verum non est. Dies alter enim idem, qui in SC legitur. Qui dies in MH memoratur, nusquam inveni. Librarius aliquis articulo Mariae, Marthae, Audifacis, Ambacuc, qui proximo die legitur ductus XIII kal. febr. sorores praeclaras adscripsit.

V kal. oct. *In Epheso Timothei discipuli* [ad quem Paulus apostolus scripsit BW]. Exeunte saeculo quarto acta Timothei, quae inscribuntur. *Μηνὶ Ἰανουαρίῳ κβ̄ μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Τιμοθέου κ. τ. λ.* iam composita sunt ¹⁾. Putandum igitur est, eo tempore Ephesi diem natalem Timothei Ian. 22 celebratum esse. In MS neque Timotheus neque ullus martyr Ephesius invenitur. Cum fasti graeci recentiores tum Beda aliaque MEM VIII vel XI kal. febr. Timothei memoriam habent. Beda igitur fonte graeco usus est, qui fons ei, qui articulus MH inseruit, non fuit. Usener articulum V kal. oct. ab eo insertum esse putat, quod In Oriente Iohannes Sept. 26 celebraretur et Timotheus Iohanni episcopo Ephesio successerit ²⁾. Qua in re Usenero non assentior. Antiquissimus dies Iohannis festus Dec. 27 fuit. Graeci postea eius memoriam Mai 8 celebrabant ³⁾. In SC Sept. 26 *μνήμη τῆς μεταστασέως* memoratur! ⁴⁾.

Ex Testamento vetere invenimus: XVIII kal. febr. [et alibi BW] *depositio sci. Ambacuc prophetae*. Memoria huius prophetae omnibus noti, quippe cuius multae vitae exsisterent ⁵⁾, eo die adscripta est quia proximo die inter martyres Romanos alter Ambacuc memoratur. VIII kal. mai, articulus de tribus iuvenibus „de camino ignis ardentis liberatis” ex fonte graeco sumptus non videtur: in SC Dec. 17 una cum iis Daniel memoratur. Quo die memorantur fortasse cum VIII kal. apr. (quo die Iesus Christus crucifixus legitur) coniungitur. VIII kal. apr. Immolatio Isaac memoratur! (in codd.

¹⁾ Lipsius, II, 2, p. 385.

²⁾ Acta s. Timothei, Programma Univ. Bonn., 1877, p. 37.

³⁾ Engcomium Sophronii, Nicephorus, SC.

⁴⁾ De articulo VIII id. mai. memorato cf. quae ad hunc diem diximus; XI kal. sept. aliquis martyri Romano nomine Timotheo iniuria *discipuli Pauli* addidit.

⁵⁾ E. Nestle, Die den Epiphanius zugeschriebenen Vitae prophetarum. F. Delitzsch, De Habacuci prophetae vita atque aetate, Lipsiae 1842.

B et G). In fine laterculi VI id. mai. memorati legimus: *alibi depositio [sive natale BW] Iob prophetae*. Qui articulus sine dubio in Occidente MH insertus est. In codd. recentioribus: IIII kal. mai. *Egressio Noe de Arca* (in Libris sacris Noe die XXVII mensis secundi arca egressus esse dicitur!); IIII kal. sept. *Pausatio sancti Helisaei prophetae discipuli sancti Heliae prophetae*, kal. iul. *Depositio Aaronis primi sacerdotis in monte Or.*²⁾

¹⁾ Arcadio regnante corpora sanctorum Ambacuc et Michae prophetarum revelatione divina reperta sunt: Bedae Chronica ad annum 463/464, ed. Mommsen p. 300. Nicephorus (PG CXLVI, c. 916) narrat temporibus Theodosii Imperatoris a Zebeno reliquias Ambacuci Celae in urbe Iudae repertas esse.

²⁾ Adnoto perpaucos articulos de his viris sanctis ex MNH martyrologio latino adiectos esse; neque ex fastis Hierosolymitanis Aegyptiisque (p. 4) articulos in MNH memoratos fuisse.

Ex actis (quo verbo non modo acta, sed etiam omnes libri qui non in fastorum kalendiorumque numero habendi sunt significantur) — plus quam 150 articuli de „martyribus” Orientis in MH leguntur, quos omnes hic enumerare necesse non est. (Doceo Gallum consulem VIII kal. mart. memoratum fortasse Gallum Imperatorem esse; cf. VIII kal. febr.) Apparet praeter horum martyrum articulos in MH saepius adnotationes de martyribus, quorum memoria ex fastis sumpta iam in MH legebatur, adscriptas esse. Martyrum ex MNH sumptorum scriptores actis usi sunt horum: Anastasiae, Iohannis et Iacobi, Luciani, Glycerii, Babylae, Polycarpi, Hippolyti, Theclae, Synerotis Sirmiensis, Victorini (Mart. 6), Perpetuae (7), Cyrilli (10), Gorgoni (11), Mardoni (12), Sarapionis (21), Chioniae (April. 2), Claudiani (5), Carpi (13), Leonidae (16), Prosdocii (20), Acacii (Mai. 10), Maximi (11), Aphrodisiae (14), Sarapionis (19), Marciani (Iun. 5), Symeonis (Iul. 27), Mamantis (Aug. 17), Theodotae (Sept. 2), Euphemiae (17), Marci (24), Hermae (Oct. 22), Marciani (26), Eusebii (Nov. 8), Romani (18), Diodori Apr. 30, cett.

CAPUT IV.

QUO TEMPORE ET QUO LOCO MNH MARTYROLOGIO LATINO INSERTUM SIT.

Anno 544 Cassiodorus in libro cui titulus „de Institutione divinarum litterarum” (c. 32) monachos suos hortatur ut vitas patrum legant aliaque „ad aedificationem” pertinentia. „Passiones” inquit, „martyrum legite constanter, quas inter alia in epistola¹⁾ S. Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum destinata procul dubio reperietis” . . . „Epistula” inquit Duchesne²⁾, „S. Hieronymi de qua hic agitur, non potest diversa esse ab ea quae martyrologio nostro praefigitur, sed in ea passiones martyrum neque adsunt, neque nuntiantur in martyrologio reperienda. Quae cum ita sint, suspicio confusionis oritur. In aliquo suo codice Cassiodorus habuit passiones martyrum collectas, quibus quasi praefationis loco vel ipsum martyrologium cum epistulis, vel epistulae tantum praefixae erant; Hieronymianae epistulae titulum ad totum codicem pertinere credidit, atque ita in ea epistula passiones legendas esse monuit.” Rossius cui Duchesne non assentitur ita nodum solvit. „Quomodo, inquit³⁾, intellegenda sint verba Cassiodori, dubitatum valde est: nunc vero fragmento Laureshamensi reperto, satis, ni fallor, liquet ea respicere martyrologium hieronymianum, auctum compendiis ex actis martyrum

1) MH. enim litterae praepositae sunt (sine dubio falsae) a Chromatio et Eliodoro episcopis ad Hieronymum presbyterum missae; deinde qua epistola Hieronymus ad haec respondisse dicitur. Episcopi „fratrem” rogant ut sibi „famosissimum feriale de archivis sancti Eusebii Caesareae Palaestinae sacerdotis inquirens, martyrum festa dirigat.” Hieronymus respondet Eusebium a Constantio Augusto petivisse ut sibi regis iussu archivis perquisitis „quis martyrum a quo iudice, in qua provincia vel civitate, quo die, quave passione perseverantiae suae obtinuerint palmam, derigerent;” unde factum esse ut Eusebius omnium paene martyrum provinciarum omnium Romanorum historiam scripserit; se autem „quoniam per singulos dies plus quam octingentorum martyrum nomina nominanda esse ut nullus dies esset, qui intra quingentorum numerum reperire possit ascriptus” martyrum laterculos „succincte et breviter memorasse.”

2) Prolegg, p. [XLVII].

3) Prolegg, p. [XI].

sinceris et antiquioribus". Quamquam alii, in primis Krusch ¹⁾, qui vehementer in Rossium ceterosque Bollandianos invehitur, MH significari minime arbitrantur, Rossio assentior. Antiquissimum exemplar MH complures passiones continuisse supra demonstravimus. Cum praesertim in initio martyrologii nulles sit dies quo non legatur passio vel elogium alicuius „martyris", Cassiodoro, qui quae in MH legebantur cognita habuisse non videatur ²⁾, primo aspectu facile videri potuit in martyrologio epistolam sequenti plures passiones quam re vera contineret, inveniri. ³⁾ Utcunque res se habet, cum de altera Chromatii et Eliodori epistula in qua martyria ipsa memorantur, mentio non fiat, litteras MH praepositas significari pro certo habeo. Quae in epistulis leguntur, ostendunt, eas scriptas esse, postquam MNH martyrologio latino adiectum sit, vel potius ab eodem, qui fastos Orientis et Occidentis in unum collegerit. MNH igitur ante 554 in latinum translatum est.

Post quem terminum versum sit non facile definitur. Puto MNH non ante martyrologium romanum perfectum i. e. non ante 422 huic martyrologio insertum esse. Quando MNH conclusum sit, non constat. „Martyres" post Iulianum persecutionem rari sunt difficiliusque saepe diiudicare utrum eorum articuli MH an MNH sint adscripti. Ex iis quos MNH attribui Athanasius 373, Timotheus Constantinopolitanus 384, 385(?), Sarapion monachus, quem Melania 373, Palladius 390 visit. certe non multo post 400 de vita decessit. Achelis quidem Stephanum episcopum Nicomedensem († 518) April 27 in MNH memoratum fuisse putat, sed eum in MH indicari minime verisimile est ⁴⁾ Valde incertum est memoretur VII kal. ian.

1) Neues Archif, B. XX (1895) p. 439, B. XXIV, p. 328.

2) Verba q.s. „procul dubio" mea opinione ab scriptore cui MH cognitum esset non scripta essent.

3) Die Mart., p. 92. Cum praeterea nomen MH nondum datum esset fastis magnis latinis, mirum non est aliquem, cum fastos significare vellet, de epistula dixisse.

4) Stephanus Gallus episcopus videtur. Quod Achelis in controversiam vocat: „Die gallischen Lokalnotizen pflegen sich durch Genauigkeit aus zu zeichnen". Quod rectum non est. Non solum Stephanus urbi nulli attribuitur; idem accidit hisce „martyribus" gallis: Leuci conf. (III id. ian.), dep. Hortensi ep. (III id. ian.), dep. Euphrasi ep. (XVIII kal. febr.), dep. Marcelli ep. (XVI kal. febr.), Sulpicii ep. et conf. (VI kal. febr.), dep. Simplicii ep. (II id. febr.), dep. Leodecarii ab. (II id. febr.), dep. Silvini (XV kal. mart.), dep. Tetradi ep. (XVIII kal. mart.), Attalae abb. (VI id. mart.), dep. Patricii ep. (XVI kal. apr.), dep. Leonti ep. (XVIII kal. apr.), Cutberti ep. (XIII kal. apr.), Benedicti abb. (XII kal. apr.), dep. Dagolephi abb. (V kal. apr.), Babonis m. (VIII kal. apr.), dep. Austasi abb. (VIII non. apr.), Arulfi ep. (non. apr.), dep. Aprun-

in MH (et MNH?) David Solitarius († 530). Quae in articulis Stephani de reliquiis eius inventis (415) in MH reperiuntur in MNH memorata fuisse non puto. Restant quae memorantur de Symeone monacho, qui anno 459 de vita decessit. Non. ian. *In Antiochia Symeonis monachi (dep. sancti Symeonis confessoris, qui in columna stetit BW) (in ecclesia, quae vocatur Poenitentiae (2 m. supra lineam: concordia) depositio sancti Symeonis confessoris, qui in columna stetit S), VI kal. aug. et in Syria Symeonis monachi (BW in Sicilia), III kal. aug. . . . et ad Ursum Symeonis, qui in (columna fuit (S). Symeonem „in ecclesia, quae vocatur Poenitentiae (Concordiae)” depositum esse, in vita sola, „ex veteribus mss” latine a Bollandianis edita legimus ¹⁾. In vita a disipulo Antonio composita monachi corpus *εἰς τὴν Μεγάλην ἐκκλησίαν τὴν λεγομένην Μετάνοιαν εἰς τὸν μόσχον* translatum esse dicitur ²⁾ Praeterea admoneo in initio vitae latinae eadem quae in MH legi: „Incipit vita sanctissimi Symeonis, qui in columna stetit, quae celebratur non. ian.”; in initio vitae graecae: „*Βίος καὶ πολιτεία τοῦ μακαρίου Συμεῶν τοῦ στυλίτου [τοῦ καὶ εἰς τὴν Μάνδραν cod. X].*” Quaeritur sintne verba, quae non. ian. in S leguntur, postea apposita an ex antiquissimo exemplari deprompta. Codex senonensis solus (saec. X) nonnulla habet, quae in X inventa fuisse probavimus (VII id. ian., id. mart.), alia quae postmodo inserta esse videntur ⁴⁾. Quam ob rem totum later-*

culi (XI kal. mai.), dep. Oedilualdi presb. (XI kal. mai.), dep. Polychroni ep. (II kal. mai.), Gotehardi ep. (III non. mai.), dep. Sebastiani ep. (III id. mai.), Basili ep. (X kal. iun.), Magiulfi ep. (VII kal. iun.), dep. Caudi ep. (VIII id. iun.), Albani mart. (G 915 in Mogontia) (XI kal. iul.), Niceti ep. (X kal. iul.), (F. Romatiana civ.), Chiliani ep. cett. (VIII id. iul.), Amici ep. (II id. iul.), Reginsindae mart. (id. iul.), Fabei ep. (XV kal. aug.), Avinari ep. (II kal. aug.), Eladi ep. (II kal. sept.), Bonifaci ep. (II non. sept.), dep. Ingenui ep. (non. sept.), Eucarpi (VII kal. oct.), dep. Marci (VII kal. oct.), dep. Galli conf. (XVII kal. nov.), Flopenti (VI kal. nov.), dep. Domni (III non. nov.), Willebrordi (VII id. nov.), Purcharti conf. (II id. nov.), Amanti ep. (non dec.), Nicolai ep. (VIII id. dec.), Sapidici (VII id. dec.), Honorati ep. (XII kal. ian.).

¹⁾ AS, 5 Ian. I, p. 269–274.

²⁾ H. Lietzmann, Das Leben des heiligen Symeon Stylites, T. u. U. B. XXXII, Leipzig 1908, p. 209; Uhlemann, Symeon der erste Säulenheilige in Syrien, Leipzig 1846, p. 129.

³⁾ Codices saec. XII exarati sunt. Gregorius Turonensis vita Antoni in latinum translata usus est. (De gloria martyrum, c. 26).

⁴⁾ XIII kal. febr., VII kal. febr., VI kal. mart., VIII id. mai. Fortasse breves adnotationes VII id. ian., XV kal. febr., X kal. febr., VI kal. febr., id. febr., VIII kal. apr., III kal. mai., III non. iun., III kal. aug. memoratae.

culum in antiquissimo MH exemplari iam adscriptum fuisse, contendere non audeo. Cum in BW verbum q. e. *depositio* legamus, arbitramur articulum in Occidente ex aliqua vita Symeonis MH adiectum esse. Neque in fastis graecis, neque in syriacis de illo die mentio fit.

Symeonem die Mercuri a. d. IIII non. sept. anni 459 mortuum esse satis constat¹⁾. Cum fieri possit²⁾, ut Stylita magnus non Sept. 2 sed die primo huius mensis „unbemerkt von seinen Schülern” animam efflaverit, non mirum est festum diem eius postea Constantinopoli Sept. 1 celebratum esse. Iul. 26 praeterea in SC *μνήμη . . . Συμεῶν τοῦ ἀρχιμανδρίτου . . .* Delahaye ad hunc diem adnotat (col. 1028): Est Symeon Stylita senior cuius festum antiquitus legebatur Iul. 27 testibus Hieronymianis et Kalendaris syriacis”.

MH et kalendaria syriaca³⁾ sine dubio ex fonte graeco hunc diem sumpserunt⁴⁾. Quaeritur qui ille fons fuerit. Non probabile est antiquitus festum diem Symeonis *Antiochiae* VI vel VII kal. aug. celebratum fuisse, adnotationem ex fastis illius urbis depromptam esse⁵⁾. Quid habuerunt fideles Antiocheni, quam in urbem corpus monachi magni maxima cum pompa deductum est, quod paulo post mortem memoriam Stylitae memoriam eius VI kal. aug. agerent? Qui dies in vita in qua mors depositioque copiose memoratur, non invenitur. Festum Symeonis Constantinopolitanum in sua vel aliena in aede celebratum in SC non memoratur. Nullo ex laterculo apparet qua in urbe Iul. 26, 27 Symeonis memoria celebraretur⁶⁾. Cum SC et MH eundem diem habeant, hic dies fortasse ex antiquiore fonte sumptus est. Qui fons si MNH fuit, MNH post annum 459 MH insertum est.

1) Nec de anno nec de die viri docti consentiunt. Discipulus Symeonis nomine Antonius diem Veneris postremum dicit (Lietzmann II. p. 64). Cf. de his Chronicon Edessenum, Hallier p. 115, H. Delahaye Les Stylites. Revue des questions historiques 57 (1895), p. 52–103; Uhlemann o. l., Miscellanea Hafniensia II, 2, H. N. Clausen, Stylitica, p. 242.

2) o. l. p. 253.

3) Ex fonte romano festum MH adscriptum non est; dies in Occidente non erat notus: in Y legitur in *Sicilia* quae verba Ado, Usuard, Notker, Baronius exscripserunt! Quae syriaca Delahaye indicet nescio. In MRS solo, quod martyrologium recentius ex graecis pendet, repperi.

4) Ex quo adnotatio in SC memorata sumpta est.

5) Si sumpta esset, in MH in voce *Antiochiae* legeretur, compluresque martyres, qui anno 460 hac in urbe in honore essent, cum illo adscripti essent.

6) Quod ad diem attinet, in vita Syriaca (§§ 65 et 124) Symeon fertur exeunte mense Tammus (Iul.) memoriam precis auditae celebratum esse. Huiusne diei memoriam ecclesiae servaverunt?

Alia ratione fortasse quo tempore martyres Orientis martyrologio latino adiuncti sint constituere possumus. Saepius in fastis tractandis laterculos ex MNH sumptos in MH in margine Afrorum martyrum adscriptos videri admonuimus (XV kal. febr., II id. mai., XI kal. aug., V id. aug., XV kal. dec. sqq). In laterculis saepissime primi martyres Orientis, deinde Afri, Romani, Galli memorantur; ex qua re colligere non potest martyres Orientis post Afros MH adscriptos esse. Primum demonstrandum est longas nominum Afrorum series, quas in MH legimus, ex MK ipso depromptas esse. Quod, cum ingens nominum numerus nullam intellegendi ansam praebeat, facile non est. Quo ordine ad singulos dies articuli ex MNH et ex MK deprompti in MH leguntur, ex hoc utrum martyrologium prius romano insertum esset, colligere conatus, nihil profecto, quantumcumque operam dedi, profeci. Ad paucos dies quibus articuli in MK memorati non aucti magno Afrorum numero MH adiuncti sunt (VIII kal. febr. XVI, XI kal. aug.) ex ordine incerto nihil colligi potest.

Sin contingat ut probemus MK ante MNH kalendarium romanum amplificavisse, non multum efficiamus. Achelis docet¹⁾ MK post annum 505 confectum esse; episcopi autem ex quorum articulis Achelis quando MK perfectum sit, concludit, in MH non redeunt. Antiquius igitur exemplar quam quod supersit cum martyrologio romano coniunctum esse veri simile est.

In epistula MH praeposita legimus concilio Mediolanensi (a. 381) omnes episcopos Italiae, qui adessent, statuuisse ut Chromatius et Heliodorus „ad Hieronymi caritatem scriberent ut martyrum festa ad se dirigeret”. Qui legit in opinionem adducitur ut putet ex indicibus festorum martyrum ab Hieronymo missis martyrologium latinum (MH) compositum esse. Putandum non est aliquem quo modo MH compositum esset tam false narrare ausum esse, antequam omnes episcopi qui concilio adfuissent, mortui essent, i. e. ante a. 450 vel 460. Pseudo-Hieronymus non ante 460 ex martyrologio graeco articulos martyrum Orientis sumpsit.

Qua in urbe id fecerit non liquet. „Er (i. e. epistula MH praeposita), inquit Achelis²⁾, „zeigt zunächst wie auch Duchesne und Zöckler richtig erkannt haben, dass die Abfassung des MH, d. h. die Aufnahme des orientalischen Martyrologs, in Oberitalien erfolgt ist und zwar — so dürfen wir weiter schliessen — in der Diöcese von

1) Die Mart., p. 22.

2) Die Mart., p. 94.

Aquilea, hart an die Grenze vom Orient und Occident. Denn was kann es sonst für einen Sinn haben, die Namen der Bisschöfe Chromatius von Aquileia und des Heliodorus aus dem benachbarten Altinum zu citieren? Sie sind ja als literarische Freunde des Hieronymus aus dessen Vorreden zur Uebersetzung des Alten Testaments bekannt, aber doch nicht derartig, dass es nicht einer specellen Ursache bedurfte, um gerade sie herbeizuziehen". Argumentum mea sententia certum non est. Is, qui in martyrologium omnes martyres totius fere orbis terrarum collegerat, hac epistula martyrologio praeponenda id modo spectavit ut librum auctoritate clarissimi viri protegeret. Chromatium Heliodorumque satis obscuro episcopos epistulam ad Hieronymum scribere facit, ne postea fraus aperiretur.

Praeterea martyres qui in urbibus Italiae superioris celebrabantur, post martyres Orientis et Afros MH adscripti esse videntur ¹⁾. Non credo „virum Aquileiensem" quem Achelis MNH in latinum transluisse putat martyrologio latino primum martyrur Orientis, deinde qui sua in urbe et in vicinia celebrarentur addidisse vel eorum articulos postea ab aliis MH adiectos esse.

Priusquam in Italiam superiorem venit kalendarium romanum, MNH et MK additis auctum est. Quod ubi facilius accidere potuit quam Romae qua in urbe ecclesia tam multos per annos eo Kalendario usa esset, quam in urbem permulti et ex Africa et ex Oriente commearent? Supra exposuimus scriptori Romano non solum MNH sed etiam multa martyrur acta aliosque libellos fuisse, quae omnia

¹⁾ Tractavi 68 articulos in vocibus *Mediolani, Ravennae, Viennae, Brixiae, Bononiae, Aquileiae, Concordiae* memoratis, ex quibus 57 post articulos martyrur Orientis, Afrorum Romanorum MH adscriptos esse satis constat (VIII kal. ian., III non. ian., VIII kal. febr., kal. febr., non. febr., XV kal. mart., XIII kal. mart., XIII kal. mart. (?) (II art.), XII kal. mart. (?), XVII kal. apr., XVI kal. apr., II non. apr., V id. apr., III kal. mai., X kal. iun., VIII kal. iun., (duo art.), III kal. iun., II kal. iun., kal. iun., XVIII kal. iul., XIII kal. iul., XIII kal. iul. (duo art.), XII kal. iul., VII id. iul., III id. iul., XVI kal. aug., X kal. aug., V kal. aug., III non. aug., VII id. aug., XVIII kal. sept., XI kal. sept., X kal. sept., III non. sept., XIII kal. oct., XIII kal. oct., XI kal. oct., II kal. oct., III id. nov., id. nov., VIII kal. dec., V kal. dec., (duo art.), III non. dec., id. dec., XVIII kal. ian., XVII kal. ian.) Quod si pauci eorum eodem die cum uno tantum articulo sive Afrorum, sive Romanorum, sive martyrur orientis occurrunt, ita ut alteruter articulus tempore prior habendus sit iudicare non possimus, id argumentationem non infringit. (Ordo incertus est aut rem diiudicandam nil affert in articulos, qui leguntur VIII kal. febr., VII kal. febr., VII id. mai., XII kal. iun., XVII kal. iul., XV kal. iul., III id. iul., XVII kal. aug., VII id. oct., VI kal. dec., II kal. dec.)

Romae potius quam Aquileiae adhibenda fuisse puto. Passiones enim pleraeque in Occidente ex actis MH adiectae sunt. Romae, non Nicomediae¹⁾ haec acta erant. Non modo is, qui MNH in latinum transtulit, sed etiam alii non multo post ex actis aliisque fontibus MH articulos martyrum Orientis inseruerunt. Supra iam diximus articulos eos non in Gallia sed Romae MH adiunctos esse (pp. 32 et 33). Is qui martyrologio romano adiecit „festa apostolorum martyrologio praeposuit; in hac „notitia de locis ss. apostolorum” primum festum legitur: „III kal. iul. Nat. apostolorum s. Petri et Pauli *Romae!*

¹⁾ „Wir staunen”, inquit Achelis Die Mart., p. 190), über den Reichtum an echten Märtyrerakten, der damals in der kleinen Stadt Nikomedien vorhanden war.”



THESES.

I.

In MH (Martyrologio Hieronymiano) verbo q. e. *passio* (martyris alicuius) significatur commemorationem huius martyris ex actis sumptam esse.

II.

Errat Achelis (Die Martyrologien, p. 39) haec scribens: „Im Vergleich mit der Orientalische Vorlage (MNH) des MH hat MS (Martyrologium Syriacum) nur einen geringen Umfang.“

III.

MNH Romae MH insertum est.

IV.

Iniuria Krusch (Neues Archiv der Gesells. für ältere deutsche Geschichtskunde, XXIV, p. 297 sqq.) in antiquissimo MH exemplari elogia non scripta fuisse contendit.

V.

Variae sunt causae, cur in MH verba q. s. *In Oriente* legantur.

VI.

Eusebianus de Historia Ecclesiastica liber MS et MNH fons non est.

VII.

Non Petrus apostolus Romae mortuus est.

VIII.

Terent. Adelp. 38 ... quemquamme hominem in animo instituere *aut*
Parare quod carius quam ipse est sibi!
aut delendum puto.

IX.

Tac. Ann. XIII, 34. Perperam Nipperdey-Andresen Lipsium secuti
scripturam *illuc* ex *illud* corruptam censent.

X.

Eur. Orest. 91. Legendum puto *ἀπειρήμεν κακοῖς*.

XI.

Men. vss 571—595 etsi ius Romanum spectare videntur, e Graeco
tamen fabulae exemplari Plautus mutuatus est.

XII.

Mommsen (Archeol. Zeitung XXXVI, 1878, 74, 75 et St. R. III, 1,
1887, 452—457) iniuria negat Augustales sacerdotes fuisse.

XIII.

Iniuria Plutarchus multique scriptores recentiores (e quibus Nipperdey-
Andresen nomino) tum cum Vitelliani in bello cum Othone gesto
Placentia moverunt, Cremonam in eorum potestate fuisse negant.

XIV.

Ten onrechte zegt Maass (Orpheus, 306 zu Tibull. I, 10, vs. 35ff):
„Die Abgesengten Kopphaare ... sind die sichtbaren Zeichen bereits
vollzogener Reinigung (im Hades).“

XV.

De Katacombenschildering is symbolisch bedoeld.

XVI.

Apelles en zijn tijdgenooten bedienden zich bij 't schilderen niet, of althans niet uitsluitend van de enkaustische techniek. Zij gebruikten meer wastemperaverven.

XVII.

Het Expressionisme biedt vele voorwaarden voor een opbloei van religieuze kunst.

XVIII.

De z.g.n. Biblia pauperum zijn bestemd geweest voor de priesters om bij 't godsdienstondericht den leerlingen vertoond te worden.

XIX.

De term *Noûs* bij Anaxagoras is niet te verstaan als Geest.

XX.


Het praedikaat algemeen-geldig kan niet aan de Wetenschap worden toegekend.

XXI.

Onder de verschillende richtingen in de kenleer verdient de voorkeur het kritisch Realisme.

XXII.

Bij de huidige Onderwijsregeling is het onverantwoordelijk het huiswerk af te schaffen.



BIBLIOTHEEK VRIJE UNIVERSITEIT



3 0000 00367 1306